

THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

IUSTINI
HISTORIAE PHILIPPICAE.

SECUNDUM VETUSTISSIMOS CODICES
PRIUS NEGLECTOS
RECOGNOVIT,
BREVI ADNOTATIONE CRITICA ET HISTORICA
INSTRUXIT

FRIDERICUS DUEBNER, PH. D.



ACCESSIT INDEX RERUM LOCUPLETISSIMUS.

LIPSIAE
SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCXXXI.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS,

CHRISTIANO GUILELMO MITSCHERLICH,

LUDOLPHO DISSEN,

CAROLO OTFR. MUELLER,

SUMMORUM IN SE MERITORUM

TANQUAM TENUE MONUMENTUM

D. D. D.

IPSORUM DISCIPULUS

FRIDERICUS DUEBNER.

PRAEFATIO.

Cum propter molem, in quam praeter opinionem Iustini hoc opusculum excrevit, neque lectionis historiam, quae in nullo fere scriptore texi potest copiosior et ad inveniendam verborum fidem gravior, neque depravationis varios modos, quos rerum narratio ab epitomatore potissimum traxit, persequi nobis non liceret: breviter significandum erat, quibus haec editio a ceteris differre videretur.

Verba Iustini ultimum ab Abrahamo Gronovio constituta erant, anno superioris saeculi sexagesimo: eaque recensio a cl. Frotschero digna iudicata est, quae hodie integra et sine mutatione ulla repeteretur. Ac profecto, si auctoritatem eius quaeris, nomina invenies longe celeberrima, *Bongarsios*, *Gronovios* (Ioannem Fridericum dico), *Graevios*, *Vossios*, *Fabros;* et solertem diligentiam *Vorstii*, *Schefferi*, *Wopkensii*, ipsius denique *Abr. Gronovii.* Ex tantorum virorum inventis ac sententiis et magno numero codicum vetustarumque editionum

ab eo, quem extremum nominavi, recepta sunt quae linguae legibus, orationis elegantiae, rerum gestarum narrationi maxime viderentur convenire. Sed qui paullo attentius criticorum illorum et interpretum adnotationes perlegerit, Iustini orationem saepissime intelliget iudicari ac fingi ex aliorum scriptorum dicendi consuetudine vel alius aetatis usu; animadvertet ornatum et elegantiores numeros quaeri etiam iis locis, in quibus epitomator aperte aut levius aut negligentius versatus est; cognoscet denique rerum narrationem, ubi quidem eius aliquod momentum est in verbis scriptoris constituendis, ad aliorum plerumque narrationes aestimari ac nonnunquam corrigi et in ordinem cogi. Haec ut iam dubitationes de veritate lectionis, qualis post Gronovium fertur, excitant iustissimas, ita novae recensionis instituendae necessitas tibi perspicue apparebit, quando fontes lectionis ad eorum originem circumspecte fueris persecutus. Exstant enim e quarto saeculo post Chr. n. excerpti aliquot loci Iustini apud Augustinum, e quinto Orosius*) et Ammianus Marcellinus, e sexto Iornandes, ex insequentibus ingens copia chronographorum, qui multas narrationes ex epitome Iustini in suos libros receperunt: ad hos ut vetustissimas normas si

---

*) Huius maxima omnium in lectione Iustini constituenda et auctoritas est et utilitas, in locis tamen difficillimis et corruptissimis, ut in Alexandri expeditione Asiana, etiam de optimae editionis integritate saepe dubitandum esse vidi. Spes tamen in his tenebris aliqua affulget lucis: Vir enim doctissimus *St. Croix* meliora exempla in Parisiensi bibliotheca servari testatur: „*la bibliothèque nationale en possède douze (manuscrits de Paul Orose) qui serviroient beaucoup à corriger le texte de cet écrivain, encore très-corrompu dans l'édition d'Havercamp.*“ (*Exam. critique des hist. d'Al. le Gr.* p. 122.)

caute satis (aliqua enim illi dedita opera mutaverunt) exegeris superstites codices Iustini et ipsas lectiones inter se comparatas suo quamque momento ponderaveris, certum videbis et facile esse iudicium; illud vero mirum et intellectu difficile, quo modo acciderit, ut antiquissimorum codicum lectio prae recenti et interpolata saepissime levi vel nulla de causa negligeretur et plebs illa novitia veteres dominos iusta possessione tam facile eiecerit. Bongarsius enim, unicus Iustini in omne tempus sospitator, codices nactus fuit, de quibus ita scribit: „*In his saltem auctoribus, quorum necdum desperata est salus, conquirendi sunt meliori et prudentiori saeculo scripti libri, et his conferendis et exprimendis non religentes solum, sed et religiosi esse debemus, ut id sequamur quod exemplariorum multitudo in fidem trahit, ut praecipit Eusebius; sicubi haereas, prudentiores consulendi. Iam in imprimendo adhibenda exacta et extrema diligentia, ne emendationem, quam titulus profitetur, opus ipsum redarguat. Haec in edendo Iustino secutus certe sum; an assecutus, tuum, Lector, iudicium esto. Usus sum primum codice Olivarii Aligretii Charantonaei .... Cum veteris huius exemplaris beneficio multa emendassem, neque tamen videretur huic auctori perpurgando sufficere, duos etiam manu descriptos libros accepi a P. Daniele, populari meo; duos deinde a Fr. Pithoeo; tum duos alios a cl. Iacobo Cuiacio, doctore meo; octavus optimae notae est cl. Puteani, senatoris Parisiensis. His nonus accessit et tandem etiam decimus P. Pithoei beneficio; tres item impressi ad vetera exemplaria collati, unus Petri, alter*

Francisci Pithoeorum fratrum, tertius Io. Pelerini, doctoris regii . . . . Ergo decem illos veteres codices et tribus impressis adscriptas lectiones cum vulgatis editionibus ita studiose et diligenter contuli, ut ceteris, qui in hoc auctore conabuntur aliquid, nihil fere praeter coniecturas reliqui sit. Iam in ipso auctoris contextu ita religiose versatus sum, ut ubique veterum librorum scripturam bona fide exhibuerim, nullas omnino coniecturas admiserim, lectiones vulgo editas contra libros non receperim, nisi si quando in veteribus sententia non constabat; tum enim antiquam scripturam inter varias lectiones retuli, ut liberum esset suum cuique iudicium."

Iam haec ipsa eorum quae praestiturus erat professio ostendit, quanta sit auctoritas recensionis Bongarsianae, Libellus vero Variarum Lectionum, quem subiecit, summa cura confectus, depravationum modis, qui ibi cernuntur, fidem facit codices, qui auctores ipsi fuerant formandae lectionis, litteris maioribus vel uncialibus quas vocant scriptos fuisse; eorum vero, quos Gronovius pro optimis habebat, plerosque, nonnunquam eius paene omnes consentire cum uno alterove Bongarsii recentiore; et data occasione ostendi ubique Bongarsianos cum antiquissimis istis, quos indicavi, fontibus, ubi quidem genuini sunt, consentire, in Gronovianis autem interpolationis suspicionem haerere gravissimam. Velim hic locus reciperet narrationem paullo uberiorem de variis interpolandi, corrigendi, recensendi modis, quos multi codices passi sunt,

quantum intelligitur e lectionibus inde enotatis: sed si cui haec animus est cognoscere, multa colligere poterit ex iis, quae passim per adnotationes ea de re sparsi. Cum vero animadvertissem in summa licet diligentia et cura religiosissima egregium virum Bongarsium veterum editionum lectionem, quae primum ex recentioribus codicibus Italis depromta, deinde incudi iterum iterumque reddita est *), in locis aliquot reliquisse videri neque correxisse e libris suis, ceterorum librorum consensum, quamquam dubitanter, praeferendum nonnunquam duxi: quod ex singulis locis intelligetur et iudicabitur. Illud tamen vehementer mihi succenseo, quod prioribus sex libris, ante annum ferme iam prelo traditis, strepentibus undique recentiorum codicum laudibus faciliores, quam par erat, aures praebuerim: qua re factum est, ut multa iam nunc in iis emendanda videam et ut corrigantur a benevolo lectore, antequam legantur, mihi sit enixe rogandum. At res utinam in recentibus istis codicibus perstitisset! Graevius Iuntinam vel Florentinam editionem anni 1525 tanquam capta opima spolia in triumphum ducit et orationis illic conformatae tersam elegantiam magnifice commendat, commendatam vel ipse vel post eum Gronovius in textum recepit; opinabatur enim „e codice aliquo in Magni Etruriae ducis

---

*) Recte quidem animadvertit *G. L. Walchius* (in Praef. ad edit. *Tacit. Agr.*) non contemnendas esse prae codicibus vett. edd., quippe quae nonnunquam e vetustioribus, quam qui exstent, libris manuscriptis fluxerint, et praestantissimorum codd. magnam copiam vel periisse vel nunc quidem latere; sed Iustini vett. edd., excepta fortasse una Romana, ex recentibus libris ductae sunt, insuper, cum imprimerentur, a doctis viris recensitae.

illustrissima bibliotheca, ubi aliquot huius scriptoris veterrimas membranas servari ex viris doctis acceperat," esse derivatam. Verum iam alii viderunt Iuntinam ex Aldina fluxisse; neque altius adscendunt istae deliciae: nimirum Franciscus Asulanus, vir, ut vel ipsa eius recensio Iustini ostendit, excellenti doctrina, magno acumine praeditus, praesertim elegantiarum omnium et venustatum latinae linguae sciens et arbiter subtilis: is igitur in gratiam Ioannis Cornelii, Georgii filii, nobilissimi adolescentis, ut per otium, quo vacaret a munere senatorio, „scripto aliquo puro ac leni detineretur, ubi cum summa animi oblectatione pernosceret maiorum mores, exempla, praestantissimi cuiusque naturam, varietates temporum, regionum descriptionem, denique antiquitatem omnem, Iustinum atque Aemylium Probum *diligentissime castigatos* emittere" statuit (Venetiis in aedibus Aldi et Andr. Asulani soceri, mense Ian. 1522); de fontibus suarum emendationum nihil quicquam indicavit. Perspicis igitur originem lectionum, quasquas haec editio praebet sola*). Bongarsiana recensione, ut illuc revertar, et libello eius variarum lectionum in adnotationibus raro admodum usus est Gronovius:

---

*) Addo iudicium viri *ἀκριβεστάτου*, Guil. Henr. Bardili, in Praef. ad Corn. Nep. p. XXVI sq.: „Sed ego tamen cum Heusingero arbitror, eum omnino aut scriptos codices habuisse, aut certe libros editos consuluisse a nobis nondum inspectos: verum multa etiam ex ingenio mutasse, si vulnera librorum suorum speraret auxilio eius tolli et sanari posse: etsi eum nolim nec sententia nec assensu meo absolvere audaciae libidinisque emendandi, cuius ab eodem Magio accusatum novi." Fischerus in eadem plane sententia est, quem vide praef. Iust. p. XIX sq. Iustini codicum et excerptorum apud alios scriptores tanta est multitudo et antiquitas, ut si quae Asulani lectiones inde non possint confirmari, nullam in ipsis vetustatis auctoritatem statui posse appareat.

quamquam quae illic leguntur, vel ipsa genuina sunt vel genuinis ac veris proxima, certiora denique et graviora universa farragine ab ipso collecta; clarissimo autem *Frotschero* quid consilii fuerit, quod, cum alia multa Gronovii commentariis per ipsum repetitis inseruerit, his tamen, si qua exstant, genuinis lectionum monumentis carere nos voluerit, non sane dixerim *). Equidem, brevitatis licet ubique in adnotatione mea studiosissimus, si qua ex iis vel graviora esse viderentur vel in aliquot codd. Bongarsii invenirentur neque aperta errorum vestigia ostenderent, verbo indicavi; neque operae poenitebit. Totus ille libellus repetitus est et auctus multarum vett. edd. lectionibus ab optimo viro, I. Fr. Fischero, in ed. Lips. ap. Weidmann. 1757; sed ob errores hic illic obvios, qui plerique e P. Burmanni ed. a. 1722 in hanc transierunt, conferri ubique ipsa Bongarsii editio (a. 1581) debet. „*MSS.* vel *Codd. Bong.*" (id enim lector monendus est), ut apud Bongarsium, qui ob eam rem ab interpretibus plerisque omnibus, a me quoque in prioribus sex libris, male intellectus est, ita apud me quoque significat *aliquot Codd. Bong.*, vel duo vel plures, sed eos vel pauciores ceteris, quorum lectionem vir optimus recepit, vel minus praestantes. Magnus tamen inter Bongarsianos libros consensus videtur fuisse: quo maior ipsis haberi fides debuerat. Lectionem igitur vel

*) Nisi forte iudicavit non satis idonea ad emendandum Iustinum; ita enim scribit Praef. p. VI: „Sed non hoc solum putavi faciundum esse (ut Gronovii editionem repeterem). Immo *quaecunque* ad Iustinum vel emendandum vel illustrandum idonea praesidia iudicarem, iis ut librum meum ornarem atque instruerem, studiose diligenterque curavi." Ignosces opinor viro, cui tam multis scriptoribus succurrendum est.

optimorum librorum testimonio vel consensu universorum firmatam dum constanter tuebamur, nisi graviora impedirent, aliter nonnunquam loqui incepit Iustinus ac reliqui scriptores: neque tamen omnia, quae ipsius orationi, sane quidem primi saeculi proprietatem prae se ferenti, at tertii aliquot naevis conspersae, vindicari vel iam debebant vel posse vindicari sperabamus, nunc quidem in textu collocavimus, praesertim cum codd. scriptura dubia nonnunquam esset: qua in re inconstantiae culpam non penitus me effugisse satis scio; verum adiicient iusti censores, qualem fuisse me in alios quosque contra impurorum hominum calumnias confirmabit proborum omnium consensus, laudem si qua est ingenuitatis: candide enim quae dubitationem movere possent de lectionibus receptis vel incerta aliqua a parte esse ostenderent, quae pro certis restitueram, significavi ubique. Subtilius tamen ac certius explorari poterant aliquot dicendi modi, qui Iustino in usu sunt, quam nunc quidem a me factum est; quo minus autem fieret, multa impediebant: primum quod nonnunquam incertus haerebam de lectione Bongarsiana, in qua cardo rei vertebatur, scriptisne fuerit confirmata an veterum editionum lectio per incuriam relicta, et necessariis aliquot subsidiis carebam; deinde quod ex aliis posterioris aetatis scriptoribus per correctionem saepe (ita suspicio est) obliterata erant, quae manuscriptam Iustini lectionem tueri possent; ea autem investigandi omnia non erat otium; denique quod honestissimo redemtori iam nunc emittere librum placuit. Nonnulla etiam distractus rerum perscrutatione animus excusabit: quippe earum praecipua, imo princeps in edendo hoc scriptore mihi cura erat. Ubivis enim Iustini narrationem cum aliis quibus-

cunque scriptoribus diligentissime contuli et si qua aliter tradebat, errore an ex fontibus aliis factum fuerit, sedulo, licet quantum poterat brevissime, indicavi: quare interpretum animadversiones vel alios recentiorum libros, in quibus veterum scriptorum loci exhibebantur collecti, commemorare malui, quam ipsos veterum locos; quos adieci tamen, ubi necessarium esse videbatur. Illud vero probe teneas velim, me non de veritate rerum ab Iustino relatarum quaerere voluisse (id quod in historiarum libris fieri debet), sed veterum scriptorum narrationem rectene et fideliter retulerit, an suis erroribus depravarit. Quibus locis nihil animadversionis subiicitur, ii cum reliquorum scriptorum testimonio consentiunt. Trogum qua ratione Iustinus exscripserit, exscripta quibus modis concinnaverit, in adnotatione passim observavi; de fontibus et auctoritate utriusque scriptoris historica exposuit ill. *Heeren* in Comment. novis Soc. Gotting. Tom. XV. (anni 1800) p. 185 — 245. In temporum notatione aliorum fere auctoritate usus sum; aliqua tamen constitui ipse.

Criticis subsidiis in hac editione accesserunt collationes trium codd., recentissimorum quidem illorum, sed qui, ut accurate excussi, non raro damna ex aliorum negligentia capta sarcirent, Pragensis a Seibtio, Cracoviensis a Rzesinskio, Gothanus a me collatus; de quibus quid sit iudicandum, intelligas ex indice codd. Deinde chronographos plurimos diligenter consului, ex quibus aliqua in Iustinum redundare poterat utilitas; ac vidi etiam eos, quibus editores usi iam fuerant, nonnunquam negligenter inspectos esse; sed, quae et ipsa debebant adhiberi recensendo Iustino, Comestoris,

Actoris, Helinandi, Hugonis Floriacensis Chronica, Matthaei Westmonasteriensis Flores Historici, eos sedulo licet quaesitos in bibliothecis aliquot non reperi. Multum denique me iuvit collegarum dilectissimorum humanitas, e quibus praecipue de hoc opusculo meriti sunt cl. *Wuestemannus*, quo familiarissime utor, et optimus praeceptor *Uckertus*, qui dubitantem saepe confirmabat, erranti monstrabat viam, consiliis denique et re aderat indefessus. Vale et mihi fave.

Scripsi Gothae, Idibus Septembribus 1830.

FR. DUEBNER.

INDEX CODICUM.

1 — 13. *Bongarsiani tredecim*, recensiti supra pag. VII sq., antiquissimi ac praestantissimi omnium. Quorum lectiones optimas ac certissimas in ed. recepit; ceteras in *Libello variarum lectionum* ita consignavit, ut litteris *MS.* unius, *MSS.* duorum vel plurium lectiones indicaret. Nihil profecto Iustino accidere poterat felicius, quam ut Bongarsius praeter suae aetatis morem hos libros cum edd. conferret accuratissime, et scriptoris verba inde summa fide restitueret; sed idem singulorum notationem nos passus est desiderare: quae iactura acerbissima ut Bongarsiani subtilitate ac veritate iudicii, ubique conspicua, quodammodo sarcitur, ita multis locis ambiguitatem infert molestissimam et incertum haerere criticum saepissime cogit. (Similia iam questus est Fischerus, Praef. p. XI.) In omnibus exstabant *Prologi Pompeii Trogi*, quos inde primus edidit Bongarsius. [De cod. Lexoviensi nimis incerta res est, quam ut eius auxilium quaereremus; cf. Fisch. *praef.* p. VIIII. XVIII sq.]

14. 15. *Duo Fuldenses*, membran., a Francisco Modio collati; praestantes et ipsi. Quos cum conferre institueret Modius, „incredibile dictu, inquit, quanta diligentia omnia fere a Bongarsio praecepta et occupata repererim, ubi egregie me venditare cogitabam.“ Cum Prologis.

Oxonienses in edit. 1684 contulerunt

16. *Bodleianum*, membran., 4 mai.; ipso teste Gronovio recentior; aliquantum interpolatus.

17. *Regium*, vel *Westmonasteriensem*, membr., 4 min.; paullo, ut videtur, antiquior, sed paucae ex eo lectiones memorantur.

18. *Collegii Novi*, membr., 4 mai.; partim ex ingenio, partim e vetustiore cod. vehementer interpolatus.

19. *Collegii Corporis Christi* (coll. C. C., nonnunquam *Ox. C.* a me appellatum), membr., 4 mai.; cum Bongarsianis conspirans, iis potissimum, quorum lectiones Bong. in *Libell. V. L.* posuit. Cum Prologis.

20. *Cantabrigiensem*, membr., fol.; cum antiquioribus facit et Leid. 3, hic illic interpolatus; raro tamen eius lectiones afferuntur. Cum Prologis.

His Gronovius quoque usus est; praeterea his, qui ei sunt:

21. *Primus Leidensis*, membr., fol.; saeculi ut ait decimi quarti; cum antiquioribus conspirat.

22. *Secundus Leid.*, membr., per columnas scriptus, anni 1357; magnopere interpolatus.

23. *Tertius Leidensis*, membr., „per columnas scriptus, saeculo fere vetustior praecedenti et bonae notae, sed male habitus et pluribus foliis truncatus.“ *Gron.* Nonnunquam tamen in hoc quoque correctrix manus conspicitur.

24. *Quartus Leid.*, 4, saeculo undecimo exaratus in membrana; cum primo Leidensium fere integerrimus.

25. *Quintus Leid.*, „eiusdem fere aetatis et formae cum praecedente, membran.; priora et posteriora folia lacera sunt atque a tineis exesa.“ *Gron.* Totus a viro docto recensitus, magis etiam quam Secundus.

26. *Sextus Leidensis* sive *Perizonianus*, „chartaceus quidem et recentior atque sub artis typographicae incunabulis exaratus, verum ex vetustissimo codice transcriptus.“ *Gron.* Anni 1457. Totus docta manu correctus, praesertim in Prologis, saepe satis feliciter.

Hi Leidd. prologos continent omnes.

27. *Primus Mediceus* „octuplicatae formae longioris, membr., atque optimae notae codex. Tres postremi libri et ultima verba libri XLI desiderantur.“ *Gron.* Maxime interpolatus.

28. *Secundus Mediceus*, „membran., charactere Longobardico exaratus, atque omnium, qui hactenus a viris doctis excussi sunt, vetustissimus atque optimis lectionibus refertus: at, quod dolendum, *quindecim prioribus libris* destituitur.“ *Gron.* Omnium maxime interpolatus et, quantum animadverti, unice ex ingenio correctus, nulla vetustiorum ope. De antiquitate Gronovius videat.

29. *Magliabequianus* „recentioribus codicibus adnumerandus.“ *Gron.* Maxime interpolatus. Subscriptio haec est: *Iste liber est mei Marii Mafeii Volaterrani et est satis correctus. Sis felix quicunque leges et ne ipsum macules.*

30. *Thuanaeus*, a Iacobo Gronovio collatus, quem cf. ad Arrian. exp. Al. II, 2. A docto viro recensitus.

Th. Wopkensius hos contulit:

31. *Franecqueranum antiquiorem*, quo Wesselingius quoque ad Diodorum usus est, fortasse etiam altero. Est ex bonis libris.

32 — 34. *Tres Dorvillianos*, admodum recentes; licet Dorvillius *primum* et *tertium* „satis antiquos,“ vocet; *secundus* vero recentissimus est ferme omnium.

Etiam *Oudendorpius* aliquot, duos ni fallor, codices inspexit.

Nos recognoscendo Iustino adhibuimus:

35. *Cracoviensem*, chartac., diligenter collatum ab *Ioan. Hier. Steph. Rzesinskio*, in diss., quae Cracoviae prodiit a. 1826. Recentissimus est, ut qui sequuntur, usui tamen poterat esse. Cum Prologis.

36. *Pragensem*, accurate collatum ab *Ignatio Seibt*, in ed. Iustini, Pragae, 1827. Cum eo, qui Bongarsio recentissimus est, saepe conspirat.

37. *Gothanum*, membr., ex Italia advectum, splendidissimum, anni 1494, quem ipsi contulimus. Describitur ab Ern. Sal. Cypriano, *Catalogus Codd. MSS. Bibl. Goth.* (L., 1714) p. 20. E codice aliquo Italo, unde primae edd. derivatae. Cum Periz. quoque et Bodl. saepe concinit. Antiqua tamen multa correctorem effugerunt, ut in duobus praecedentibus.

CODICES PROLOGORUM.

13 Bongarsiani;
2 Modii,
5 Leidenses,
Perizonianus, quocum ubique fere concinit,
Cracoviensis,
Coll. Corp. Chr.,
Cantabrigiensis. Longuerrius usus est:
2 Vaticanis,
3 Maximiniano,
2 Colbertinis;

sunt igitur 31, e quibus maior numerus corruptissimus et depravatissimus: quae in ceteris leguntur vera, certe recta, ea dubium est sollerti doctaque correctione illata sint an ex antiquitate derivata; prius mihi quidem probabilius esse videtur.

De *editionibus vetustis* longum est narrare; consule Praefationem Gronovii (a p. 44 sqq. Frotsch.) et diligentissimum Fischerum, praef. p. XII sqq. Quantum animadverti ipse, *ed. Romana* ex integriori cod. ducta est quam ceterae.

ADDENDA
ET NECESSARIO CORRIGENDA,
PRAESERTIM IN SEX PRIORIBUS LIBRIS.

Praef. § 1. Mss. Bong.: *totius historias orbis.*

§ 3. *inter sese gregatim*] Bong. e duobus, qui sine litura: *inter se segregati;* alii eiusd.: *inter se gregatio:* „unus inter linearum spatia: *inter se delegato otio;* alius: *inter se congregati.*“ Crac. et Prag., ut editur; Goth.: *inter se praegratiosi*, ut fere Periz.

omissis quae sine fructu erant] Haec tuebatur et suo loco posita esse censebat praeceptor optimus, *C. O. Muellerus*, in litteris humanissime ad me datis; verba enim quae sequuntur, *ea omnia*, cogitatione arcte iungenda esse cum vocib. *divisa* et *digesta: Nach Auslassung dieser ist die ganze Masse* cett.

§ 5. Etiam Bongars.: *non tam cogn. magis*, sine v. l., sed idem plane error in eius codd. infra XII, 6, § 13. Seqq. Beneckius quoque recte constituerat, cuius editio mihi allata est, cum in libro XVII versarer; v. p. 202.

Lib. I. C. I. § 3. Mss. Bong.: *Finis.*

§ 6. Bong.: *Vexoris;* eius unus *Vizores*, ut Mariani Scoti Chron. I. a. m. 2079, Hermannus contractus a. m. 1849. „Locus Agathiae est I, 18; p. 103 Nieb.“ *C. O. M.*

C. II. § 1. *Corr.:* 3 Gron., Goth., Crac., edd. vett.: *imm. puero.*

§ 2. Mss. Bong. ubique: *liniamentorum.*

§ 7. *arenae vice* servari posse arbitratur *C. O. M.* A Bongarsio primum repositum est e ms. Cuiac., cui accesserunt 5 interpolati Gron.; in reliquis codd. omnibus legi videtur: *arena*, *pice*, *bit.*, ut in Crac., Prag., Goth. Puteani ms.: *harenae pice.*

§ 9. Bong. praetulerat *Indiae.*

§ 13. Augustinus de Civ. D. IV, 6: *mille ducentos et quadraginta annos.*

C. III. § 3. *purpuras* mss. Bong., 5 meliores Gron., Crac.

§ 5. Bong. h. l. (e melioribus suis): *recipit*, ut Gronoviani praeter unum, Crac., Prag. Sed *recepit* melius est et magis ex arte, iudice etiam *C. O. M.* Scrupulum tamen iniicit vox seq.: *ubi*, quae e paucioribus vel minus bonis Bong., 3 Anglicanis, Goth., Crac., Prag. affertur; in textu vero Bong.: *recipit et — mittit;* Sarisbar. quidem *ubi*, sed idem antecedentia mutavit: *in aulam se r.* Iterum consulendi sunt codd.

C. IV. § 5. Mss. Bong.: *Ac nec sic q.*

§ 6. *amico et* in ed. quoque Bong. deest.

§ 9. *perferri* in duobus tantum est ap. Bong., qui: *afferri;* illud 11 Gronov., 3 Wopk., Goth., Crac., Prag., nonnulli cum depravatione.

§ 12. Scribe cum Bong.: *puer adlusit;* e 4 Angl., 1 Bong., al. recentt. vox deleta fuerat; idem *blandientis infantis r.* e melioribus suis receperat, assentientibus „plerisque" Gron., Crac., Goth.: quare restituendum.

§ 14. Bong.: *Spacos.* Scheffer.: *Spacus*, ut esset genitiv.

C. V. § 1. „*Multi Codd.*" adde: sed unus tantum e Bong.

§ 8. Verius est a Bong. quoque e melioribus praelatum: *in Persas ab avo.*

§ 10. Corr.: *Bong. et al. quidam codd.* Deinde restitue e codd. omnibus: *venatoris;* i. e. sub specie venatoris, quam servus ille praeberet.

C. VI. § 2. Lege: *Soebarem*, et § 3 *Persepolim*, ut codd. Vid. Beneck. h. l.

§ 5. Bong.: *ad paratas epulas*, ut coll. C. C.; vulgata in aliquot eiusd., codd. Modii et aliis fere omnibus est; et vide Graev. cum Beneck.

§ 10. Bong.: *a tergo.*

§ 14. *Vellent* iis recte diceretur, qui fugam iam inhiberent.

§ 16. *maximae*] Sic e Bongg. unus Cuiac.; ceteri eius: *decimum;* Putean.: *ducem.*

§ 17. Bong. sine v. l.: *annis*, ut Goth., vett. edd.; vulg.: *annos* qua auctoritate se tueatur, non invenio; quare illud est reponendum; nam et rectius h. l. est et magis de more Iustini.

C. VII. § 1. L. *Soebarem.*

§ 3. „Croesum traiecisse Halyn ad opem Babyloniis ferendam veri quidem simillimum est; nihilominus Sardes multo ante Babylonem expugnatae sunt: Ol. quidem 58, 3 s. 546 a. C.; Babylon autem anno demum 539 in victoris potestatem cessit, novem annis ante mortem Cyri, ut dubitari non potest post Berosi testimonia certissima." *C. O. M.* — Reducenda est lectio Bong: *victisque iam de se solicitus*, quam mature deseruerunt; recepta habetur in 2 Modii, nescio quot Bong. (in quibus tamen *victisq.* legi videtur); de Gronovianis frustra quaeras. Depravationem e scriptura provenisse apparet.

§ 5. Bong.: *percussum;* v. Beneck.

§ 7. *Barce*] Aliquot Bong.: *vero et*; coll. N.: *Beroe;* Bodl., ut nonnulli Bong.: *Baragon.*

§ 10. Bong.: *in Croesum*, ex uno opinor alterove. Vid. et I. Fr. Gronov. cum Wopkens. ad XXXVIII, 6, § 1.

§ 13. Bong. sine v. l., Goth.: *cauponas.*

C. VIII. § 2. Servari potest: *Scytharum regina;* hac enim vocabulorum collocatione etiam tum utuntur, quando duorum verborum notiones arctissime coniungendae sunt, ubi nos: *Scythenkönigin.*

§ 4. Sic etiam Bong. e suis.

§ 8. Verum est quod ad h. l. animadvertitur et perquam accommodate ad narrationis vigorem aeque ac veritatem hac temporum mutatione Iustinus saepissime utitur; sed aliae causae hic rectum esse suadent quod ante legebatur: *interficit.*

§ 9. Defendi poterat lectio antiqua: *dolendum.*

§ 14. Bongars. praetulit: *annos*, quod tutius h. l. relinquitur. In Gronovianis quoque omnibus haberi videtur.

C. IX. § 4. 1 Bong.: *Smergim.*
§ 7. Lege: *Cometem.*
§ 8. *in femur* omnes Gronov., Crac., nescio quot Bongarsii, non tamen omnes, ut crediderunt I. Fr. Gronovius h. l., Schraderus ad Musaeum p. 268 al.; Bong. enim in textu: *in femore.*
§ 9. Bong.: *Oropastem;* aliquot eius: *Oroposten;* al. *Oropaston.*
§ 13. Bong.: *indulgentia et l.* — Mss. B.: *Hostani.*
§ 14. *Coniecturis* relinquendum esse videtur.
§ 17. Verum erat: *dormienti caput.*
§ 23. Lege: *ita reg.*

C. X. § 15. Bong.: *Zophyrus.* — Retinendum est quod legebatur: *praecidi.*
§ 19. Lege: *hortatur non moen.*, cum Bong., cuius unus tantum: *ne*, ut recentes libri. Gronov. in talibus saepe nihil enotavit.
§ 22. Lege: *At postremo.*

Lib. II. C. I. § 11. Lege: *animalia quoque g.*, arguente verborum collocatione.
§ 12. Distingue: *variata.*
§ 14. De voce *illuvies* v. Beneck.
§ 19. *in Maeotim, tum d.*] „Mss.: *in mare utim d.;* al.: *in maeotim;* al.: *in mareothim;* al.: *in matre eutim;* al.: *in mare intrent;* al.: *in Maeotiam d.*“ *Bong.* Edd. vett. quaedam: *in Maeotida tum d.*
§ 20. Bong. sine v. l.: *tot regum seculorum cura* cett.; paullo post omittit *coli.*

C. II. § 1. Restitue: *et ab altero.* Bong.: *Riphaeis.* Eius mss. fort. omnes, coll. C. C: *Ithasi*; chron reg. Pantaleon. p. 702: *Ytasi.*
§ 6. Lege: *sine tecti munimento*, quod in omnibus Bong. est praeter unum. Fortasse etiam verum est: *pecora et alimenta hab.*, licet in uno tantum Bong. esse videatur; ubi enim correctio corruptiove facilior? *Superesset* bene tuitus est Beneck., q. v.
§ 11. Bong. contra reliquos codd. omnes: *et abstin.*

C. III. § 7. Dele: *codd.*
§ 13. „*Med. et alii boni*“, imo 5 maxime interpolati Gron.; quare *addidicisset*, Graevio quoque probatum, debet retineri. Paullo post Bong. voc. *trepidus* omittit, quippe in uno tantum suorum inventum; praeterea 3 Angl. habent, Goth. et al. recc.; suos Gron. non indicavit.

C. IV. § 1. *Plinos* nullus Bong.; unus: *Phinos.* Bong.: *Scolopitus;* unus ei.: *Scolap.;* nonnulli Gronov.: *Scolpitos.*
§ 3. Codd. tamen nescio quot Bong.: *Themiscirios.*
§ 6. Non est cur mutemus: *se tuentur.*
§ 11. Restitue: *dictae sunt.*
§ 12. *alternis*] Bong., meliores Gron.: Leid. 4, Reg., coll. C. C., ed. Rom.: *alterno* (unde Leidd. 3. 5, 1 Bong., Crac.: *alternos*); quod similia tuentur; et Iustini aetate in usu fuisse non est cur neges. Prag.: *alterne.*
§ 23. Addit Bong. ut in melioribus inventum: *sorores captae sunt.*
§ 26. Dele verba *in ultionem*, ut me voluisse adnotatio ostendit; deest in 6 melioribus Gronov. V. Graev. et Beneck.
§ 28. 1 Bong.: *Panasogorum;* al.: *Panasagoram.*
§ 32. Relinquendum erat: *demum.*
C. VI. § 1. Mss. Bongars.: *quae effectu.* In ed. ei. deest vox: *gentes.*

§ 8. Bong.: *Athis;* in quo 5 ei. codd. varie turbant.
§ 12. *Eleusina* v. quomodo tueatur Beneck. p. 44.
§ 14. Bong. h. l.: *Medo*, sed idem XLII, 2, § 16: *Medius.*

C. VIII. § 5. *Dorienses* vel *Dorenses* reponendum erat, ut Iustini error. Nescio an *Dorenses* verius sit quam quod editur: *Doriens.*
§ 10. Cf. Clintoni excurs. alter ad *Fastos Hellen.* p. 218 sqq. Krueg., cuius libri usus nunc primum mihi conceditur.

C. IX. § 1. Reduc: *eius.* Quod receperamus lectoribus Iustini videtur deberi, qui hoc magis ex more eius esse iudicarent.
§ 9. Bong.: *in campos Mar.;* sed nescio quot ei. codd., ut restituimus.

C. X. § 1. *restaur.*] Cf. etiam Beneck.
§ 2. *dedit*] 1 Bong.: *assignaret;* al., coll. C. C.: *assignarent.*
§ 4. Lege: *Artemenem;* § 9: *Artaphernem; Xerxem*, ubique! Vid. Beneck. p. 50 sq.
§ 10. Repone: *invicem munera.* Fort. scribendum: *iucundaque*, permutatione solita.
§ 12. Lege: *quinquennium*, sine praepos.
§ 13. Simillimam rem narrat Gellius XVII, 9, collatus a Torkil. Baden in Seebodii: *Neues Archiv f. Phil. u. Paed.* 1830. Nr. 16. p. 124.
§ 20. not. l. 7: *indicia.*

C. XI. § 9. Bong.: *Leonida;* eius mss., ut edidimus.

C. XII. § 6. *Duo* tantum in Gronov. sunt, quibus aliqua fides haberi potest: Leid. 2, coll. C. C.; sed res hic loquitur.
§ 9. Restitue: *sed cum diis.*
§ 25. Lege reliquis deletis: coll. C. C., Bodl., Periz., 3 Dorvill.: *ceteris.*

C. XIII. § 2. Bong., ut edd. vett.: *H. ut in r.*
§ 10. Beneckius *rerum var. mir.* ad seqq. traxit: *in exiguo latentem n.*
§ 12. Vox *escae* exciderat in Bongg. ob praeced. vocem.

C. XV. § 2. Bongars. in textu: *recte rep.*, e paucioribus codd.: *recte put.*
§ 4. Bong. ex omnibus suis: *Lacedaemonem*, quod restituendum; nam illud Graecum in nullo cod.
§ 7. Scribe: *Athenis.*
§ 15. Coll. C. C.: *ponticos.*
§ 18. Bong.: *Cimonem;* ei. mss.: *timon Ath.*
§ 20. Bong.: *diligentium*, ut edd. vett., e duobus tantum afferens: *delig.*

Lib. III. C. I. § 1. Bong.: *in Graecia*
§ 3. Scribe: *Artaxerxem*, ubique.
§ 8. Bong.: *ipse Art.*, sine *et.*
§ 9. Hi 6 Gronov. interpolati sunt omnes.

C. II. § 3. Mss. Bong.: *trahere;* unde unus: *traxere.*
§ 5. Vide de his multis agentem Io. Fr. Ebertum *Σικελιῶν*, V. I. P. I. p. 91 sqq.
§ 8. In 4 Gronn. duo fide digni, Leid. 3 et 4.
§ 9. Bong.: *firmavit*, ex uno afferens *formavit.* Ita plane XIII, 2, § 4.

C. III. § 5. *Permisit*] Hoc ex uno tantum Bong.; ipse cum edd. vett. praeter Rom.: *permissum*, quod vicissim ex uno suo produxit Gronovius, e coll. N.

§ 8. Lege: *uxores eligerentur;* vulg. est e 6 interpolatis Gron.

§ 12. Lege: *Lacedaemonem*, ut mss. omnes.

C. IV. § 1. Mss. aliquot Bong.: *Messenis* et *Messenorum.*

§ 8. „*ad annos triginta*: quippe qua aetate, si ingenui essent, ad reipublicae munera accedere poterant; v. *Doriens.* V. II. pag. 87. 502.“ *C. O. M.*

C. V. § 2. Restitue: *captae civitatis*, ut Bong. e suis omnibus praeter unum, Crac., Goth. ac Gronoviani fort. omnes.

§ 9. Mss. Bong., Franecq., al.: *cui interveniens T.*

C. VI. § 3. Codd. Bong.: *supervacuaneos.*

§ 9. „*aequo Marte utrimque discessum.* Accedit igitur Iustinus ad Pindari testimonium de incerto exitu pugnae ad Cecryphaleam; v. Dissenum ad Pyth. VIII. p. 280.“ *C. O. M.* Quem v. *Aegineticis* p. 177.

§ 10. „Non erat vituperandus Iustinus; Thucydide auctore Messeniacum bellum continuatum est ad Ol. 81, 2 [455], pugna vero ad Tanagram iam Ol. 80, 4 acciderat.“ *C. O. M.*

§ 12. Lege *Periclem* et *Sophoclem;* illud Gronov. e 6 suis, in quibus tamen Leid. 1 et 5. — In nota pro 439 dicendum esse 440 me monuit C. O. M. De re v. etiam Boeckhium in *Abhandl. der Berl. Acad., hist. Kl.* 1826. p. 46 sqq. 225 sqq.

§ 13. „Insulae enim Samos, Lesbos, Chios, oppida et agros in Asiae litore possidebant.“ *C. O. M.*

C. VII. § 2. De lectione sane dubitari potest; rem v. ap. laudd. Clintoni *Fast.* p. 64 Kr.

§ 4. Bong.: *Periclis;* unus ei.: *Pericli;* v. Gron. et Beneck. Sic et § 7.

§ 15. Dele voc. *ipsi*, quam in uno tantum invenit Bong.; primum apparet in recentissimis; rhetor subtilitatem in opponendo quaesivit.

§ 16. Illi Gronov. interpolati sunt praeter Leid. 1 et coll. C. C., qui et ipsi non plane integri.

Lib. IV. C. I. Conferendus erat cum hoc cap. Pseudo-Aristoteles *Auscultt mirab.* c. 142.

§ 9. Bong.: *videntibus;* quod restituendum; *vis.* 2 Bong., 5 interpolati Gron.

§ 13. Lege: *Charybdim.*

§ 15. Verba: *terrae diff. nutr.* in vett. Bong. desunt.

C. III. § 4. Mss. Bong.: *Cathenienses.*

C. IV. § 8. Servari poterat: *belli iam inclin. st.*

§ 11. Scribe: *Demosthenem.*

C. V. § 5. „*vett. edd.*“ i. e. Ald. et Iunt.

§ 6. Sed *fuerant* in textu Bong. legitur.

Lib. V. C. I. § 3. Hic Bong. etiam *Lacedaemona*, ut c. 7, § 2.

§ 7. Lege: *Tisafernem*, ut c. 2, § 5.

§ 10. Bong. hic haud dubie e codd. suis omnibus.

C. II. § 13. Lege: *professi sunt*, quod male mutatum est ab omnibus.

C. III. § 8. Bong.: *nequivissent.*

C. IV. § 6. Bong., ut mss. Modii: *imperio A. addicit* (unus tantum: *adicit* i. e. adiicit), quod ab Iustino scribi potuisse arbitror.

§ 9. Lege: *Alcibiadem*, ut c. 5, § 2. 4.
§ 13. Mss. Bong., coll. C. C.: *omnes*.
§ 18. 6 Gronov. omnes interpolati.

C. V. § 2. Bong.: *securus;* ex uno tantum affert: *securius*. Illud verum esse videtur. Goth.: *securos*.

C. VI. § 10. Mss. Bong.: *Cyprum*.

C. VIII. § 3. Bong.: *Quibus malis rebus A.;* sed mss. ei. om. *reb*.

§ 7. Corrige: annum 404, Ol. 93, 4; et falsus est primus annus imperii Dionysii; scr.: Ol. 93, 3, vel 406 Decembri mense; v. Clinton. *Fast*. p. 88 Kr.

§ 13. Lege *Artaxerxem*, ut c. 11, § 7.

C. IX. § 2. 1 Bong., Bodl.: *Pyrameni*.

§ 7. *crudelis* 5 interpolati Gron.; v. Gronov. p. 992.

§ 9. „*a proavo*; imo a patre, ex testimonio etiam Plutarchi h. l. laudati, si recte distinguitur." *C. O. M.*

C. X. § 6. Lege: *Sic Bong.*

C. XI. § 7. Lege: *E. forte temp.*, ob § 6. 7.

Prologo VI subiice: * *Hercyllide* vel *Herculide*.

Lib. VI. C. I. § 2. Legendum: *Tisafernem*.

C. II. § 2. Lege: *modiûm*.

§ 7. Bong.: *Postquam*.

§ 14. Idem: *delabi;* eius mss : *dil*.

C. III. § 3. not. l. 5 scribe: *Codd. Bong.*, *omnes Mod.* cett. Bong.: *non tam duc.* cett. Torkil. Baden voc. *tam* delendam censet.

C. IV. § 13. Imo interpolati 5, unus Bong.

C. V. § 2. Scr.: *Iphicratem*.

C. VI. § 5. Pro 363 scribe: 367.

C. VII. § 7. not. l. 5 scribe: *Lacedaemoniorum*.

Lib. VII. C. IV. § 3. Haec e testimoniis veterum copiose exposuit Clinton. *Fast. Hell.* p. 238 sqq. Krueg. — § 1 scribe *Xerxem;* c. 3, § 7: *Bubarem*.

C. V. § 3. Cf. Clinton. *Fast*. p. 244.

Lib. VIII. C. IV. § 9. not. l. 5: *imperantis;* l. 6: *gratiae*.

Lib. IX. C. II. § 1. Mss : *Mattheas* vel *Metheas*.

Lib. XI. In hoc ac seq. libro *Commentario geographico in Arrian. exp. Al. auctore P. O. van der Chys* (L. B. 1828. 4) mihi carendum erat.

C. IV. § 9. Interpretare: *non ex ementium commodo* contrahitur, *sed ex inim. odio extenditur*, ex quo verbum debilius in priore membro supplendum. Burmann. ad Lotich. p. 9.

Lib. XIII. C. IV. § 21. not. l. 2: lege: *Crateuae;* eodem modo ad c. 8, § 10, l. 6 a fin.; utrobique per errorem typ : *Cratenae*.

Lib. XIV. C. III. § 1. not. extr.: *Copatrem*.

Lib. XV. C. IV. § 13. De nomine v. omn. Bayerum in *hist. regn. Bactrian*. p. 32 sqq.

[Haec sero ad me mittebantur. *Librarius.*]

Prolog. XII. not. 3. *Uterque* exstat in codd. omnibus Bong.

Liber XII. C. I. § 3. Ante Bong. legebatur: *ex victoria nuper cong.:* qui „e vestigiis, inquit, scripturae veteris odoratus sum leg.: *Ecbatana cong.* Vett. enim habent: *et batanu cong.;* quidam: *ex cbatanu;* alii aliter.“ Et in V. L. idem: „MS.: *ex Ecbatana nuper con.;* al.: *exhibita nuper cong.;* al.: *haec batanus cong.* Unde τὸ nuper, quod est in textu nostro, delendum omnino censeo.“

Ib. § 4. *Sopyrionis.* Haec nota ad II, 3, § 4. retrahenda est. Adde p. 339.

C. X. § 5. Tamen *quatinus* scribendum videtur, ut dixi alio loco.

C. XIII. § 1. Dele haec: *quod praeferendum duco.*

Liber XIII. C. IV. § 11. Nuperrime tamen *Fridericus Osann* verisimile admodum reddidit Cleomenem Naucrate oriundum condendae Alexandriae praefuisse. (*Kunstblatt* 1830. Octob. Nr. 84.)

Liber XV. C. IV. extr. Cassander mortuus est Ol. 121, 1. vel 296. e rationibus Clintonis *Fast.* p. 190. 251. Kr.; de nostra v. eund. p. 194.

Liber XVI. C. I. § 18. Scribe: 294.

Liber XVII. C. I. § 10. V. quaestiones Clintonis *Fast.* p. 253 sq.

Liber XVIII. C. VI. § 5. Non expellenda erat lectio: *sua et urbis f.*

Liber XX. C. I. § 13. not. lin. 14. lege *quum* pro *quam.*

C. IV. § 14. not. lin. 11.: *nescio quot Bong.*, deleta distinctione.

Liber XXI. C. III. § 2. not. lin. 7.: *Angeli Maji* pro *Aug.*

Liber XXII. p. 243. lin. 11. a fin. scribe: *paganos.*

Liber XXXI. C. I. § 1. not. lege: *ut 7 Gron.* pro *Bong.*

Liber XXXVIII. C. VIII. § 13. lege *Memphitem* pro *Memphilem.*

Liber XXXIX. *Prologi* not. 7. Longuerrii est.

Liber XLI. C. III. § 3. not. lege *Pogone* pro *Pagone.*

Liber XLII. C. III. § 5. not. lege *lateant* pro *latent.*

Codicum Indici adde: *Duisburgensem*, quem contulerat Drakenborchius.

IUSTINI HISTORIARUM PHILIPPICARUM EX TROGO POMPEIO LIBRI XLIV.

PRAEFATIO
IUSTINI.

Cum multi ex Romanis, etiam consularis dignitatis viri, res Romanas Graeco peregrinoque sermone in historiam contulissent: sive aemulatione gloriae sive varietate et novitate operis delectatus, vir priscae eloquentiae, Trogus Pompeius, Graecas et totius orbis historias Latino sermone composuit, ut, cum nostra Graece, Graeca quoque nostra lingua legi possent: prorsus rem magni et animi et operis adgressus. Nam cum plerisque auctoribus singulorum regum vel populorum res gestas scribentibus opus suum ardui laboris videatur, nonne nobis Pompeius Herculea audacia orbem terrarum adgressus videri debet, cuius libris omnium saeculorum, regum, nationum populorumque res gestae continentur? et quae historici Graecorum, prout commodum cuique fuit, inter sese gregatim occupaverunt, omissis quae sine fructu erant, ea omnia Pompeius divisa temporibus et serie rerum digesta composuit. Horum igitur quatuor et quadraginta voluminum (nam totidem edidit) per otium,

1
manas Graeco peregrinoque sermone in historiam contulissent: sive

---

§ 1. Intelligit *L. Cincium Alimentum*, (*Acilium*,) *A. Postumium Albinum*, *P. Rutilium Rufum*, *C. Iulium* senatorem [v. Livii epit. LIII.], *Cn. Aufidium* praetorium, *Ciceronem*, alios, de quibus singulis vide quos laudat *Baehr*, *Geschichte der Röm. Lit.* p. 257 sqq.

et operis] Sic recte editur e coni. I. Fr. Gronovii; v. exempla apud Graev. et Buenemann. ad Lactant. Inst. I, 1, 20. E codd. quidem nulli nisi interpolati hanc lectionem offerunt, Gud., coll. N., Cracov., edd. Ald. et Iunt., sed inveniuntur vel inter recentissimos codd., qui hic illic secundum vetusta exempla, non ex ingenio et arbitrio correcta sunt, sicut Helmstadiensis Terentii. Ceteri satis ineleganter: *et corporis*, quod post inventam veram lectionem eadem specie Wetzelium decepit, qua pridem librarios.

§ 3. *inter sese gregatim*] Sic pauci codicum et vett. edd., sed plerorumque vestigia eo ducunt. Sententia haec est: Quae historici Graecorum multi (*gregatim*) tractaverunt ita divisis inter se rebus, ut quisque scriberet quas maxime luberet, ea omnia unus vir, Pompeius, in suo opere prudenter digesta comprehendit.

omissis — erant] Haec verba structura superioribus, sententia insequentibus accedere iubet. Quare I. Fr. Gronov. coniecit: *admistis*, *quae* cett. praeclare! erat hoc Romanorum de Graecis iudicium. Malim tamen ob seq. §, ubi eadem repetita sunt, totum membrum delere.

A 2

quo in Urbe versabamur, cognitione quaeque dignissima excerpsi,
et omissis his, quae nec cognoscendi voluptate iucunda nec exemplo
erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci, ut haberent
et qui Graeca didicissent, quo admonerentur, et qui non didicissent,
5 quo instruerentur. Quod ad te non cognoscendi magis quam emen-
dandi causa transmisi, simul ut et otii mei, cuius et Cato redden-
6 dam operam putat, apud te ratio constaret. Sufficit enim mihi in
tempore iudicium tuum, apud posteros, cum obtrectationis invidia
decesserit, industriae testimonium habituro.

---

§ 4. *versabamur*] Inepte quidam e coll. N.: *versabar;* an solus Iustinus otio urbano fruebatur? nemo ex amicis eius et aequalibus studiorum?

§ 5. Edd. plurimae: *Quod ad te, imperator Antonine, non* cett.; sed nulli codd.; unus Cracov.: *Ad te, imperator, non* c. Vide praefat. — Codd. fere: *non tam cognoscendi magis;* sed recto iudicio *Vossius* (*de histor. lat.* I, 32) voc. *tam* delevit; abest a Med. a pr. m., Leid. 3, Crac., Prag. Th. Wopkens primum in Miscell. Obss. Vol. X. p. 25, deinde ad h. l.: *non iam cogn.*, ut Dorv. 1.

ut et otii — constaret] Sic codd. uno Mediceo excepto omnes, nisi quod Bong. Mss.: *in te*, non *apud*, mire. Raram locutionem: *operam reddere*, recte explicat I. Fr. Gronovius ad Liv. III, 63, § 3, quem nemo, ne nepos quidem ipsius, h. l. respexit: *Putat*, inquit, *ita exigendum otium*, *ut etiam*, *quod per illud feceris*, *opus appareat*; cf. praeter alia ab ipso commemorata Cic. ad Attic. XV, 13: *Exstabit opera peregrinationis huius.* Neque tamen haec ita accipienda sunt, ut cum Graevio *opera* dictum statuas pro *opus*. Catonis apophthegma a Cicerone servatum est, *pro Planc.* 27: „*Etenim M. Catonis illud*, *quod in principio scripsit Originum suarum, semper magnificum et praeclarum putavi: Clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem exstare oportere.*“ unde Columella II, 22: „*Tam otii quam negotii rationem reddere maiores nostri censuerunt.*“ Quibus verbis inhaerentes, cum non intelligerent quid sit *reddere operam alicuius rei*, dudum auctore Fabro reposuerunt: *ut et otii mei*, *cuius et Cato reddendam rationem putat, apud te opera constaret*, quae vulgata lectio facta est. Cod. Med.: *reddendam rationem p.*, *opera apud te constaret*, h. l. castigationem passus esse videtur. Ut aliorum sententias praeteream, speciosa primo aspectu est *Wetzelii* ratio ita scribentis: *ut et otii mei*, *cuius et* [quam vocem omittit Goth.] *Cato reddendam putat*, *apud te ratio constaret;* sed dici debebat: *quam Cato redd.*, non *cuius.*

§ 6. *in tempore*] Sic recte codd. paene omnes; nam *hoc* suppleri hic melius quam apponi senties et posse suppleri ostendit Wopkens. Edd. vett.: *in hoc tempore*, quod cum legatur in Med. a sec. m., Magl. et duobus aliis de interpolatione maxime suspectis, vulgo receptum est.

IUSTINI
HISTORIARUM PHILIPPICARUM
ET TOTIUS MUNDI ORIGINUM
ET TERRAE SITUS
EX
TROGO POMPEIO
LIBER I.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS I.*)

Primo volumine continentur haec. Imperium Assyriorum a Nino rege ad Sardanapalum. Post quem translatum est [1]) per Arbactum [2]) ad Medos, usque ad ultimum regem Astyagen. Is a nepote suo Cyro pulsus regno: et Persae regno potiti. Ut Croeso Lydiae regi bellum intulit Cyrus, victumque cepit. Hic in excessu dicti Aeolicarum et Ionicarum urbium situs, originesque Lydorum et in Italia Tuscorum [3]). Post Cyrum filius Cambyses Aegyptum domuit. Repetitae Aegypti origines [4]) [urbium]. Extincto Cambyse, Darius occisis Magis regnum Persicum accepit captaque Babylone bella Scythica molitus est.

---

[1]) Haec vox ob structuram delenda esse videtur.

[2]) Sic Bongars., Crac. et plures sine dubio codd., ut in Iustino. In vulgatis correxerunt: *Arbacem;* cf. ad c. 3, § 2.

[3]) Ea omnia, quae hic *in excessu* Pompeius narraverat, Iustinus omisit.

[4]) Has etiam Iustinus praeteriit. Vocem *urbium* Guil. Henr. Grauert, qui a. 1827 Monasterii hos prologos edidit, et ob collocationem verborum et ob morem huius epitomatoris recte seclusit. Specta ipsam rem: quam multa de terrae situ, originibus, moribus et institutis referri poterant, tam pauca de singulis urbibus Aegypti.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Assyriorum prima monarchia sub Nino.*
2. *Semiramidis a filio tandem interfectae imperium.*
3. *Postremus Assyriorum rex Sardanapalus.*
4. *Medorum monarchia sub Astyage, Cyri avo.*
5. *Cyri pueritia, adolescentia; et Harpagi ad Cyrum admonitio.*
6. *Soebaren belli comitem Cyrus nobili praemio donat et Astyagen regno spoliat.*
7. *Idem Croesum vincit et Lydos debellat ac sub iugo astute retinet. Candaulis tragoedia.*
8. *Bellum Scythicum, in quo initia Cyro felicia, finis autem luctuosissimus.*
9. *Cambyses Cyro succedit et suomet gladio conficitur. Legitimo herede Smerdi sublato Magi rerum potiuntur. Ostanes aliorum principum opera adiutus Magos de medio tollit.*
10. *Darius ex equi hinnitu servi industria fit tertius Persarum rex; Cyri filiam in matrimonium recipit; Babyloniam obsidet.*

---

1 I. Principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat; quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis,
2 sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Populus nullis le-
3 gibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant. Fines imperii tueri magis quam proferre mos erat: intra suam cuique patriam
4 regna finiebantur. Primus omnium Ninus, rex Assyriorum, veterem et quasi avitum gentibus morem nova imperii cupiditate muta-
5 vit. Hic primus intulit bella finitimis et rudes adhuc ad resistendum
6 populos terminos usque Libyae perdomuit. Fuere quidem temporibus antiquiores *Sesostris* * Aegypti et Scythiae rex Tanaus: quorum

* *Vexores.*

C. I. § 1. *penes reges*] Communis erat veterum persuasio, *omnes antiquas gentes regibus quondam paruisse* (verba *Ciceronis*, de Legg. III, 2.). V. praesertim Aristot. Polit. I, c. 1. fin.

§ 4. *gentibus*] Sic quos novi codd. et codd. vestigia cum Augustin. de civ. d. IV, 6; Gronov. tamen e duobus modo, coll. N. et Periz., hanc lectionem affert et in textu *gentium* habet, ut vett. edd. praeter Rom. Frotscherus nescio quomodo in recensione Gronoviana ab ipso recusa: *gentibus*.

§ 6. *Vexores*] Sic codd. plurimi et vetustiss. edd. hic et II, 3, § 8; quidam *Vezores* (cod. Fr. Fabr. et Prag. *Vizores*), *Vexosis*, *Suexosis* cett. Goth. *Vesois*, *Vexois*. Similiter chronographi medii aevi, qui Iustinum exscripserunt: Oros. (v. Fabr. et Haverkamp. ad I, 14, 1.), Otto Fris., Gotfr. Viterb.: *Vesores*, ut Crac.; Freculph. saepe: *Vesozes;* Gobelin. Persona: *Vesosis*, ut Iornandes de reb. Get. c. 6. fort. ex ipso Trogo. Ceteros omitto. Dubium non est, quin nobilissimus ille *Sesostris* intelligatur: cuius no-

alter in Pontum, alter usque Aegyptum excessit; sed longinqua, 7
non finitima bella gerebant, nec imperium sibi, sed populis suis
gloriam quaerebant, contentique victoria imperio abstinebant: Ni-
nus magnitudinem quaesitae dominationis continua possessione fir-
mavit. Domitis igitur proximis, cum accessione virium fortior ad 8
alios transiret et proxima quaeque victoria instrumentum sequentis
esset, totius Orientis populos subegit. Postremum illi bellum cum 9
Zoroastre, rege Bactrianorum, fuit, qui primus dicitur artes ma-
gicas invenisse et mundi principia siderumque motus diligentissime
spectasse. Hoc occiso et ipse decessit, relicto impubere adhuc filio 10
Ninya et uxore Semiramide.

II. Haec nec immaturo ausa tradere imperium nec ipsa palam 1
tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter uni viro, nedum femi-
nae parituris, simulat se pro uxore Nini filium, pro femina puerum.
Nam et statura utrique mediocris et vox pariter gracilis et lineamen- 2
torum qualitas matri ac filio similis. Igitur brachia ac crura vela- 3
mentis, caput tiara tegit; et ne novo habitu aliquid occultare vide-

---

men quia etiam apud Graecos variis modis scribebatur, tot testimoniorum consensum in *Vexores*, *Vesores* vel *Vesosis* spernere religioni duximus. Ad *Vesosis* proxime accedit *Is. Vossii* *Sesosis* vel *Sesoosis*, et sic fortasse Suetonius in libro *de regibus* (v. Auson. epist. 19.). Theopompus tamen, unde pendet Trogus, in tertio libro τῶν Φιλιππικῶν (v. schol. Apollon. Rhod. IV, 272.) Σέσωστριν eum appellaverat, quod editores Iustini restituerunt. — Praeterea a quo auctore temporum haec ratio, alienissima a vulgari, primum profecta fuerit, satis certo invenire mihi non contigit; probari autem vel excogitari debebat ab iis, qui Scythas olim Asiam diu (v. II, 3, § 17.) vectigalem possedisse et Sesostridis expeditionibus primum ad bella vocatos esse statuebant: quibus gestis locus sane dari non poterat in noto Asiaticae historiae tenore. Praeter Iustinum *Agathiam* quoque Sesostrin antiquiorem facere Nino, testis est Iac. Perizonius in *Origg. Aegypt.* 9. p. 133, sed locum in nova ed. Agath. non inveni.

Tanaus] cui regi *Tanaim* fluvium nomen, imo originem dedisse probabile est. Interpretes eum temere pro *Targitao* Herodoti (IV, 5) habuerunt. Codd. plurimorum lectionem firmat Isidorus et reliqui chronogr.; quidam, ut Crac., Goth., Prag.: *Tanais;* Iornandes *Tanausin* vocat. I. Fr. Gronovius: *Scythiae r. Iandus* (Ἰάνδυσος) ex Arriano in Parthicis ap. Phot. Cod. LVIII. — Vide ad II, 3.

§ 9. *illi bellum*] *bellum illi* codd. Bong., Crac., Goth.

Zoroastre] Sic Ctesias libro I, unde haec petita sunt, apud Arnob. adv. gentes I, 52 coll. 5. (*Fragmenta Ctesiae* ed. *Baehr*. p. 405.), cuius testimonium nostro loco insigniter confirmatur, neque sane a Salmasio et Meursio (ad Arnob. p. 344. Orell.) tentatum et a Wesselingio in dubium vocatum fuisset, si Iustinum contulissent. E Ctesia in Eusebium, inde et ex nostro loco haec in omnia fere Chronica transierunt. (Cf. *Rhodium*, *die heilige Sage* cett. p. 132.) Turbavit Diodor. II, 6. qui et ipse Ctesiam exprimit, sed regem Bactrianorum Ὀξυάρτην vocat; incertum tamen id nomen ibi esse, codd. lectiones ostendunt; multo minus Pridosio (*Prideaux*) credimus, in Iustini quibusdam Mss. *Oxyatre* legi.

C. II. § 1. *immaturo*] Permulti libri, in quibus Med.: *imm. puero.*

§ 3. *velamentis*] Sic, ni fallor, codd. Gronov. praeter tres, Crac.,

retur, eodem ornatu et populum vestiri iubet: quem morem vestis
4 exinde gens universa tenet. Sic primis initiis sexum mentita puer
5 esse credita est. Magnas deinde res gessit; quarum amplitudine
ubi invidiam superatam putat, quae sit fatetur quemve simulasset.
6 Nec hoc illi dignitatem regni ademit, sed admirationem auxit, quod
7 mulier non feminas modo virtute, sed etiam viros anteiret. Haec
Babyloniam condidit murumque urbi cocto latere circumdedit, are-
nati vice bitumine interstrato, quae materia in illis locis passim e
8 terra exaestuat. Multa et alia praeclara huius reginae fuere: siqui-
dem non contenta adquisitos viro regni terminos tueri, Aethiopiam
9 quoque imperio adiecit. Sed et Indis bellum intulit, quo praeter
10 illam et Alexandrum Magnum nemo intravit. Ad postremum, cum
concubitum filii petisset, ab eodem interfecta est, duo et quadra-
11 ginta annos post Ninum regno potita. Filius eius Ninya contentus
elaborato a parentibus imperio belli studia deposuit et veluti sexum
cum matre mutasset, raro a viris visus in feminarum turba consenuit.
12 Posteri quoque eius id exemplum secuti responsa gentibus per inter-
13 nuntios dabant. Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille
trecentis annis tenuere.

1 III. Postremus apud eos regnavit Sardanapalus, vir muliere
2 corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum permissum
fuerat) praefectus ipsius Medis praepositus, nomine Arbactus, cum

---

Goth., assentiente etiam Brissonio, *de regno Pers.* II. p. 253. Sed codd. nonnulli Bong. et Salmas., Vincent. Bellov.: *calciamentis*, quod Salmasius ad Spartian. Alex. 40. p. 976 (coll. ad Treb. Poll. Gallien. II, 16.) tuetur et explicat: feminalia et tibialia, sed sine exemplo. Isidor. Origg. XIX, c. 23: *liniamentis*.

§ 7. *arenati vice*] Sic scripsi ex Salmasii coni. certissima, prodita in Exercitt. Plin. p. 1228. Codd. meliores: *arenae vice*. Ald., Iunt.: *arenae et calcis vice*, quod Barthius ad Gallum p. 65 confirmari putat loco Vitruvii I, 5: *Non enim uti Babylone abundantes liquido bitumine* p r o c a l c e e t a r e n a *et ex cocto latere factum habent murum.* Ceteri codd. et edd.: *arena*, *pice*, *bit.*

§ 9. *Indis*] Sic codd. Bong., plerique Gronoviorum, Crac., Goth., Prag., edd. vett. Vulgo: *Indiae.*

§ 10. *concubitum filii petisset*] Unum novi, cui hic cum Iustino plane conveniret, Agathiam II, 24. p. 62, sed fontem non inveni. De libidine tamen Semiramidis Ctesias consentit (nam quae Diodorus II, 13 narrat: ἐπιλεγομένῃ δὲ cett. e Ctesia petita esse testatur Syncellus apud *Baehr.* p. 405.); sed obitum feminae aliter retulit; v. Diodor. II, 20.

quadraginta] Sic unus tantum Bong., Crac. et fort. aliquot Gronov., edd. vett., ut Ctesias l. l.; certam plurimorum codd. et Vinc. Bellov. lectionem: *triginta* scribarum antiquo errori tribuere quam cum Graevio servare maluimus.

§ 13. *mille trecentis*] Ita Ctesias; veterum alii aliter, quorum dissensum quomodo docti explicare et componere studuerint v. apud *Baehrium* ad Ctesiam p. 419 et laudd. ibi. Attende tamen ill. N i e b u h r i i iudicium in *kleine hist. u. philol. Schriften* p. 210.

C. III. § 2. *Arbactus*] Sic codd. omnes, ut in prologis etiam restituimus;

admitti magna ambitione aegre obtinuisset, invenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem et muliebri habitu, cum mollitia corporis et oculorum lascivia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis indignatus tali feminae tantum 3
virorum subiectum tractantique lanam ferrum et arma habentes parere, progressus ad socios quid viderit refert: negat *se ei parere posse, qui se feminam malit esse quam virum.* Fit igitur coniuratio; 4
bellum Sardanapalo infertur. Quo ille audito non ut vir regnum defensurus, sed, ut metu mortis mulieres solent, primo latebras circumspicit, mox deinde cum paucis et incompositis in bellum progreditur. Victus in regiam se recepit; ubi exstructa incensaque pyra et 5
se et divitias suas in incendium mittit: hoc solo imitatus virum. Post 6
hunc rex constituitur interfector eius Arbactus, qui praefectus Medorum fuerat. Is imperium ab Assyriis ad Medos transfert.

IV. Post multos deinde reges per ordinem successionis regnum 1
ad Astyagen descendit. Hic per somnum vidit ex naturalibus filiae, 2

Oros. et chronogr. plerique: *Arbatus*, alii *Arbactus*. Vulgo ex emendatione *Arbaces*, ut ceteri scriptores.

purpuram] Permulti codd., etiam Goth.: *purpuras*, fortasse vere.

§ 3. *habentes*] Sic omnes Mss. Bong., Oxonn., Prag., Crac., Goth. al. et edd. cum Sarisbar. in Policrat., quod qui debile et languidum esse putant, falluntur: *habent*, ut uti eo possint, quandocunque placet. Gronov. de suis nihil refert, sed sequitur quod Bongarsius ex uno Cuiac. restituerat, cui accedit Dorvill. 3: *portantes;* male: nam *arma portare* est vel comportare arma vel ferre posse arma, praeterea nihil; ita tamen plurimae edd. Faber: *tractantes.* Teste Bongarsio vett. omnes praeter Cuiac., Leid. 4 et Sarisbar. *indignatus tali feminae tantum virorum subiectum tractantesque ferrum et arma habentes parere;* (etiam Leid. 3 *lanam* omitt.) sed numerum orationis non ita laedit Iustinus.

§ 5. *recepit*] Sic Mss. Bong., Periz., Goth., edd. Rom., Ven. cum Sarisbar. VI, 14; nec offendet, si rem perpendes; cf. Cort. ad Sallust. Iug. 12, 4 al. Edd. omnes: *recipit.*

§ 6. *interfector*] rhetorica superlatione dictum; simillime Valerius Max. IX, 8, 1: „*Itaque exiguo momento maximae rei casus fluctuavit, utrum interfector an captivus Scipio Syphacis fieret*"; sic enim ibi codd., etiam Gothanus nondum collatus, praeter duos Pighii, splendidiore sententia neque minus recta, quam quae e Gronovii coniectura in optimis edd. recepta prodit. In nostro loco Gronov. in ed. altera ex ed. Rom. et marg. cod. Vat. recepit: *victor.* Wopkens coni.: *praefectus*, deletis seqq.: *qui p. M. f.*

ad Medos] Secutus est Ctesiam, omissa quidem mentione de *Belesi.*

C. IV. § 1. *Post multos deinde reges*] successores Arbacis: *Mandaucen*, *Sosarmum*, *Artycan*, *Abianen*, *Artaeum*, *Artynen*, *Astibaren.* (vid. Baehr. p. 440 seqq.) Ctesiae *Ἀσπάδαν* Graecorum *Astyagen* esse credimus Diodoro, qui in hac re errare non potuit, cum totum opus Ctesiae in manibus haberet; Photius quidem ἐν τοῖς Περσικοῖς *Ἀστυΐγᾶν* eum vocatum testatur: unde apparet sive codices Ctesiae iam tum a correctoribus corruptos fuisse, sive historicum in *Persicis* alio eius regis nomine usum esse atque in *Assyriacis;* nam adulatio Asiaticorum regum nomina saepius mutare solebat, et qui prius *Aspadas*, postea fortasse *Astyïgas* nominatus est. — Ceterum relicto iam Ctesia *Herodotum* sequitur.

quam unicam habebat, vitem enatam, cuius palmite omnis Asia
3 obumbraretur. Consulti harioli *ex eadem filia nepotem ei futurum,*
cuius magnitudo praenuntietur, *regnique ei amissionem portendi* re-
4 sponderunt. Hoc responso exterritus neque claro viro neque civi
filiam, ne paterna maternaque nobilitas nepoti animos extolleret, sed
ex gente obscura tunc temporis Persarum Cambysi, mediocri viro,
5 in matrimonium tradidit. Ac ne sic quidem somnii metu deposito
gravidam ad se filiam arcessit, ut sub avi potissimum oculis partus
6 necaretur. Natus infans datur occidendus Harpago, regis amico et
7 arcanorum participi. Is veritus, si ad filiam mortuo rege venisset
imperium, quia nullum Astyages virilis sexus genuerat, ne illa necati
infantis ultionem, quam a patre non potuisset, a ministro exigeret,
8 pastori regii pecoris puerum exponendum tradit. Forte eodem tem-
9 pore et ipsi pastori natus filius erat. Eius igitur uxor audita regis
infantis expositione summis precibus rogat *sibi perferri ostendique*
10 *puerum.* Cuius precibus fatigatus pastor reversus in silvam, invenit
iuxta infantem canem feminam parvulo ubera praebentem et a feris
11 alitibusque defendentem. Motus et ipse misericordia, qua motam
etiam canem viderat, puerum defert ad stabula, eadem cane anxie
12 prosequente. Quem ubi in manum mulier accepit, veluti ad notam
adlusit, tantusque in illo vigor et dulcis quidam blandientis risus ap-
paruit, ut pastorem uxor ultro rogaret, [*quo*] *suum partum pro illo*

---

§ 6. *amico et*] Haec verba in multis codd. desunt. — Chronogr. multi inde a Freculpho: *Harpalo*, imo iam in vetustis Ammiani Marcell.

§ 7. *virilis sexus*] Goth.: *virilem sexum*, ut loquitur Plinius H. N. X, 55. Idem *vindictam* pro *ult.*

tradit] Gronovius e Med., Magl., Bodl., edd. vett.: *tradidit;* sed illud melius; iunge: *Natus infans datur occidendus Harpago — is veritus — pastori tradit.*

§ 8. *natus filius*] Sic Ms. Bong., Crac., Goth. et sine dubio plures. Vulgo: *fil. natus e.*

§ 12. *in manum*] Faber de coniectura: *in manus*, quem multi secuti sunt, Gronovius eo confidentius, quod hoc ipsum in Leid. 3, coll. N., ed. Rom. invenerat; adde etiam Franecq. et alium apud Wopkens. Sed illa codd. longe plurimorum lectio hac linguae Romanae aetate damnari non debebat, qua plurimae iam locutiones longo usu ita degeneraverant, ut ad res ex parte alienas transferrentur. — Paullo post Bong.: *puer adlusit.*

blandientis] Plurimi codd.: *bland. infantis r.*

[*quo*] *suum partum* cett.] Sic codd. et numero plures et meliores, neque negabit quisquam haec ita explicari posse: pastorem uxor precibus ultro adiit, quibus precibus, sive ut per eas preces suum (uxoris) partum pro illo pastor exponeret. Cui structurae ut similia multa afferri possunt, nondum tamen inveni, quod plane geminum esset. Gronovius part. *quo* cum Leid. 4 [?] omisit; sic Dorv. 2, Crac., Goth.; Dorv. 3 in margine habet. Schefferus: *ut suum* cett. cum 4 codd. Bongarsius verba: *quo — exponeret* et seq. *que* uncis inclusit: qua re significare voluit, „in uno tantum Ms. haec reperta esse eoque non ita probo,“ ut ait in praef.; neque exstant haec, teste Wopk., in Franecq. et Dorv. 2.

*exponeret, permitteretque sibi sive fortunae ipsius sive spei suae puerum
nutrire.* Atque ita permutata sorte parvulorum hic pro filio pastoris 13
educatur, ille pro nepote regis exponitur. Nutrici Spaco postea 14
nomen fuit, quia canem Persae sic vocant.

V. Puer deinde, cum inter pastores esset, Cyri nomen acce- 1
pit. Mox rex inter ludentes sorte delectus cum per lasciviam contu- 2
maces flagellis cecidisset, a parentibus puerorum querela est regi de-
lata, indignantibus a servo regio ingenuos homines servilibus ver-
beribus adfectos. Ille arcessito puero et interrogato, cum nihil mu- 3
tato vultu *fecisse se ut regem* respondisset, admiratus constantiam in
memoriam somnii responsique revocatur. Atque ita cum et vultus 4
similitudo et expositionis tempora et pastoris confessio convenirent,
nepotem agnovit. Et quoniam defunctus sibi somnio videretur agi- 5
tato inter pastores regno, animum minacem dumtaxat in illo fregit.
Ceterum Harpago amico suo infestus in ultionem servati nepotis 6
filium eius interfecit epulandumque patri tradidit. Sed Harpagus ad 7
praesens tempus dissimulato dolore odium regis in vindictae occasio-
nem distulit. Interiecto deinde tempore cum adolevisset Cyrus, do- 8
lore orbitatis admonitus scribit ei, *ut ablegatus ab avo in Persas
fuerit; ut occidi eum parvulum avus iusserit; ut beneficio suo servatus
sit; ut regem offenderit; ut filium amiserit.* Hortatur *exercitum pa-* 9
ret et pronam ad regnum viam ingrediatur, Medorum transitionem
pollicitus. Epistola quia palam ferri nequibat, regis custodibus 10
omnes aditus obsidentibus, exenterato lepori inseritur lepusque in
Persas Cyro ferendus fido servo traditur; addita retia, ut sub spe-
cie venationis dolus lateret.

VI. Lectis ille epistolis eadem somnio adgredi iussus est, sed 1
praemonitus, ut quem primum postera die obvium habuisset, socium
coeptis adsumeret. Igitur antelucano tempore ruri iter ingressus ob- 2
vium habuit servum de ergastulo cuiusdam Medi, nomine Soebaren.

---

§ 14. *Spaco*] Multi codd. et Comestor corrupte: *Spargos*. Herodotus: *Σπακώ*.

C. V. § 1. *cum i.p. esset*] Multi codd.: *cum imperiosus i. p. e.* vel *c. i. p. esset imperiosus;* unus Oxon.: *imperio usus*, quod verum videtur Graevio, „ut causa reddatur, cur dictus sit Cyrus (i. e. *Sol*), cum antea fuerit ei aliud nomen a pastore et eius uxore, a quibus educabatur, impositum.“ Sed ut omittam, eam causam ignorare historicos, sequentia aperte refragantur.

§ 4. *pastoris conf.*] Crac., Goth.: *confessio pastoris.*

§ 8. *ab avo in Persas*] Sic codd. Bong., Crac., Goth. Vulgo e vett. edd. servatum legitur: *in Pers. ab a.* Eaedem edd.: *relegatus*, contra codd. et rem; v. I. Fr. Gronov. h. l.

§ 10. *exenterato*] Codd. Bong. et al. quidam: *exinterato*, ut glossae. *venationis*] Sic edd. vett.; Bongars. et Ms. Goth.: *venatoris;* sed in his error ob compendia facillimus. Reliqui de suis codd. tacent.

C. VI. § 2. *Soebaren*] Hoc Vossius restituit e Ctesiae *Οἰβάρης*, cuius apud Herodotum mentio nulla; similiter *Androcottus* — *Sandrocottus*, *Osthanes* —

3 Huius requisita origine ut in Persis genitum audivit, demtis compe-
4 dibus adsumtoque comite Persepolin regreditur. Ibi convocato po-
pulo iubet *omnes praesto cum securibus adesse et silvam viae circum-*
5 *datam excidere.* Quod cum strenue fecissent, eosdem postera die
6 apparatis epulis invitat; deinde cum alacriores ipso convivio factos
videret, rogat: *si conditio ponatur, utrius vitae sortem legant, he-*
sterni laboris an praesentium epularum? Praesentium ut acclamavere
omnes, ait *hesterno similem labori omnem vitam acturos, quoad Me-*
7 *dis pareant: se secutos, hodiernis epulis.* Laetis omnibus, Medis bel-
8 lum infert. Astyages meriti sui in Harpago oblitus summam belli
9 eidem committit: qui exercitum acceptum statim Cyro per deditio-
nem tradidit regisque crudelitatem perfidia defectionis ulciscitur.
10 Quod ubi Astyages audivit, contractis undique auxiliis ipse in Per-
sas proficiscitur: et repetito alacrius certamine pugnantibus suis par-
tem exercitus de tergo ponit et tergiversantes ferro agi in hostes iu-
11 bet: ac denuntiat suis, *ni vincerent, non minus fortes post terga in-*
venturos quam a frontibus viros: proinde videant, fugientibus haec an
12 *illa pugnantibus acies rumpenda sit.* Ingens post necessitatem pu-
13 gnandi animus exercitui eius accessit. Pulsa itaque cum Persarum
acies paullatim cederet, matres et uxores eorum obviam occurrunt,

---

Sosthanes et alia apud Vossium; adde *Atropates — Satropates* apud Curtium IV, 9, 7. Codd.: *Sybarem;* unus Vossii et VII, 1 unus Bong.: *Sebarem.* Sic pro *Croeso* unus Bong. ubique *Crysus. Soebaren* interim exprimi curavimus, dum permutatio diphthongi *oe* cum literis *i* et *y*, de qua Salmasius ad Spartian. Hadr. p. 216, doctorum opera exploratior erit; cf. *Schneideri* grammat. l. I, 1. p. 82 sq.

§ 4. *adesse*] Plurimi codd. et Bong. sine v. l.: *esse*, quod recepissem, quia magis placet, nisi vetustissimi Fuldenses Bongarsianis simillimi *adesse* tuerentur; unde suspicio est, Bong. vett. edd. lectionem h. l. praetervidisse neque, ut solet, e codd. correxisse.

§ 6. *ponatur*] Sic codd. Bong., 9 Gronovii, Crac., Goth., Prag., rectius quam vulg.: *proponatur;* cf. Gronov. p. 780, Drakenb. ad Liv. XXXIX, 17 al. Paullo ante codd. Bong.: *dein.*

hesterni] 1 Bong., 6 Gron., Crac., Goth.: *hesternine*, mollius.

§ 8. *in Harpago*] Sic codd. omnes apud Gronov., Goth., al., ac per errorem sine dubio Bong. ex *uno* tantum suo profert. Est meriti in Harpago collocati, ut dicimus *peccare in aliquo, gratum esse in bene merito* et alia satis nota. Edd. fere omnes: *in Harpagum*, ut Crac.

§ 9. *per deditionem*] Sic omnes fere codd., integerrime; significat rationem ac formam tradendi. Gronovius ex edd. vett.: *per proditionem*, ut Leid. 5 interpolatus, Oros. et Freculph., qui talia ubique mutare solent.

§ 11. *fortes post terga*] Sic 8 codd. apud Gronov., in quibus optimi eius, 1 Bong., Crac., Goth. Vulgati: *fortes etiam post t.*, ineleganter propter seq.: *quam a front.* — Ceterum quae § 10 — 15 narrantur, neque apud Herodotum (I, 127 sq.) ita legas, neque apud Diodorum IX. p. 46 sq. sive Excerptt. Vales. p. 238, qui breviores sunt in hoc loco. Vel e Ctesia vel e *Charonis Lampsaceni Περσικοῖς* Theopompum sive Trogum hic profecisse puto; cf. Creuzerum p. 100.

§ 12. *eius*] Ms. Bong. et Leid. 5: *et vis*, probante Graevio.

orant *in proelium revertantur:* cunctantibus sublata veste obscoena 14
corporis ostendunt, rogantes, *num in uteros matrum vel uxorum velint refugere?* Hac repressi castigatione in proelium redeunt et facta 15
impressione quos fugiebant fugere compellunt. In eo proelio Astya- 16
ges capitur; cui Cyrus nihil aliud quam regnum abstulit nepotemque in illo magis quam victorem egit, eumque maximae genti Hyrcanorum praeposuit. Nam in Medos reverti ipse noluit. Hic finis Me- 17
dorum imperii fuit. Regnaverunt annos trecentos quinquaginta.

VII. Initio regni Cyrus Soebaren, coeptorum socium, quem 1
iuxta nocturnum visum ergastulo liberaverat comitemque in omnibus rebus habuerat, Persis praeposuit sororemque suam ei in matrimonium dedit. Sed civitates, quae Medorum tributariae fuerant, mu- 2
tato imperio etiam conditionem suam mutatam arbitrantes a Cyro defecerunt: quae res multorum bellorum Cyro causa et origo fuit. Do- 3
mitis demum plerisque cum adversus Babylonios bellum gereret, Babyloniis rex Lydorum Croesus, cuius opes divitiaeque insignes ea tempestate erant, in auxilium venit; victusque iam ac desolatus in regnum refugit. Cyrus quoque post victoriam compositis in Baby- 4
lonia rebus bellum transfert in Lydiam. Ibi fortuna prioris proelii 5

---

§ 14. *velint*] Mss. Bong., Crac., Goth.: *vellent*, quod fortasse recipiendum erat, quia et similia multa in Iustino offenduntur, nec quisquam pro arbitrio hoc restituisset. Sed *velint* etiam Sarisbar. Policr. VI, 16. p. 368.

§ 16. *aliud*] Cod. Periz., Crac., Goth.: *amplius*.

Hyrcanorum] Sic codd. et chronogr. omnes; sed Ctesias p. 222. et exc. Phot. § 5: *Barcaniorum*, quam gentem rhetor cum nobiliore vicina permutavit. Steph. Byz.: *Βαρκάνιοι*, ἔθνος τοῖς Ὑρκανοῖς ὅμορον.

§ 17. *CCCL.*] Sic codd.; sed alii scriptores alia omnia; Ctesias annos refert CCCXVII; Eusebius Ctesiana cum Herodoteis miscens: CCLIX. vel CCLVIII, ut Freculph. III, 18, Otto Fris. et al. chron. ex h. l. Vide doctorum sententias apud *Baehr. ad Ctes.* p. 440 sqq.

C. VII. § 3. *divitiaeque*] ex codd. Bong., Crac., Goth. Vulgo: *et div.* Sic Gronov. II, 2, § 11. — Pro *demum* codd. Bong.: *deinde*.

in auxilium venit] Croesum Babyloniis opem tulisse, unus testis manifestus est *Xenophon*, Cyrop. I, 5, 3. II, 1, 5; sed Cyrus tum nihil in Babylonem molitur (v. V, 3 sq.). *Ctesiae* excerpta § 4. negligentissima quidem sunt, ita ut de Babylonis expugnatione nihil ex iis constitui possit; illud tamen certum, Babylonis *post* Croesi casum captae nullum plane vestigium in Ctesiae reliquiis reperiri. Non vanum igitur erit, si e Ctesia hunc gestorum ordinem derivamus, quem eundem *Lucianus* servat, assiduus ille Ctesiae irrisor, proinde etiam lector; v. *Contempl.* c. 9, ubi si Hemsterhusio p. 384 nostri loci in mentem venisset, alia de Luciano scripsisset. Hoc tamen Herodotus narrat, foedus inter Croesum et Babylonios fuisse (I, 77).

victusque iam ac desolatus] Sic plurimi codd. et optimi. Alii, in quibus Crac., Goth., Prag. et edd. vett.: *v. i. de se solicitus. Desolatus* est „desertus, nudatus, exutus exercitu, castris, copiis omnibus,“ ut explicat I. Fr. Gronov. Sed ne quid celem, istud *iam* mihi valde displicet; malim *ibi* vel *victus tamen ac d.;* in altera lectione *iam* recte positum est. Bong.: *victisque iam de se sollicitus.*

§ 5. *fortuna prioris proelii*] Cf. Xenoph. Cyrop. IV, 1, 8.

perculsum iam Croesi exercitum nullo negotio fundit; Croesus ipse
6 capitur. Sed quanto bellum minoris periculi, tanto et mitior victo-
7 ria fuit. Croeso et vita et patrimonii partes et urbs *Barene** con-
cessa sunt, in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen maiestati
8 regiae degeret. Haec clementia non minus victori quam victo utilis
9 fuit: quippe ex universa Graecia, cognito quod illatum Croeso bel-
lum esset, auxilia velut ad commune exstinguendum incendium con-
10 fluebant: tantus Croesi amor apud omnes urbes erat; passurusque
Cyrus grave bellum Graeciae fuit, si quid in Croeso crudelius consu-
11 luisset. Interiecto deinde tempore, occupato in aliis bellis Cyro,
12 Lydi rebellavere: quibus iterum victis arma et equi ademti, iussi-
13 que cauponias et ludicras artes et lenocinia exercere. Et sic gens
industria quondam potens et manu strenua, effeminata mollitie luxu-
riaque, virtutem pristinam perdidit; et quos ante Cyrum invictos
bella praestiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit.
14 Fuere Lydis multi ante Croesum reges, variis casibus memora-
15 biles, nullus tamen fortunae Candauli comparandus. Hic uxorem,
quam propter formae pulchritudinem deperibat, praedicare omnibus
solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi
16 etiam matrimonii reticenda publicaret: prorsus quasi silentium da-
17 mnum pulchritudinis esset. Ad postremum, ut adfirmationi suae
18 fidem faceret, nudam sodali suo Gygi ostendit. Quo facto et ami-
cum in adulterium uxoris sollicitatum hostem sibi fecit et uxorem,
19 veluti tradito alii amore, a se alienavit. Namque brevi post tem-
pore caedes Candauli nuptiarum praemium fuit et uxor mariti sangui-
ne dotata regnum viri et se pariter adultero tradidit.

1 VIII. Cyrus subacta Asia et universo Oriente in potestatem
2 redacto Scythis bellum infert. Erat eo tempore regina Scytharum

* *Barce.*

---

§ 7. *Barce*] Sic codd. optt., quod, vel *Ecrce*, etiam depravationes monstrant; verum nomen *Barene* (urbs Mediae, Ecbatanis propinqua) post alios e Ctesia § 4. restituissem, nisi eiusmodi vitia in nominibus permutandis Iustinus saepissime committeret.

§ 10. *in Croeso*] Sic codd. paene omnes et Actor. apud Vinc. Bell.; rectissime, etiamsi in voce *consulere* ablativus nusquam alias invenietur; v. Oudendorp. ad Caes. B. G. II, 32. p. 213 ed. nov. et Bremium ad Corn. Nep. Dion. 6, § 2.

§ 12. *iussique*] Codd. Bong. et Ox. C.: *iussitque*.

§ 13. *Et sic*] Ms. Bong., Crac., Goth.: *Ac sic*.

§ 14. *multi ante Croesum reges*] De his v. Herod. I, 6—25.

§ 19. *praemium*] Pulchrius enitescit sententia ex emend. I. Fr. Gronovii: *pretium*, quod verum esse videtur; nam nihil frequentius harum vocum permutatione; v. Graevium et Burmann. apud Abr. Gron.

C. VIII. § 2. *regina Scytharum*] Sic Mss. Bong., Crac., Goth. Vulgo: *Scyth. regina*.

Tomyris *, quae non muliebriter adventu hostium territa, cum pro-
hibere eos transitu Araxis fluminis posset, transire permisit, et sibi
faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata et hostibus obiectu
fluminis fugam difficiliorem. Itaque Cyrus traiectis copiis, cum ali- 3
quantisper in Scythiam processisset, castra metatus est. Dein po- 4
stera die simulato metu, quasi refugiens castra deseruisset, ita vini
affatim et ea, quae epulis erant necessaria, reliquit. Quod cum 5
nuntiatum reginae esset, adolescentulum filium ad insequendum eum
cum tertia parte copiarum mittit. Cum ventum ad castra Cyri esset, 6
ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad proelium
venisset, omissis hostibus insuetos barbaros vino se onerare patitur:
priusque Scythae ebrietate quam bello vincuntur. Nam cognitis his 7 8
Cyrus reversus per noctem saucios opprimit omnesque Scythas cum
reginae filio interfecit. Amisso tanto exercitu et, quod gravius do- 9
leret, unico filio Tomyris orbitatis dolorem non in lacrimas effudit,
sed in ultionis solatia intendit; hostesque recenti victoria exsultantes
pari insidiarum fraude circumvenit: quippe simulata diffidentia pro- 10
pter vulnus acceptum refugiens Cyrum ad angustias usque perduxit.
Ibi compositis in montibus insidiis ducenta millia Persarum cum ipso 11

* *Tamyris*

Tamyris] Sic codd. longe plurimi, etiam aliorum scriptorum Latinorum, et chronographi; vulgo ut Graeci: *Tomyris;* sed v. Bongars., Voss.; Havercamp. ad Oros. II, 7. al. Institutum nostrum secuti hoc reposuimus, nolente tamen Hemsterhusio ad Lucian. Charon. 13: „Cum in Amm. Marcell. XXIII, 6. p. 398 Lindenbrogius exprimi iussisset *Tamyris*, repudiavit illam lectionem fide membranarum nixus Henr. Valesius; idque iure factum arbitror, neque adeo reprehendi debuisse ab Is. Vossio ad Iust. I, 8, apud quem et alios item Latinos scriptores licet fluctuare libros Bongarsius admoneat, Franc. tamen Oudendorpius, vir accuratissima doctrina praeditus, ad Frontin. II. c. 5. § 5 *Tomyrin* inveniri testatur in duobus Mss. Iustini a se collatis et plerisque optimis Frontini.“

Araxis] *Oaxis* Ms. Bong., Bodl.

§ 4. Sic plerique Mss., recte, ut docet *Th. Wopkens.* in Miscell. Obss. Nov. T. X. p. 12 sq. Reliquae lectiones eorum sunt, qui locum non satis intellexerant.

§ 6. *ad castra Cyri*] E Ms. Bong., Crac., Goth. Vulgo: *ad Cyri c.*

§ 8. *interfecit*] Hoc dedi e codd. Bong. et Goth.; *opprimit* ob celeritatem; *interfecit*, ut in historia de re gesta; sic Sallustius Catil. 57, 3: *Igitur ubi iter eius ex perfugis cognovit, castra propere m o v e t ac sub ipsis radicibus montium c o n s e d i t*, ubi v. Cortt. praesertim ad 12, 1. Cf. infr. 9, § 9 ac saepius.

§ 9. *doleret*] Sic Med. et al. 4 codd.; cf. *Ramshornii* gramm. l. § 166, 4. a. p. 416. et Wopkens. ad h. l. Unus Ox.: *dolet*, probante Graevio, post eum Scheffero. Ceteri codd. et edd., Bong. sine v. l.: *dolendum;* chron. reg. Pantaleon.: *dolendum erat.*

§ 10. *perduxit*] Edd. vett. (Crac.): *produxit*, de quo v. Graev. — Ab his Herodotus paullum abit; de qua re v. disserentem Hemsterh. ad Lucian. T. III. p. 394. Bip.

12 rege trucidavit. In qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod
13 ne nuntius quidem tantae cladis superfuit. Caput Cyri amputatum
in utrem humano sanguine repletum coniici regina iubet cum hac ex-
probratione crudelitatis: *Satia te*, inquit, *sanguine*, *quem sitisti*
14 *cuiusque insatiabilis semper fuisti.* Cyrus regnavit annis triginta,
non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu admi-
rabiliter insignis.

1 IX. Huic successit filius Cambyses, qui imperio patris Aegy-
2 ptum adiecit; sed offensus superstitionibus Aegyptiorum Apis cete-
3 rorumque deorum aedes dirui iubet. Ad Hammonis quoque nobilis-
simum templum expugnandum exercitum mittit: qui tempestatibus
4 et arenarum molibus oppressus interiit. Post haec per quietem vidit
5 fratrem suum *Smerdim** regnaturum. Quo somnio exterritus non
6 dubitavit post sacrilegia etiam parricidium facere. Erat enim difficile,
ut parceret suis, qui cum contemtu religionis grassatus etiam adver-
7 sus deos fuerat. Ad hoc tam crudele ministerium magum quemdam
8 ex amicis delegit, nomine Cometen. Interim ipse gladio sua sponte
evaginato in femur graviter vulneratus occubuit, poenasque luit seu
9 imperati parricidii seu sacrilegii perpetrati. Quo nuntio accepto
magus ante famam amissi regis occupat facinus; prostratoque *Smer-*
10 *de***, cui regnum debebatur, fratrem suum subiecit Oropasten. Erat
enim et oris et corporis lineamentis persimilis; ac nemine subesse

* *Mergidem* ** *Mergide*

---

§ 12. *cladis*] Bodl., Crac., Goth.: *cladi.*

§ 14. *annis*] Sic Mss. Bong., Crac., Goth., vett. edd. pro more Iustini. Vulgo: *annos.*

triginta] V. *Baehr.* ad Ctes. p. 116.

C. IX. § 2. *Apis*] Codd. Modii et Bong.: *Serapis.*

§ 4. *Mergidem*] Sic codd. plurimi et chronogr.; pauci: *Mergim;* Vossius: *Merdim;* nam intelligitur *Smerdis*, qui Ctesiae est *Tanyoxarces*, Xenophonti (Cyrop. VIII, 7, 11) *Tanyoxares.* De omissa litera *s* cf. supra ad 6, § 2; *Merdim* autem non restitui, quia *d* et *g* literae inter se permutantur, ut in *ἀμέρδω* — *ἀμέργω* (cf. in hoc verbo *Riemerum*) al.; quod an in huiusmodi etiam nomina recte cadat, explorandum est; ego temeritatem effugere volui.

§ 7. *Cometen*] Sic codd., vel, ut Crac., Goth.: *Comatim.* Edd. vett.: *Comarim.* Herodoto est *Πατιζείθης;* sed de *Prexaspe* nihil commemorat Iustinus; proinde falso hoc nomen a Wetzelio ex edd. vett. illatum est, quod apparebit, quando ipsam conferes Herodoti narrationem. Nescio unde *Gobelinus Persona* in Cosmodromio V, 4 fin., nostrum locum exprimens, magum vocet *Ereneidem*, consentientibus Chronicis regiis Pantaleonis p. 701. apud Eccardum, fratrem autem Cambysis pro *Smerdi* appellet *Nitingin.*

§ 8. *in femur*] Sic omnes fere codd. et Vinc. Bellov.; nec est cur repudietur; cf. Livii epit. LII.: *in caput graviter vulneratus.* Vulgo: *in femore.*

sacrilegii perpetr.] Codd. Bong., Crac., Goth.: *perpetr. sacril.*, quod, licet minus bonum, fortasse a manu Iustini est.

§ 9. *Oropasten*] Is Herodoto est *Smerdis.* Ctesias exc. § 10. de uno

dolum arbitrante pro *Smerde** rex Oropasta constituitur. Quae res 11
eo occultior fuit, quod apud Persas persona regis sub specie maie-
statis occulitur. Igitur magi ad favorem populi conciliandum tributa 12
et militiae vacationem in triennium permittunt, ut regnum, quod 13
fraude quaesierant, indulgentiae largitionibus confirmarent. Quae 14
res suspecta primo Ostani, viro nobili et in coniectura sagacissimo,
fuit. Itaque per internuntios quaerit de filia, quae inter regias pel- 15
lices erat: *an Cyri regis filius rex esset.* Illa *nec se ipsam scire* ait 16
nec ex alia posse cognoscere, quia singulae separatim recludantur.
Tum pertractare caput dormienti iubet: nam mago Cambyses aures 17
utrasque praeciderat. Factus deinde per filiam certior sine auribus 18
regem esse, optimatibus Persarum rem indicat, et in caedem falsi
regis impulsos sacramenti religione obstringit. Septem tantum con- 19
scii fuere huius coniurationis, qui ex continenti, ne dato in poeni-
tentiam spatio res per quemquam narraretur, occultato sub veste
ferro ad regiam pergunt. Ibi obviis interfectis ad magos perve- 20
niunt; quibus ne ipsis quidem animus in auxilium sui defuit: siqui- 21
dem stricto ferro duos de coniuratis interficiunt. Ipsi tamen corri- 22
piuntur a pluribus: quorum alterum Gobryas medium amplexus,
cunctantibus sociis, ne ipsum pro mago transfoderent, quia res ob-
scuro loco gerebatur, vel per suum corpus adigi mago ferrum ius- 23
sit: fortuna tamen ictum regente, illo incolumi magus interficitur.

* *Mergide*

---

tantum mago narrat, qui per calumnias Tanyoxarci (Cyri filio) caedem parat ac post ipse personam eius gerit, *Sphendadates.* Cf. Baehr. p. 125 sqq.

§ 10. *Oropasta*] Sic plurimi codd. Vulgo: *Oropastes.* — Bong.: *decorus* pro *et oris*, ut Ox. C.

§ 12. *tributa — permittunt*] Sic codd. optimi et Vinc. Bellov., recte explicatum a Graevio et Vorstio; adde exempla apud Drakenb. ad Liv. XL, 42, § 11. I. Fr. Gronovium secuti multi scripserunt: *tributi — remittunt*, quae vulgata facta est. *Remittunt* habes in Ms. Bong., aliquot e Gronov., Crac., Goth., Prag.; *tributi* tamen mera coniectura est.

§ 14. *Ostani*] Herodotus: Ὀτάνης. Periz., Goth.: *Hotani.*

coniectura] Sic praeter edd. antiquissimas codd. Med., Leid. 2, Bodl., Periz.; quibus addi possunt Thuan., 1 Bong. et Vinc. Bellov., qui: *coniecturas*, adhaerente initiali littera vocis seq. Ceteri: *coniecturis*, quod refragante plane linguae usu editores omnes receperunt; tantum enim in modum Romani vitant hunc pluralem, ut dicant *coarguere aliquem suspicionibus et coniectura* (Cic. Agrar. I, 6.), neque usquam expressum inveni.

§ 16. *recludantur*] Mss. Bong., Crac.: *recludebantur.*

§ 17. *caput dorm.*] Sic Mss. Bong., Crac., Goth., Vinc. Bellov. Vulgo: *dormienti caput.*

§ 18. *regem esse*] Sic Bong., Crac., Goth. Vulgo: *esse regem.*

§ 22. *iussit*] Goth.: *iubet.*

§ 23. *ictum regente*] Ita Bongarsius coniecerat; confirmaverunt Medic., Dorv. 1. 2, Crac., ed. Rom. (Prag.: *ictus.*) Reliqui cum Vinc. Bellov.: *ita reg.*, quod et ipsum retineri poterat.

1 X. Occisis magis magna quidem gloria recepti regni princi-
pum fuit: sed multo maior in eo, quod, cum de regno ambigerent,
2 concordare potuerunt. Erant enim virtute et nobilitate ita pares,
3 ut difficilem ex his populo electionem aequalitas faceret. Ipsi igitur
viam invenerunt, qua de se iudicium religioni et fortunae committe-
4 rent; pactique inter se sunt, ut die statuta omnes equos ante re-
giam primo mane perducerent: et cuius equus inter solis ortum hin-
5 nitum primus edidisset, is rex esset. Nam et Solem Persae unum
6 deum esse credunt et equos eidem deo sacratos ferunt. Erat inter
coniuratos Darius, Hystaspi filius, cui de regno sollicito equi custos
7 ait: *si ea res victoriam moraretur, nihil negotii superesse.* Per no-
ctem deinde equum pridie constitutam diem ad eumdem locum ducit
ibique equae admittit, ratus ex voluptate veneris futurum quod eve-
8 nit. Postera die itaque, cum ad statutam horam omnes convenis-
sent, Darii equus cognito loco ex desiderio feminae hinnitum sta-
tim edidit et segnibus aliis felix auspicium domino primus emisit.
9 Tanta moderatio ceteris fuit, audito auspicio ut confestim equis de-
10 silierint et Darium regem salutaverint. Populus quoque universus
11 secutus iudicium principum eumdem regem constituit. Sic regnum
Persarum septem nobilissimorum virorum virtute quaesitum tam levi
12 momento in unum collatum est. Incredibile prorsus tanta patientia
cessisse eos, quod ut eriperent magis, mori non recusaverint.
13 Quamquam praeter formam virtutemque hoc imperio dignam etiam
14 cognatio Dario iuncta cum pristinis regibus fuit. Principio igitur
regni Cyri regis filiam in matrimonium recepit, regalibus nuptiis re-
gnum firmaturus, ut non tam in extraneum translatum, quam in fa-
15 miliam Cyri reversum videretur. Interiecto deinde tempore cum
Assyrii descivissent et Babyloniam occupassent, difficilisque urbis
expugnatio esset: aestuante rege unus de interfectoribus magorum,
Zopyrus, domi se verberibus lacerari toto corpore iubet, nasum,
aures et labia sibi praecidit, atque ita regi inopinanti se offert.

C. X. § 1. *recepti*] Codd. Modii, Crac., Prag.: *reciperati*, sed unus tantum Bong.

principum] Bongars.: *principium;* cf. *Schneideri* gramm. p. 246. adde Bong. et Wopk. h. l.

§ 6. *Hystaspi*] Sic plane Goth. et Dorv. 2, quod omnes Bongarsii monstrare videntur in depravationibus: *Hyptasi* (v. Bong. 9, § 4.), *Hisptasi*, *Hiptapsi* cett. (V. Gronov. p. 806, *Schneideri* gramm. in declinatt. p. 164 sqq. Cortt. ad Cic. epp. ad div. V, 12, 7. *Ang. Maius* ad Front. p. 186. 326. ed. pr.) Vulgo: *Hystaspis.*

§ 8. Goth.: *quod evenit postera die. Itaque*—.

§ 14. *Cyri regis*] *Regis* omittunt aliquot codd., etiam Crac., probante I. Fr. Gronovio.

filiam] Bernecc. ob historiam malit *filias;* v. ei. not.

§ 15. *unus de interf.*] Imo filius unius ex illis, *Megabyzi;* Herod. III, 153.

praecidit] Sic edidi ex cod. Med., optimo Gronovianorum, magis pro

Attonitum et quaerentem Darium causas auctoremque tam foedae 16
lacerationis tacitus quo proposito fecerit edocet; formatoque in futura consilio transfugae titulo Babyloniam proficiscitur. Ibi ostendit 17
populo laniatum corpus, queritur *crudelitatem regis, a quo in regni petitione non virtute, sed auspicio; non iudicio hominum, sed hinnitu equi superatus sit;* iubet *illos ex amicis exemplum capere, quid hosti-* 18
bus cavendum sit; hortatur, *ne moenibus magis quam armis confidant,* 19
patianturque se commune bellum recentiore ira gerere. Nota nobilitas 20
viri pariter et virtus omnibus erat; nec de fide timebant, cuius veluti pignora vulnera corporis et iniuriae notas habebant. Constituitur 21
ergo dux omnium suffragio; et accepta parva manu semel atque iterum cedentibus ex consulto Persis secunda proelia facit. Ad po- 22
stremum universum sibi creditum exercitum Dario prodit urbemque ipsam in potestatem eius redigit. Post haec Darius bellum Scythis in- 23
fert, quod sequenti volumine referetur.

---

magniloquentia rhetorica et structura concinniore; itaque narrat Herod. III, 154. 155. Ceteri omnes: *praecidi.*

§ 17. *petitione*] Sic codd. quos novimus; sed Modius: „*Petitione* unus etiam ex Mss. nostris; alii aut *sortione* aut *sortitione* habent.“

§ 19. *ne moenibus*] Bong.: *non moen.*, e coniectura opinor.

§ 21. *ex consulto*] Sic codd. paene omnes, secundum morem Iustini; vulgo: *consulto.*

§ 22. *Ad postremum*] Sic cod. Angl. (Crac., Prag., qui nonnunquam cum Angl. concinit), edd. vett.; recte. Multi: *Ac postremum* vel *postremo.* Bong.: *At postremo.* Eandem lectionem (*ad postremum*) XLIII, 4, 4 *Dlugossius* hist. Polon. VI. col. 645. B. itidem mutaverat in *at postremo.*

LIBER II.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS II.*)

Secundo volumine continentur haec. Scythiae et Ponti situs, originesque Scythiae[1]) usque ad bellum, quo est inde pulsus Darius: qui post hanc fugam Graeciae bellum intulit per Datin

---

[1]) Sic Bong., Gron. Sed Longuerr.: „Emenda *res Scythiae*, ut habent codd. omnes Romani.“ Vere, siquidem ita scribunt, ut cod. Crac.: *Sc. et P. situs originesque; Scythiae res usque* cett., quod pro genuino habemus; eodem modo haec exhibuit Periz., a priore tamen *Scythiae* ad posterius aberrans.

et *Artaphernen* * [2]): quod soli Athenienses sustinuere [3]). Hinc [4]) origines Athenarum repetitae et reges usque ad Pisistrati tyrannidem. Qua extincta Marathone [5]) vicere Persas. Ut mortuo Dario filius eius [6]) Xerxes bellum Graeciae intulit: ac repetitae origines Thessaliae [7]): expulsoque Graecia Xerxe bellum ab Atheniensibus translatum in Asiam, usque ad Xerxis interitum.

* *Tisafernem*

---

[2]) Sic historici; v. Longuerr. Codd. per errorem: *Tisafernem*; (Vat. 1: *Tipharnem*) similiter lapsi Ampelii meminit Gronov. p. 999.

[3]) Ita 7 codd., in quibus optimi. Bong.: *tenuere.*

[4]) Sic 2 codd. Gronov. et Crac., more horum prologg.; Bong., al. et Grauert.: *Hic.*

[5]) Ita diserte Periz. et Crac.; Bong. et Modii codd.: *ratione;* quod quid sit, iam perspexerat Bong. cod. Ox. C.: *quam extinctam* (sic 4 codd. apud Gron.) *qua ratione.*

[6]) Abest in ed. Bong.

[7]) Desiderantur apud Iustinum.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Scytharum origo et antiquitas, de qua cum Aegyptiis contendunt.*
2. *Descriptio Scythiae et morum gentis, quae in plaustris degens iustitiam colit et continentiam.*
3. *Scytharum fortitudo bellica. Aegyptios fugant Asiamque reddunt tributariam.*
4. *Amazonum a Scythis origo, reginae, res gestae.*
5. *Bellum Scytharum adversus servos, quos lepido strategemate reprimunt. Darius Scythis, deinde Ionibus et Atheniensibus bellum infert.*
6. *Atheniensium origo, gloriatio, industria, artes, reges.*
7. *Respublica Atheniensis Solonis legibus et politico strategemate firmata.*
8. *Pisistratus post rem bene gestam contra Megarenses tyrannidem per annos triginta tres occupat.*
9. *Eiusdem filius Hippias patria pulsus Persarum exercitum in Graeciam adduxit. Inde nobilis illa Marathonia pugna, in qua victi Persae, Athenienses victores duce Miltiade.*
10. *Dissidium fraternum de regno inter Darii filios. Xerxes bellum adversus Graecos instaurat validissimo exercitu.*
11. *Fortitudo Spartanorum, quorum rex Leonidas Persas ad Thermopylas maxima clade adficit.*
12. *Themistoclis industria Persarum classis ad Salaminium fretum navali proelio victa post multam stragem fuga sibi consulit.*

13. *Mardonio terrestris exercitus commissus. Xerxes aegre evadit piscatoria scapha: eiusdem pedestris exercitus fame obruitur; unde nova clades.*
14. *Mardonius in Boeotia ad Plataeas cum Persis a Graecorum copiis victus, cum paucis profugit. Eodem fere momento adversus Persas in Asia feliciter dimicatum est.*
15. *Athenienses Spartanis delusis urbem ex integro instaurant. Spartani Persarum fines depopulantur. Pausanias proditionis reus damnatur. Xerxes a Cimone terrestri navalique proelio iterum superatur.*

I. In relatione rerum ab Scythis gestarum, quae satis amplae 1
magnificaeque fuerunt, principium ab origine repetendum est. Non 2
enim minus illustria initia quam imperium habuere; nec virorum
magis quam feminarum virtutibus claruere: quippe cum ipsi Parthos 3
Bactrianosque, feminae autem eorum Amazonum regna condiderint:
prorsus ut res gestas virorum mulierumque considerantibus incertum 4
sit, uter apud eos sexus illustrior fuerit. Scytharum gens antiquis- 5
sima semper habita, quamquam inter Scythas et Aegyptios diu contentio de generis vetustate fuerit: Aegyptiis praedicantibus, *initio* 6
rerum, cum aliae terrae nimio fervore solis arderent, aliae rigerent frigoris immanitate, ita ut non modo primae generare homines, sed ne advenas quidem recipere ac tueri possent, priusquam adversus calorem vel frigus velamenta corporis invenirentur vel locorum vitia quaesitis arte remediis mollirentur, Aegyptum ita temperatam semper fuisse, ut 7

C. I. § 2. *virorum magis*] Vulgo: *virorum imperio magis;* sed vox *imp.* deest in Mss. Bong., Voss. utroque, Crac., Goth., multis apud Gronov.

§ 3. V. ad capp. 3 et 4.

§ 5. *antiquissima semper habita*] Imo saeculo fere ante Theopompum, unde haec expressa esse recte coniicit *Creuzerus* in praef. ad *fragm. Ephori* p. IX. XII., Herodotus (IV, 5) ipsos Scythas confiteri ait *νεώτατον ἁπάντων τῶν ἐθνῶν εἶναι τὸ σφέτερον.* Ut paucis hic sententiam meam complectar: Post Herodotum philosophi, praesertim de Socratica disciplina, doctrinam de homine propriaque eius natura et primigenia indole, deinde de naturalibus societatis et civitatum principiis excoluerant; eorum autem, quae hac via illi invenerant et excogitaverant, cum plurima in *Scythas*, quales ab Hellanico, Herodoto, aliis describebantur, cadere animadverterent rhetores historiographi, initia ibi generis humani conspicua esse censuerunt, eamque gentem et proximam rerum initiis et maxime idoneam, in qua generis humani historiam exordirentur et veri aliqua specie, quae e philosophia petierant, cum rerum gestarum narratione coniungerent. Ita factum est, ut temporum quoque ratio ab his scriptoribus penitus perverteretur; sed quibus potissimum auctoribus haec mutatio debeatur, quibus illi rationibus antiquiorum errores convincere sibi visi fuerint, et quae sunt similia, ea ob librorum interitum coniecturis reliquuntur. — Quae hic agitur contentio, eam inter *Phrygas* et Aegyptios intercessisse Herodotus (II, 2) refert.

neque hiberna frigora nec aestivi solis ardores incolas eius premerent;
8 solum ita fecundum, ut alimentorum in usum hominum nulla terra fe-
9 racior fuerit. Iure igitur ibi primum homines natos videri debere, ubi
10 educari facillime possent. Contra Scythae caeli temperamentum nul-
11 lum esse vetustatis argumentum putabant: quippe naturam, cum pri-
mum incrementa caloris ac frigoris regionibus distinxit, statim ad lo-
12 corum patientiam animalia quaeque generasse: sed et arborum atque
13 frugum pro regionum conditione apte genera variata, et quanto Scy-
this sit caelum asperius quam Aegyptiis, tanto et corpora et ingenia
14 esse duriora. Ceterum si mundi, quae nunc partes sunt, aliquando
unitas fuit, sive illuvies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit,
sive ignis, qui et mundum genuit, cuncta possedit, utriusque primordii
15 Scythas origine praestare. Nam si ignis prima possessio rerum fuit,
qui paullatim exstinctus sedem terris dedit, nullam prius quam septem-
trionalem partem hiemis rigore ab igne secretam, adeo ut nunc quoque
16 nulla magis rigeat frigoribus; Aegyptum vero et totum Orientem tar-
dissime temperatum: quippe qui etiam nunc torrenti calore solis ex-
17 aestuet. Quod si omnes quondam terrae submersae profundo fuerunt,
profecto editissimam quamque partem decurrentibus aquis primum de-
tectam, humillimo autem solo eamdem aquam diutissime immoratam;
18 et quanto prior quaeque pars terrarum siccata sit, tanto prius animalia
19 generare coepisse. Porro Scythiam adeo editiorem omnibus terris esse,
ut cuncta flumina ibi nata in Maeotim, tum deinde in Ponticum et
20 Aegyptium mare decurrant; Aegyptum autem, quae tot regum, tot
saeculorum cura impensaque munita sit et adversum vim incurrentium aquarum tantis structa molibus, tot fossis concisa, ut, cum his arceantur, illis recipiantur aquae, nihilominus coli nisi excluso Nilo non potuerit, non posse videri hominum vetustate ultimam: quae aggerationibus regum sive Nili trahentis limum terrarum recentissima vi-

---

§ 9. *possent*] Crac., Goth.: *possint.*

§ 11. *quaeque*] Sic Leid. 3, coll. N., Crac., Goth., edd. Ald. Iunt. Vulgo: *quoque*, ut ceteri codd.; sed illud plenius et gravius.

§ 14. *illuvies*] Sic omnes codd., praeter Magliab., qui: *alluvies.* Sed I. Fr. Gronov. ad Liv. I, 4 hic, infra c. 6, § 10. et Tac. Annal. XII, 51, 4 reponendum contendit *eluvies;* nostro tamen loco neque eluitur quidquam neque excedunt aquae ripas, sed primae aquae intelliguntur, quae terras nondum natas texerunt.

§ 15. *ignis*] Genitivus casus est, quod ob Vorstium moneo.

§ 20. *structa*] Sic plurimi codd. eleganter et acute, neque intelligas, qua causa Graevius de ea locutione dubitaverit. Gronov.: *instructa*, ut Magl., coll. N., 2 Dorvill.

concisa] Sic 8 codd. Gronov., Crac., Goth., vett. edd. Reliqui cum Bongars.: *conscissa*, quod in hac re poeticae tantum dictioni conveniret.

non posse] Bongars., Crac., Goth., Prag. et omnes, ni fallor, codd.: *nec possit — ultima*, omissa constructione inchoata, vehementer laesa concinnitate; quare retinui vulg. lectionem nescio unde exortam, donec *ἀνακόλουθον* hoc recte defendetur.

deatur. His igitur argumentis superatis Aegyptiis, antiquiores sem- 21
per Scythae visi.
II. Scythia autem in Orientem porrecta includitur ab uno latere 1
Ponto, ab altero montibus Rhipaeis, a tergo Asia et Phasi flumine.
Multum in longitudinem et latitudinem patet. Hominibus inter se 2 3
nulli fines; neque enim agrum exercent, nec domus illis ulla aut
tectum aut sedes est, armenta et pecora semper pascentibus et per
incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plau- 4
stris vehunt, quibus coriis imbrium hiemisque causa tectis pro do-
mibus utuntur. Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus. Nullum 5 6
scelus apud eos furto gravius: quippe sine tecto munimentoque pe-
cora et armenta habentibus quid inter silvas superesset, si furari li-
ceret? Aurum et argentum perinde adspernantur, ac reliqui morta- 7
les appetunt. Lacte et melle vescuntur. Lanae iis usus ac vestium 8 9
ignotus; et, quamquam continuis frigoribus urantur, pellibus tan-
tum ferinis aut murinis utuntur. Haec continentia illis morum quo- 10

C. II. Quae hic de *Scythis* narrantur, multo accuratius et per nationes distincta habentur apud Herodotum, l. IV, quem egregie ab imperitorum dubitationibus vindicat Ill. *Niebuhr*, *kleine hist. und philol. Schriften* I. p. 352 sqq. — Hic in Pompeium Trogum plane conveniunt, quae *Heynius* de Diodoro dixit (*Fontes* p. LVI. Bip.): „De Scythis, deserto Herodoto, in his scriptore gravissimo, Graeculo obsecutus est, qui partim mera commenta de gentis origine tradere, partim ea, quae de una et altera Scytharum tribu memorata erant, ad totam gentem referre maluit.“

§ 1. *ab altero*] Vulgo: *et ab alt.*, sed omittunt copulam Mss. Bong., 7 Gronov., Crac., Goth., ed. Rom.

§ 4. *quibus coriis* cett.] *Quibus* omittunt Mss. Bong., Leid. 3, Periz., Goth., Chron. regia Pantaleon. p. 702; sed in optimis Gronovii extare videtur et Bong. in textu habet. — *Coriis* praeter codd. etiam legas apud Vinc. Bellov.; cf. Barkerum in *classical journal* 1811. 2. p. 32. Bernecc. coniiciebat: *corticibus.*

§ 6. *tecto munimentoque*] Bong. et Chron. Reginon. II. a. 1389: *tecti munimento.*

pec. et arm. hab. quid inter silv. superesset] Sic haec constituimus ad codd. scripturam; Med. certe et Periz. ita totidem litteris; codd. Bong., Leid. 3. 4, Magl., Franecq.: *et armenta alimenta hab.;* unde Regino l. l.: *arm. alimentaque;* Prag. et alii quidam: *armenta et alimenta;* sed multi: *pecora et alimenta hab.;* Crac.: *pec. etiam alim.* Denique omnes praeter interpolatum illum coll. N. et edd. vett.: *superesset*, quod recte se habet: nam nihil possident illi homines praeter greges suos. Quare inutili plane coniectura vulgo legitur: *pec. et armenta inter silvas habentibus quid salvum esset, si cett.* Schefferus: *pec. et armenta alimenta habentibus quid inter s. superesset* cett. Wopkens.: *quid alimenti inter silvas superesset* cett.

§ 7. *argentum perinde*] Bong. e suis vett., Leid. 5, Prag., Regino: *arg. non perinde.*

§ 9. *pellibus tantum fer.* cett.] i. e. non vestibus utuntur arte consarcinatis et singula etiam membra tegentibus, quas induant, sed pelles tantum sibi iniiciunt aut ferarum maiorum, ut ursorum, luporum, aut minorum, ut felium, cuniculorum cett. (v. Graev.) *Tantum* exstat in codd. coll. N., C. c., Dorv. 1, Goth. et 1 Bong. inter lineas, Reginone et ed.

que iustitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus: quippe ibidem
11 divitiarum cupido est, ubi et usus. Atque utinam reliquis mortali-
bus similis moderatio abstinentiaque alieni foret: profecto non tan-
12 tum bellorum per omnia saecula terris omnibus continuaretur, ne-
13 que plus hominum ferrum et arma quam naturalis fatorum conditio
14 raperet: prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod
Graeci longa sapientium doctrina praeceptisque philosophorum con-
sequi nequeunt, cultosque mores incultae barbariae collatione supe-
15 rari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio quam in his co-
gnitio virtutis.
1 III. Imperium Asiae ter quaesivere; ipsi perpetuo ab alieno
2 imperio aut intacti aut invicti mansere. Darium, regem Persarum,
3 turpi ab Scythia submoverunt fuga; Cyrum cum omni exercitu tru-
4 cidaverunt; Alexandri Magni ducem Zopyriona pari ratione cum co-
5 piis universis deleverunt; Romanorum audivere, non sensere arma.
6 7 Parthicum et Bactrianum imperium ipsi condiderunt. Gens labori-
bus et bellis aspera; vires corporum immensae; nihil parare, quod
8 amittere timeant; nihil victores praeter gloriam concupiscunt. Pri-
mus Scythis bellum indixit *Sesostris**, rex Aegyptius, missis primo
9 lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent. Sed Scythae iam
ante de adventu regis a finitimis certiores facti legatis respondent:

* *Vexores*

Rom.; reliqui: *tamen*, quod qui servarunt, cum Salmasio scribunt: ***Lanae* — *ignotus*** et ***ignotus est***, *quamquam* — ***urantur; pellibus tamen — utuntur***, quod non satis pro Iustini elegantia est. Discrimen inter compendia vocularum *tamen* et *tantum* paene nullum est; et prius quidem facile praeferebatur a librariis ob praecedens *quamquam.* — Codd. quidam vel edd. vett. cum Reginone: *felinis* (pro *ferinis*); sed v. Vossium. Vinc. Bellov., Chron. regia: *fer. ac mur.*

§ 10. *edidit*] progenuit. Sic Bong. Vulgo: *dedit*, ut 7 codd.; sed v. Graev., cui assentitur Gesnerus in Thes.

§ 14. *nequeunt*] Periz.: *nequiverunt;* et § 15 duo Angl.: *profecit.*

C. III. § 4. *Zopyriona*] (Plurimi codd.: *Sop.*, et Bongars. ita edidit) v. XII, 2 fin. ibique not.

§ 6. *Parthicum*] v. libr. XLI.

Bactrianum] Bactrorum initia incertissima sunt, v. *Th. Bayeri* histor. regni Bactr. 1738.

§ 7. *Gens lab.*] Sic codd. Bong., Goth., al.; vulgo: *Gens et labor.*

§ 8. *Vexoris*] v. ad I, 1, § 6.

lenonibus] Sic omnes Bong. praeter 1, Reg. a pr. m., Leid. 1 et 3; et tuetur glossarius Ms. P. Danielis: „*Leno, id est mediator, qui apud Italos dicitur Ambassador. Unde Trogus Pompeius in secundo Historiarum: Praemissis lenonibus, qui hostibus parendi legem indicerent.*" Cf. gloss. Mss. Scaligeri apud Burmannum ad Anthol. lat. p. 724. in Add. et Isidori glossas. Similiter *Cic. or. Cat.* IV, 8. Novem tamen codd. Gronov., 3 Wopk., Goth., Crac., Prag., edd. vett.: *legatis.* Multi codd. et edd.: *prius leg.;* sed *primo* rectius.

§ 9. *Scythae*] sub rege *Tanausi*, addit Iornandes *de reb. Get.* c. 6. haec excerpens; cf. I, 1, 6.

tam opulenti populi ducem stolide adversus inopes occupasse bellum, 10
quod magis domi fuerit illi timendum: quod belli certamen anceps, 11
praemia victoriae nulla, damna manifesta sint. Igitur non exspecta- 12
turos Scythas, dum ad se veniatur, cum tanto sibi plura in hoste
concupiscenda sint, ultroque praedae ituros obviam. Nec dicta res 13
morata. Quos cum tanta celeritate venire rex didicisset, in fugam
vertitur exercituque cum omni apparatu belli relicto in regnum tre-
pidus se recepit. Scythas ab Aegypto paludes prohibuere. Inde 14
reversi Asiam perdomitam vectigalem fecere, modico tributo, magis 15
in titulum imperii quam in victoriae praemium imposito. Quinde- 16
cim annis pacandae Asiae immorati uxorum flagitatione revocantur,
per legatos denuntiantibus, *ni redeant, subolem se ex finitimis quae-*
situras nec passuras, ut in posteritatem Scytharum genus per feminas
intercidat. His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. 17
Pendendi tributi finem Ninus, rex Assyriorum, imposuit. 18

IV. Sed apud Scythas medio tempore duo regii iuvenes, Yli- 1
nos et Scolopitos, per factionem optimatum domo pulsi ingentem
iuventutem secum traxere et in Cappadociae ora iuxta amnem Ther- 2
modonta consederunt, subiectosque Themiscyrios campos occupavere.
Ibi per multos annos spoliare finitimos adsueti conspiratione populo- 3
rum per insidias trucidantur. Horum uxores, cum viderent exsilio 4

---

§ 10. *stolide*] Codd. Bong.: *colendi.*(?)

§ 11. *quod b.*] Goth.: *quam; bello*, pro *belli*, 1 Bong., Bodl., Crac., Goth.

§ 13. *didicisset*] Sic Med. et alii boni, sed recentiores; Bong.: *addidicisset*, quod mihi certe probabile est ista aetate in hunc usum devenisse, detrita significatione praepositionis.

in fugam vertitur] Notum est ex sacerdotum narratione Herodotum („τὸν ἔλεγον οἱ ἱρέες" cett. II, 102 sq.), Diodorum et Tacitum (Ann. II, 60.) referre, Scythas aeque ac reliquos populos, quos Sesostris adierit, devictos esse. (Cf. *Heyn. de fontt. Diodori* p. XLV.) Nostrae narrationis alium auctorem non inveni; sed Colchide repressum esse Aegyptium regem, aliquos e veteribus tradidisse colligimus e *Plinio*, H. N. XXXIII, 3 (15.): „*Iam regnaverat in Colchis Salauces et Esubopes, qui terram virginem nactus plurimum argenti aurique eruisse dicitur in Suanorum gente et alioqui velleribus aureis inclito regno. Sed et illius aureae camerae, argenteae trabes narrantur, et columnae atque parastaticae, victo Sesostre Aegypti rege, tam superbo, ut*" cett. Recepit hoc Val. Flacc. Argon. IV, 427.

§ 16. *Quindecim*] Vinc. Bellov.: *XII.*

denunciantibus] Sic plurr. codd. cum Oros. et Freculph. Mss. (v. Gronov. p. 789.); structuram e consuetudine Iustini defendunt Faber, Vorstius, Wopkens. Unus Bong., Leid. 2. 3, Periz., Dorv. 1. 3, Goth., Prag., edd. vett.: *denunciantium.*

se ex] Bodl.: *sibi ex.*

§ 18. Vinc. Bell.: *Cuius tributi pendendi* cett. De hoc temporum ordine cf. quae ad init. c. 2. dicuntur. Auctorem et rationes hodie nescimus.

C. IV. § 1. *Ylinos*] Multi codd. et chronographi: *Plinos.*

§ 2. *Themiscyrios*] Bong.: *Themiscyreos.*

additam orbitatem, arma sumunt, finesque suos, submoventes pri-
5 mo, mox etiam inferentes bella, defendunt. Nubendi quoque fini-
timis animum omisere, servitutem, non matrimonium appellantes.
6 Singulare omnium saeculorum exemplum ausae, rempublicam sine
7 viris, iam etiam cum contemtu virorum tuentur. Et ne feliciores
aliae aliis viderentur, viros, qui domi remanserant, interficiunt.
8 Ultionem quoque caesorum coniugum excidio finitimorum consequun-
9 tur. Tum pace armis quaesita, ne genus interiret, concubitus fini-
10 timorum ineunt. Si qui mares nascerentur, interficiebant. Virgi-
11 nes in eumdem ipsis morem, non otio neque lanificio, sed armis,
equis, venationibus exercebant, inustis infantum dexterioribus mam-
12 mis, ne sagittarum iactus impediatur: unde *Amazones* dictae. Duae
his reginae fuere, Marpesia et Lampedo: quae in duas partes agmi-
ne diviso, inclytae iam opibus, vicibus gerebant bella, soli terminos
13 alternis defendentes; et, ne successibus deesset auctoritas, genitas
14 se Marte praedicabant. Itaque maiore parte Europae subacta Asiae

---

§ 6. *exemplum ausae, remp.* cett.] Sic plane omnes Medii (?) et Med., ut coniecerat I. Fr. Gronovius Obss. IV, 14; eodem ducit Bongarsii et codd. multorum, etiam Crac. et Goth. lectio: *exemplum auxere remp.* Non pauci, etiam aliquot Bong.: *agere* inferunt; multi quoque corrupti. In seqq. vulgo *se tuentur*, dure; sed pronomen abest a codd. Bong., Franecq., Dorv. 1, Leid. 2, Magl., Crac., Prag., Chron. reg. Pantaleonis; depravatis quidem superioribus inferri debebat.

§ 7. *viros interficiunt*] „Inde Scythice *Οἰορπατὰ*, hoc est *ἀνδροκτόνοι* vocati; Herod. IV, 110.“ *Bong.*

§ 9. *concubitus*] Sic Oxonn. e tribus et 10 Mss. Gronovii, q. v. p. 789. adde Prag. Vulgo: *concubitum.*

§ 11. *impediatur*] Sic codd. Bong., 10 Gronovii et Prag. *impediantur* Crac. et Goth. quod vitium relinquendum Iustino existimo, cf. ad c. 7, § 11. et alios subinde locos. In vulgg. edd. eiusmodi depravationes sermonis correctione sublatae sunt. Vulgo: *impedirentur.*

dictae] Sic 7 codd. Gron., in quibus optimi, 1 Bong., Freculph. et Oros. Vulgo: *dictae sunt.* Goth., Crac., Prag.: *Unde dictae Am.*

§ 12. *Marpesia*] Sic codd. Fr. Fabricii (ad Oros. I, 15, 9.), Crac., Oros., Iornaud., Freculph., Gobelinus Persona. Codd. plurimi et chronogr.: *Marthesia*, quod nomen in Graecia sine exemplo est. Non est Diodori (IV, 16.) *Μάρπη.*

Lampedo] Codd. plurimi et optimi, etiam in Orosio, et Iornaudes vitiose: *Lampeto.* Ut nos edidimus praeter scriptores sigillum vetus apud Petr. Petitum *de Amazonib.* p. 218: *ΛΑΜΠΕΔΩ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΑΜΑ.*

soli] Sic Med., Leid. 2, Prag., coll. N., quod Freinshemius coniectura assecutus fuerat; Bongars. et plurimi: *solae;* nonnulli, ut Goth., *solicitae.*

§ 13. *genitas se Marte*] (*a Marte* 3 Dorv., Crac., Goth.) Sic narraverat Pherecydes libro II. p. 86. Sturz. Cf. laudd. apud *Munck.* ad Hygin. fab. 30. p. 87. — Diodorus de hac expeditione (II, 46.): „*στρατεύσασαν δὲ* (reginam Amazonum) *εἰς τὴν πέραν τοῦ Ταναΐδος ποταμοῦ χώραν καταπολεμῆσαι πάντα τὰ ἔθνη τὰ συνεχῆ μέχρι τῆς Θρᾴκης· ἀνακάμψασαν δὲ μετὰ πολλῶν λαφύρων εἰς τὴν οἰκείαν,*“ cett. Conferri debent etiam *Libycarum Amazonum* expeditiones ab eodem (III, 54 sqq.) narratae, quarum ratio h. l. explicari non potest.

quoque nonnullas civitates occupavere. Ibi Epheso multisque aliis 15
urbibus conditis partem exercitus cum ingenti praeda domum dimit-
tunt. Reliquae, quae ad tuendum Asiae imperium remanserant, 16
concursu barbarorum cum Marpesia regina interficiuntur. In huius 17
locum filia eius Orithya regno succedit: cui praeter singularem belli
scientiam eximia servatae in omne aevum virginitatis admiratio fuit.
Huius virtute tantum additum gloriae et famae Amazonum est, ut 18
Herculi rex, cui duodecim stipendia debebat, quasi impossibile, im-
peraverit, ut arma reginae Amazonum sibi adferret. Eo igitur pro- 19
fectus longis novem navibus, comitante principum Graeciae iuventute
inopinantes adgreditur. Duae tum sorores Amazonum regna tracta- 20
bant, Antiope et Orithya: sed Orithya foris bellum gerebat. Igi- 21
tur cum Hercules ad litus Amazonum applicuit, infrequens multitudo
cum Antiopa regina nihil hostile metuente erat. Qua re effectum 22
est, ut paucae repentino tumultu excitae arma sumerent facilemque
victoriam hostibus darent. Multae itaque caesae captaeque; in his 23
duae Antiopae sorores, Menalippe ab Hercule, Hippolyte a Theseo.
Sed Theseus obtenta in praemium captiva eamdem in matrimonium 24
adsumsit et ex ea genuit Hippolytum. Hercules post victoriam Me- 25
nalippen captivam sorori reddidit et pretium arma reginae accepit.
Atque ita functus imperio ad regem revertitur. Sed Orithya, ubi 26
comperit bellum sororibus illatum et raptorem esse Atheniensium

---

§ 15. *Epheso, al. urb.*] v. Petr. Petitum *de Amaz.* c. 30 sqq.

§ 16. Iornandes *de reb. Get.* c. 7, haec fere excerpens: „*Tali ergo Scythicae gentis feminae casu Asiae regno potitae, per centum paene annos tenuerunt, et sic demum ad proprias socias in cautes Marpesias repedarunt*“ cett.

§ 17. *Orithya*] Sic vel *Oritia* codd. longe plurimi; unde Salmasius: *Otriria* vel *Otreria*, 'Οτρήρεια pro 'Ο τ ρ ή ρ η, quae cum *Antiopa* regina Amazonum fuisse a multis perhibetur. „Heinsio duo in unum coaluisse vocabula videbantur, et corrigebat *Otrira*, *Clyte*. Quod amplector ambabus ulnis; v. Serv. ad Aeneid. III [553.]“ *Munck.* ad Hygin. fab. 163. p. 277. Cod. Angl.: *Otreria*. Ms. N. et edd. vett.: *Otrera*. Uni Bongarsii et Thuan. adscriptum fuerat: *Sinope*, quod est in coll. N., Orosio (ubi cf. Havercamp.), inde in Freculph. transiit II, 16 et Chron. Pantaleon.; v. Vossium h. l. et Petit. c. 36. *Orithyae* nomen pro *Otrera* errori Iustini, nomina personarum nonnunquam permutantis, an narrationis diversitati tribuendum sit ambigo.

§ 20. *sed Orith.*] Sic omnes codd.; duobus Dorvill. et coll. N. exceptis; Gronov. et alii e vett. edd.: *quarum Orith.*, ut § 33. Paullo ante fort. scribendum erat: *Duae tunc s.* ex meliorum usu.

§ 23. *Menalippe*] Freculph, edd. vett.: *Melanippe*, veteri permutatione; cf. laudd. a Gronov.; neque Wesselingius ad Diod. IV. p. 262. corrigit.

§ 24. *obtenta in praemium captiva*] *Antiopa*, ut plerique narrant; sed Iustinus intelligit *Hippolyten*, ut Clitodemus, cuius narrationi prae ceteris haec respondent, ap. Plutarch. Thes. 27. et *Ister*; v. Siebelis. ad Pausan. Attic. 2. § 1. p. 8. Ceteri enim *Hippolytam* reginam faciunt, Antiopam sororem.

principem, hortatur comites in ultionem; *frustraque et Ponti sinum et Asiam edomitam esse* dicit, *si Graecorum non tam bellis quam ra-*
27 *pinis pateant.* Auxilium deinde a Sagillo, rege Scythiae, petit: *genus se Scytharum esse:* cladem virorum, necessitatem armorum, belli causas ostendit; *adsecutasque virtute, ne segniores viris*
28 *feminas habere Scythae viderentur.* Motus ille domestica gloria mit-
29 tit cum ingenti equitatu filium Panasagorum in auxilium. Sed ante proelium dissensione orta ab auxiliis desertae bello ab Atheniensibus
30 vincuntur: receptaculum tamen habuere castra sociorum, quorum
31 auxilio intactae ab aliis gentibus in regnum revertuntur. Post Orithyam Penthesilea regno potita est: cuius Troiano bello inter fortissimos viros, cum auxilium adversus Graecos ferret, magna virtutis
32 documenta exstitere. Interfecta deinde Penthesilea exercituque eius absumto paucae, quae in regno remanserant, aegre se adversus fini-
33 timos defendentes usque tempora Alexandri Magni duraverunt. Harum Minithya sive Thalestris regina, concubitu Alexandri per dies tredecim ad subolem ex eo generandam obtento, reversa in regnum brevi tempore cum omni Amazonum nomine intercidit.

1 V. Scythae autem tertia expeditione Asiana, cum annis octo a
2 coniugibus et liberis abfuissent, servili bello domi excipiuntur. Quippe coniuges eorum longa exspectatione virorum fessae nec iam teneri bello, sed deletos ratae servis ad custodiam pecorum relictis nubunt:
3 qui reversos cum victoria dominos velut advenas armati finibus pro-
4 hibent. Quibus cum varia victoria fuisset, admonentur Scythae mutare genus pugnae, memores non cum hostibus, sed cum servis proeliandum, nec armorum, sed dominorum iure vincendos: verbera in

---

§ 26. *hort. com.*] Plurimi codd. addunt: *in ultionem;* sed nullus e Bongarsianis; et est additamentum eorum, qui *hortari* absolute dici nesciverunt.

§ 27. *Sagillo*] Codd. Bong., 3 Leidd.: *Sagilo.* Leid. 1. 3. Coll. C. C., 1 Bong.: *Sagino.* Ed. Col. in marg., ut Crac.: *Sagalo.* Med. *Sagulo* i. e. *Sagillo.* Apud alios hoc nomen non vidi.

genus se] Codd. Bong., Prag., Goth. omittunt pronomen.

viderentur] Edd. vett., Crac.: *videantur.*

§ 28. Bodl., Periz., Crac., Goth.: *Motus ille tanta dom. gloria.*

§ 32. *Int. deinde*] Sic codd. Bong., Goth., 10 codd. Gronov., in quibus optimi; vulgo: *demum*, quod Bong. fortasse ex antiquis edd. reliquit. Post eiusdem codd.: *adversum.*

§ 33. V. infra XII, 3. Bong.: *Minithyia.* — *Generandam*] Codd. Bong. *generandum.*

C. V. § 1. *tertia*] Quaerit Wetzelius, quae fuerit *altera:* est Amazonum expeditio sub Marpesia.

annis octo] Vorstius ex Herodoti narratione (IV in.) legere malit *viginti octo.* — Huius belli historiam Athenienses ab *Anacharside*, 18 annis post in Graeciam profecto, percepisse putat *Bayerus* (*de situ Scythiae* p. 73. coll. p. 181. in Opusc. ed. Klotz.); hinc nullas res Scytharum ita Graecorum monumentis celebrari, quam bellum illud civile. Scriptores, qui eius mentionem faciunt, recenset *Casp. Sagittarius* in dissert. de M. cap. Iustini narratio cum Herodoto fere convenit.

aciem, non arma adferenda, omissoque ferro virgas ac flagella cete-
raque servilis metus paranda instrumenta. Probato omnes consilio 5
instructi sicut praeceptum erat, postquam ad hostem accessere, in-
opinantibus verbera intentant: adeoque illos perculerunt, ut quos
ferro non poterant, metu verberum vincerent; fugamque non ut
hostes victi, sed ut fugitivi servi capesserent. Quicumque capi po- 6
tuerunt, supplicia crucibus luerunt. Mulieres quoque male sibi con- 7
sciae partim ferro, partim suspendio vitam finierunt. Post haec pax 8
apud Scythas fuit, usque tempora Iancyri regis. Huic Darius, rex 9
Persarum, sicut supra dictum est, cum filiae eius nuptias non obti-
nuisset, bellum intulit: et armatis septingentis millibus hominum 10
Scythiam ingressus, non facientibus hostibus pugnae potestatem me-
tuens, ne interrupto ponte Istri reditus sibi intercluderetur, amissis
octoginta millibus hominum trepidus refugit: quae iactura abundante 11
multitudine inter damna numerata non est. Inde Asiam et Mace- 12
doniam domuit: Ionas quoque navali proelio superat. Dein cognito 13
quod Athenienses Ioniis auxilium contra se tulissent, omnem impetum
belli in eos convertit.

VI. Nunc, quoniam ad bella Atheniensium ventum est, quae 1
non modo ultra spem gerendi, verum etiam ultra gesti fidem peracta
sunt, operaque Atheniensium effectu maiora quam voto fuere, pau-
cis urbis origo repetenda est; quia non, ut ceterae gentes, a sordi- 2
dis initiis ad summa crevere. Soli enim, praeterquam incremento, 3
etiam origine gloriantur: quippe non advenae neque passim collecta 4
populi colluvies originem urbi dedit, sed eodem innati solo, quod

---

§ 4. *non arma*] Sic Bong., Crac., Prag., Goth.; qui vulgatum *tela* ex edd. vett. reposuerunt, MSS. quidem ita habere dixerunt, sed ipsi nullos viderunt. Gronov. tacet. Mire codd. Bong. *fervera* (pro *verbera*), ut inf. 8, § 7, ubi Vincent. Bellov. IV, 18: „*ferveribus i. verberibus sive fervoribus.*"

§ 5. *poterant*] Goth.: *potuerant.*

§ 8. *Iancyri*] Ita 6 codd. Bongars., quo eodem multorum aliorum depravationes spectant; et codd. Palatt. ap. Iornaud. de reb. Get. 10, Vinc. Bellov.; *Anthiri* seu *Anthyri*, *Antyri* Magl., Crac., Goth., codd. vett. Oros. II, 8 (ubi *Attyrus* in textu, *Accirus;* MS. Bong.;), Freculph. et cett. chronogr. Codd. 3 Angl.: *Ianthyri.* Graeci: Ἰδάνθυρσος, Ἰνδάθουρος, Ἰδανθούρας; Σκυθάρκης ap. Ctesiam; v. *Baehr.* p. 143. et quos laudat. Salmasius et Vossius *Idanthyrus* vel *Indathyrus* scribendum contendunt. Edd. vetustiss.: *Lanthini.*

§ 9. *supra*] v. I, 10, 23.

§ 10. *Istri*] Multi boni codd. hic et ubique: *Histri;* v. Gronov. p. 792.

§ 12. *Asiam*] minorem. *Macedoniam*] v. VII, 3.

C. VI. § 2. *quia non*] Sic edd. omnes praeter Bongars., qui e codd.: *et quia n.*, ut Crac., Goth., Prag. et sine dubio quicquid est codicum; ob hunc consensum e praecedente *est* non videtur originem duxisse; quid tamen colligi inde oporteat, nondum definio.

§ 4. Athenienses αὐτόχθονες; v. scriptores ap. Wessel. ad Diod. I, 9. p. 312. Bip., intt. ad Isocr. Paneg. c. 4. Lindenbrog. ad Censorin. p. 22. Haverk.

5 incolunt; et quae illis sedes, eadem origo est. Primi lanificii et olei
et vini usum docuere. Arare quoque ac serere frumenta glandem
6 vescentibus monstrarunt. Litterae, ceremoniae ac facundia et hic
7 civilis ordo disciplinae veluti templum Athenas habent. Ante Deu-
calionis tempora regem habuere Cecropem: quem, ut omnis anti-
quitas fabulosa est, biformem tradidere: quia primus marem femi-
8 nae matrimonio iunxit. Huic successit Cranaus, cuius filia Atthis
9 regioni nomen dedit. Post hunc Amphictyon regnavit: qui primus
10 Minervae urbem sacravit et nomen civitati Athenas dedit. Huius
temporibus aquarum illuvies maiorem partem populorum Graeciae
11 absumsit. Superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad
regem Thessaliae Deucalionem ratibus evecti sunt: a quo propterea
12 genus hominum conditum dicitur. Per ordinem deinde successionis

---

§ 5. *ac serere*] e codd. Bong., Goth.; ante *et ser.*

§ 6. *Literae, ceremoniae ac f.*] Sic diserte cod. Thuan.; e ceteris multi praesertim Bong.: *Literae cerie ac f.*, quod idem est per compendium scriptum; inde vulgati: *Litterae certe ac f.*, quod si genuinum esset, non intelligeretur quomodo tantopere in eo turbatum fuerit; praeterea adv. *certe* h. l. maxime incommodum est; quare Vossio auscultandum duxi. Ex Isidoro, qui h. l. exscripsit, nihil proficimus, Origg. XV, 1. p. 1188: „*quia et litterae et artes diversorum studiorum et ipsa Philosophia veluti templum Athenas habuerunt.*" Deinde Gronovius pron. *hic* ex auctoritate Leid. 2. et ed. Rom. omisit; adde Franecq. et Prag.; sed male; est *civilis ordo disciplinae*, quem cernimus, in quo omnes vivimus. (*hic civilis disc. ordo* 1 Bong., Crac., Goth.)

§ 7. *biformem*] *διφυῆ*, cuius rei Graeci multas rationes excogitarunt; v. Suid. v. *Κέκρωψ*, al. ap. Meurs. de regibus Athen. I, 8; quam Iustinus proponit, ad *Theopompum* auctorem referendam esse coniicit Creuzerus in Melett. critt. P. I. p. 63. *Clearchus* certe, Aristotelis discipulus, in libro *περὶ παροιμιῶν* eam secutus fuerat. (v. Athen. XIII. p. 555. D.)

§ 8. Crac., Goth.: *nomen regioni d.* — *Atthis;* v. al. scriptores ap. Siebelis. prolus. de fragg. Phanod., Demon. cett. p. XXV.

§ 9. *Amphictyon*] Sic pauci, ut videtur, codd., plurimi et chronogr.: *Amphitryon* vel adeo *Amphitrionides;* v. Bongars. et Meurs. I, c. 15. Isidor. l. l. *Amphion.*

nomen civ. Athenas dedit] Hoc prius multo, post nobile illud Minervae cum Neptuno certamen, factum esse narrat mythus, Apollod. III, 14, 1. Herodotus auctor est (VIII, 44), sub Erechtheo Cecropidas *Ἀθηναίους μετωνομασθῆναι.* Templum tamen istud dedicatum alii ad *Erichthonium* referunt.

§ 10. *aquarum illuvies*] Diluvium Deucalioneum alii sub Cranao (v. ad Apollod. III, 14, 4), alii Cecrope regnante factum narrant, nemo sub Amphictyone. Fortasse error est, ex eo profectus, quod Deucalion pater Amphictyonis perhibebatur. — De voce *illuv.* cf. Schefferum.

§ 11. Videtur hoc pro specimine haberi posse, qua ratione Theopompus studuerit *τὸν μῦθον ἀνασώζειν πρὸς τὴν ἀλήθειαν* (Creuzer. praef. ad Ephorum p. VIII.). Regnum in Thessalia administrasse Deucalion iam ab Hellanico dicebatur.

§ 12. *Per ordinem successionis*] Amphictyoni et Erechtheo interiecti sunt *Erichthonius* et *Pandion*, quem priorem dicunt, Erichthonii filius.

regnum ad Erichtheum descendit, sub quo frumenti satio apud Eleu-
sin a Triptolemo reperta est: in cuius muneris honorem noctes ini- 13
tiorum sacratae. Tenuit et Aegeus, Thesei pater, Athenis regnum: 14
a quo per divortium decedens Medea propter adultam privigni aeta-
tem Colchos cum Medio filio ex Aegeo suscepto concessit. Post 15
Aegeum Theseus ac deinceps Thesei filius Demophoon, qui auxilium
Graecis adversus Troianos tulit, regnum possedit.

Erant inter Athenienses et Dorienses simultatium veteres offen- 16
sae: quas vindicaturi bello Dorienses de eventu proelii oracula con-
suluerunt. Responsum *superiores fore, ni regem Atheniensium occi-* 17
dissent. Cum ventum esset in bellum, militibus ante omnia custo- 18
dia regis praecipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat: 19
qui et responso dei et praeceptis hostium cognitis permutato regis
habitu pannosus, sarmenta collo gerens castra hostium ingreditur:
ibi in turba obsistentium a milite, quem falce astu convulneraverat, 20
interficitur. Cognito regis corpore Dorienses sine proelio discedunt.
Atque ita Athenienses virtute ducis pro salute patriae morti se offe- 21
rentis bello liberantur.

VII. Post Codrum nemo Athenis regnavit: quod memoriae no- 1
minis eius tributum est. Administratio reipublicae annuis magistra- 2

Erichtheum] Sic Bongars., Goth., Prag. et alii codd., ut Chronicon Parium; vulgo: *Erechtheum.* De re v. Wessel. ad Diod. I, 29. p. 351.

Eleusin] Sic codd. plures et meliores. Gronov. e tribus et vett. edd.: *Eleusina.*

Triptolemo] Codd. Bong. et 1 Oxon.: *Neoptolemo.*

§ 14. *Tenuit et Aegeus*] Praecesserant eum post Erechtheum alter *Cecrops*, Pandionis filius, Erechthei frater, et alter *Pandion*, Erechthei filius.

Medio] Sic codd. Bong.; suspecti codd. Gronovii, Prag. c. edd.: *Medo.* Crac., 1 Bong. et 1 Ox.: *Medeo.* Graeci fere: *Μῆδος.* Apud Pausan. Corinth. c. 3, 7. eius loco Aldina *Μήδειαν*, ubi Siebelis.: „*forsan pro Μήδειον.*" *Μήδειος* est ap. Hesiod. theogon. 1001, sed ibi ab Iasone genitus dicitur.

§ 15. *deinceps*] Imo praecessit eum *Mnestheus*, qui Graecis in Troiano bello adfuisse vulgo narratur; v. Bongars. Sed *Lesches* Demophoontem in castris Graecorum fuisse scripserat, cum everteretur Troia; v. Pausan. X, 25; et Athenis quidem hanc famam probatam fuisse, inde intelligitur, quod ex Equo Durio in Acropoli ex aere posito *καὶ Μενεσθεὺς καὶ Τεῦκρος ὑπεκκύπτουσιν*, ut narrat Pausan. I, 23, 10, *προςέτι δὲ καὶ οἱ παῖδες οἱ Θήσεως.*

regnum possedit] Successit ei frater *Oxyntes*, huic *Aphitas*, qui occiditur ab illius filio spurio *Thymoete;* is autem cedere cogitur *Melantho*, ab Heraclidis Messania expulso; quem denique excipit filius *Codrus.*

§ 16. *Dorienses*] Codd. Bong. ubique: *Dorenses.*

proelii] Sic plurimi codd. et Sarisbar. in Policrat. IV, 3; proelii scilicet, quod iam inituri erant. Cf. Dresig. p. 693. ed. Fisch. Gronovius post alios *belli* ex Magl., Thuan., coll. N., uno Bong.

C. VII. § 2. *annuis magistratibus*] archontibus; sed negligenter haec relata sunt. Primum enim (ab a. 1068.) *perpetui* archontes creabantur, a Medonte, qui inter hos primus erat, *Medontidae* dicti; huiusmodi archontes

3 tibus permissa. Sed civitati nullae tunc leges erant, quia libido
4 regum pro legibus habebatur. Legitur itaque Solon, vir iustitiae
5 insignis, qui velut novam civitatem legibus conderet: qui tanto temperamento inter plebem senatumque egit (cum, si quid pro altero ordine tulisset, alteri displiciturum videretur), ut ab utrisque parem
6 gratiam traheret. Huius viri inter multa egregia illud memorabile
7 fuit. Inter Athenienses et Megarenses de proprietate Salaminae in-
8 sulae prope usque interitum armis dimicatum fuerat. Post clades multas capital esse apud Athenienses coepit, si quis legem de vin-
9 dicanda insula tulisset. Sollicitus igitur Solon, ne aut tacendo parum reipublicae consuleret aut censendo sibi, subitam dementiam simulat, cuius venia non dicturus modo prohibita, sed et facturus
10 erat. Deformis habitu more vecordium in publicum evolat; factoque
11 concursu hominum, quo magis consilium dissimulet, insolitis sibi
12 versibus suadere populo coepit, quod vetabatur: omniumque animos ita cepit, ut extemplo bellum adversus Megarenses decerneretur, insulaque devictis hostibus Atheniensium fieret.

1 VIII. Interea Megarenses memores illati Atheniensibus belli et deserti, ne frustra arma movisse viderentur, matronas Atheniensium

---

tredecim magistratui praefuerunt; successerunt septem *decennales;* ab anno tandem 682 quotannis creabantur novem archontes *annui*, inter quos etiam *Draco* fuit, qui leges scripsit. — Codd. Bong.: *annua.*

§ 3. *nullae leges*] nam Draconis leges nihil valebant „tacito Atheniensium consensu obliteratae.“ — *Regum*] nam regio arbitrio agebant magistratus ex optimatibus lecti.

§ 5. *egit (cum, si — videretur), ut ab* cett.] Crac., Goth., edd. Ald., Iunt.: *egit, ut (si — videretur) ab utrisque* — omissa vocula *cum.* Ed. Rom.: *egit, ut (cum — vid.) ab utr.* cett. Prag.: *displiciturus.*

§ 6. *illud*] Gronov. e vett. edd. et 3 codd., quibus accedunt recc. Goth. et Crac.: *et illud.* Ceteri *et* omitt.

§ 8. Crac., Goth.: *Post multas cl.*

§ 9. *censendo sibi*] de glossa Magl., Crac., Goth., edd. addunt: *periculum afferret;* Thuan.: *offenderet.* Prag.: *noceret.*

§ 11. *dissimulet*] Sic MSS. Bong., Prag., Goth.; cf. ad c. 4, § 11. Vulgo: *dissimularet.*

versibus] Superest hodie pars illius carminis, de quo Plutarchus (Sol. c. 8.): *τοῦτο τὸ ποίημα Σαλαμὶς ἐπιγέγραπται καὶ στίχων ἑκατόν ἐστι χαριέντως πάνυ πεποιημένων.*

C. VIII. § 1. Sic codd. plurimi et optimi hunc locum exprimunt, neque adversatur historia. Plutarchus primum ex nonnullorum narratione (c. 9 sq.) Salaminis occupationem Lacedaemonibus arbitris absolutam retulerat; tum pergit: *ἤδη μὲν οὖν καὶ ἀπὸ τούτων εὔδοξος ἦν ὁ Σόλων καὶ μέγας· ἐθαυμάσθη δὲ καὶ διεβοήθη μᾶλλον ἐν τοῖς Ἕλλησιν, εἰπὼν περὶ τοῦ ἱεροῦ τοῦ ἐν Δελφοῖς*, propter Cirrhaeorum iniurias. Inde transit ad seditiones, quas *τὸ Κυλώνειον ἄγος* tandem excitavit (c. 12.): *ταύταις δὲ ταῖς ταραχαῖς καὶ Μεγάρεων συνεπιθεμένων ἀπέβαλόν τε Νισαίαν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ Σαλαμῖνος ἐξέπεσον αὖθις;* Nisaeam vero notum est Pisistratum recepisse; v. Herod. I, 59. l. 26, addentem insuper: *καὶ ἄλλα ἀποδεξάμενος μεγάλα ἔργα.* Quidni igitur Megarenses etiam tum ab eo repulsos

in Eleusinis sacris noctu oppressuri, naves conscendunt. Qua re 2
cognita dux Atheniensium Pisistratus iuventutem in insidiis locat,
iussis matronis solito clamore ac strepitu etiam in accessu hostium, ne
intellectos se sentiant, sacra celebrare: egressosque navibus Mega- 3
renses inopinantes adgressus delevit; ac protinus classe captiva inter-
mixtis mulieribus, ut speciem captarum matronarum praeberent, Me-
gara contendit. Illi cum et navium formam et petitam praedam 4
cognoscerent, obvii ad portum procedunt: quibus caesis Pisistratus
paullum a capienda urbe abfuit. Ita Megarenses suis dolis hosti vi- 5
ctoriam dedere. Sed Pisistratus, quasi sibi, non patriae vicisset, 6
tyrannidem per dolum occupat: quippe voluntariis verberibus domi 7
adfectus laceratoque corpore in publicum progreditur; advocata con- 8
cione vulnera populo ostendit; de crudelitate principum, a quibus
haec se passum simulabat, queritur; adduntur vocibus lacrimae et 9
invidiosa oratione multitudo credula accenditur: *amore plebis invisum
se senatui* adfirmat: obtinet ad custodiam corporis sui satellitum auxi- 10
lium; per quos occupata tyrannide per annos triginta tres regnavit.

IX. Post huius mortem Diocles, alter ex filiis, per vim stuprata 1
virgine a fratre puellae interficitur. Alter, Hippias nomine, cum 2

---

et Salamina receptam statuamus? nam nostram narrationem eandem esse ac *popularem* illam *famam* ap. Plutarch. c. 8. perspicue apparet; tempora tantum confusa sunt. In annum igitur 1 vel 2 Olymp. XLVI, anno vel biennio ante quam Solon archon eponymus fieret, haec Pisistrati facinora incidunt, prima autem Salaminis occupatio per Solonem paullo prius. Itaque Megarenses bellum aliquamdiu intermiserant (h. e. illud: *illati Atheniensibus et deserti belli*), sed tum per civiles, ut videtur, Atheniensium turbas ad arma redierunt. (Aliter *Corsinus* in Fastis Att. V. III. p. 64 sq., errans, quod Plutarchi l. l. c. 12. non diligenter inspexit.) Vett. edd., quas Wetzelius sequitur, ab editoribus correctae: *illati ab Atheniensib. b. et veriti, ne* cett.; *veriti* est etiam in codd. Angl., Crac. ac fort. aliquot Gronovii.

§ 2. *locat*, *iussis*] Duo Modii: *locavit iussitque*. Codd. Bong.: *locari iussit*, depravate.

§ 3. *Megara*] Sic codd., etiam Bong.; v. Vorstium. Sed Goth. c. edd. vett.: *Megaram;* iidem cum Crac.: *captivarum matronarum.*

§ 4. *abfuit*] Bong., 3 codd. Gron.: *afuit;* v. Gronov.

§ 5. *Megarenses*] Codd. omnes Bong.: *Dorenses* vel (pauciores) *Dorienses*.

§ 6. Sed hoc plus triginta annis post victoriam Megarensem factum est.

§ 9. *affirmat*] Mss. Bong., Ox. C., Bodl., Goth. cum Vinc. Bellov. IV, 18: *simulat.*

§ 10. *triginta tres*] „Ex his 17 tantum annos in potestate urbem habuit, 16 in exsilio egit.“ *Bernecc.* V. Vales. ad Excerpta Peiresc. p. 42. (Diod. X. p. 311 sq. Bip.). Ceterum 4 Gronov., 1 Bong., Bodl., Goth., edd.: *trig. quatuor.*

C. IX. § 1. *Diocles*] Hunc ceteri omnes et Graeci et Romani historici *Hipparchum* appellant. Cod. coll. N. nomen omittit, quod et ipsum, ut alia plurima in hoc cod., docti correctoris vestigium est. — Codd. Bong., Crac., Prag., Goth. *huius* dederunt; vulgo: *eius.*

per vim stuprata virg.] imo ignominia affecta, quod Hipparchus eam

imperium paternum teneret, interfectorem fratris comprehendi iubet:
3 qui cum per tormenta conscios caedis nominare cogeretur, omnes
4 amicos tyranni nominavit: quibus interfectis quaerenti tyranno, *an adhuc aliqui conscii essent*, *Neminem* ait *superesse*, *quem amplius*
5 *mori gestiat*, *quam ipsum tyrannum*. Qua voce eiusdem se tyranni
6 victorem post vindictam pudicitiae sororis ostendit. Huius virtute cum admonita civitas libertatis esset, tandem Hippias regno pulsus
7 in exsilium agitur: qui profectus in Persas ducem se Dario inferenti Atheniensibus bellum, sicuti supra significatum est, adversus patriam
8 suam offert. Igitur Athenienses audito Darii adventu auxilium a
9 Lacedaemoniis, socia tum civitate, petiverunt; quos ubi viderunt quatridui teneri religione, non exspectato, instructis decem millibus civium et Plataeensibus auxiliaribus mille adversus sexcenta millia
10 hostium in campis Marathoniis in proelium egrediuntur. Miltiades et dux belli erat et auctor non exspectandi auxilii: quem tanta fiducia ceperat, ut plus praesidii in celeritate quam in sociis duceret.
11 Magna igitur in pugnam euntibus alacritas animorum fuit, adeo ut, cum mille passus inter duas acies essent, citato cursu ante iactum

---

a ministerio gestandi in Panathenaicis canistri submoverat, ut Thucydides et Aristoteles referunt. Hoc tamen non tam pro varietate narrationis quam pro errore Pompeii in verbis Graeci scriptoris *καταισχύνειν*, *ὑβρίζειν* vel alio huiusmodi habendum erit. — *Fratre*] Harmodio.

§ 3. *conscios caedis*] *caedis* codd. omnes Modii omittunt. De tormentis Aristogitoni vel Harmodio adhibitis nullus scriptor; nam Thucyd. illa verba: *οὐ ῥαδίως διετέθη* (VI, 57.) aliter intelligenda sunt (v. Haack.), non de tormentis, ut *Ilgenius* p. 56. ad *σκόλια Graecorum*, ubi quae de hac caede veteres narrant, collegit. Leaena tamen, amica Aristogitonis, maximis cruciatibus ad mortem affecta est; cf. Siebelis. ad Pausan. I, 23, 1.

§ 4. *quam ipsum*] Med., Magl., Leid. 2. 5, Prag., Bodl., 1 Bong.: *nisi i.*

§ 7. *supra*] c. 5. § 12.

§ 8. *tum*] Med., Magl., Periz., Crac., Goth.: *tunc*.

§ 8. *petiverunt*] In omnibus codd. Bong. praeter 1, et in Thuan.: *perduraverunt*, quod Gronovius in suis reperisse non videtur; recepissem tamen, si iam nunc testimoniis probare possem, *perdurare* h. l. significare *auf etwas bestehen*, instare, quod verum esse confido. Scheffer: *postulaverunt*, ut Leid. 4.

§ 9. *quatridui religione*] lex enim erat apud Spartanos, ut ante plenilunium exercitus ex urbe ad bellum ne proficisceretur; hinc Oros.: *quatriduanae religionis otio*. Goth., Dorv. 1. 3: *didicerunt* (pro *vid.*).

non exspectato] scil. auxilio, quod vocab. praecesserat; editiones: *non exsp. auxilio*, sed postrema vox abest ab omnibus tam Bong. quam Modii.

sexcenta] Vinc. Bellov.: *septingenta*.

in campis Marathoniis] Sic optimi codd. et plurimi, etiam Oros. et chronogr. Consederant enim ibi aliquamdiu, antequam in proelium exirent et manus consererent; v. Herod. VI, 103. coll. 110. Eo minus igitur sermoni timendum erat; tamen edd. paene omnes: *in campos Marathonios*, quod etiam inelegans est.

§ 11. Crac., Goth., Vincent. Bellov.: *animorum alacritas*.

sagittarum ad hostem venerint. Nec audaciae eius eventus defuit: 12
pugnatum est enim tanta virtute, ut hinc viros, inde pecudes putares.
Victi Persae in naves confugerunt; ex quibus multae suppressae, mul- 13
tae captae sunt. In eo proelio tanta virtus singulorum fuit, ut, cu- 14
ius laus prima esset, difficile iudicium videretur. Inter ceteros tamen 15
Themistoclis adolescentis gloria emicuit, in quo iam tunc indoles fu-
turae imperatoriae virtutis apparuit. Cynaegiri quoque militis Athe- 16
niensis gloria magnis scriptorum laudibus celebrata est: qui post 17
proelii innumeras caedes, cum fugientes hostes ad naves egisset,
onustam navem dextra manu tenuit nec prius dimisit quam manum
amitteret: tum quoque amputata dextra navem sinistra comprehen- 18
dit; quam et ipsam cum amisisset, ad postremum morsu navem de-
tinuit. Tantam in eo virtutem fuisse, ut non tot caedibus fatigatus, 19
non duabus manibus amissis victus, truncus ad postremum et, veluti
rabida fera, dentibus dimicaverit. Ducenta millia Persae eo proelio 20
sive naufragio amisere. Cecidit et Hippias, tyrannus Atheniensis, 21

---

§ 13. *suppressae*] 5 codd. Gronov., 1 Bong., 2 Oxonn.: *submersae*, quod Fischerus praefert; alias enim Latinis esse *naves suppressas*, alias *submersas;* et laudat intt. ad Nepot. XIII, 3, 3.

§ 15. *virtutis*] Sic vett. edd., neque tamen ullus e codd., quorum diserta mentio fit. Bong., Crac., Goth., Prag.: *dignitatis*, unde coniicio in omnibus codd. ita legi, licet hic etiam taceat Gronovius. Casta quidem latinitas me quoque iudice non dicebat: *indoles imperatoriae dignitatis*, nisi hac significatione: *indoles tantae animi magnitudinis, quae dignum aliquem praestet imperatoris munere;* sed h. l. Iustinus manifesto *honorem imperatorium* indicare voluit; tamen non alienum puto hoc vitium ab oratione epitomatoris, quare equidem auctor sim, ut relinquatur ei.

§ 16. *Cynaegiri*] Med., Leid. 5: *Cynegeri. Κυνέγειρος* ap. Herodotum. — *scriptorum*] Trecenti enim scriptores Marathoniam pugnam celebraverant, teste Plutarcho.

manum amitteret] Vox *manum* deest in vetustis Bong. et uno Vossii, sed non exiguo sententiae detrimento eam deleres.

§ 20. *Ducenta millia* cett.] Herodotus (VI, 117.) 6400 barbarorum cecidisse refert; „noster naufragio haustos adiicit, quorum ingentem fuisse numerum etiam ex Diodoro XI, 12. 13 colligitur [at hic de Xerxis clade loquitur]; itaque pro *sine naufragio* monitu Freinshemii rescripsi *sive naufr.*, quod nisi recipimus, nimiopere discordabit ratio." *Bernecc.* At tum dicendum erat *et naufr.* vel alio quovis modo, neque tamen: *sive n.*, quam lectionem rectius explicavit I. Fr. Gronovius: *in eo proelio* (dicas) *sive naufragio*, ut incertum lectori relinquatur, duplicem hanc calamitatem proelium an naufragium appellare velit. Codd. quidem nisi fallor omnes et Vinc. Bellov.: *sine naufr.*, i. e. excepto naufr., si discedas ab iis, qui naufragio perierunt; sed huius usus in praepos. *sine* idonea exempla desideramus; si tamen epitomator ita locutus est, dubitationes de numerorum incredibili magnitudine nihil nos movent in rhetore, quem alius insuper rhetor vertit in tanta epitomatoris indiligentia, in codicum denique numeros exprimendi varietate.

§ 21. *Hippias*] Hunc ad Marathonem in exercitu Persarum fuisse et Herodotus et Thucydides testantur; neuter ibi eum obiisse narrat; (errat

auctor et concitor eius belli, diis patriae ultoribus poenas repeten-
tibus.
1 X. Interea et Darius, cum bellum restauraret, in ipso apparatu
decedit, relictis multis filiis et in regno et ante regnum susceptis.
2 Ex his Artemenes maximus natu aetatis privilegio regnum sibi vindi-
3 cabat, quod ius et ordo nascendi et natura ipsa gentibus dedit. Porro
Xerxes controversiam non de ordine, sed de nascendi felicitate re-
4 ferebat: *namque Artemenen primum quidem Dario, sed privato prove-*
5 *nisse: se regi primum natum. Fratres itaque suos, qui ante geniti*
essent, privatum patrimonium, quod eo tempore Darius habuisset, non
regnum sibi vindicare posse: se esse, quem primum in regno iam rex
6 *pater sustulerit. Huc accedere, quod Artemenes non patre tantum,*
sed et matre privatae adhuc fortunae, avo quoque materno privato pro-
7 *creatus sit: se vero et matre regina natum et patrem non nisi regem*
vidisse; avum quoque maternum Cyrum se regem habuisse, non here-
8 *dem, sed conditorem tanti regni: et, si in aequo iure utrumque fra-*
9 *trem pater reliquisset, materno tamen se iure et avito vincere.* Hoc
certamen concordi animo ad patruum suum Artaphernen, veluti ad
10 domesticum iudicem, deferunt; qui domi cognita causa Xerxen prae-
posuit: adeoque fraterna contentio fuit, ut nec victor insultaverit
nec victus doluerit, ipsoque litis tempore munera invicem miserint

---

Vales. ad Exc. Diod. X. p. 312. Bip.); sed cum nostro consentit Cicero, alii; v. Meursii Pisistr. p. 137 sqq.

concitor] Codd. Bong., Ox. C., Goth.: *conditor.*

C. X. § 1. *Darius*] Codd. Bong. ubique: *Dareus.*

restauraret] Sic omnes codd. praeter interpolatum illum coll. N., neque aliter Iustinus in quinque aliis locis, in ind. Gronov. v. *restaur.* recensitis; in his omnibus codd. auctoritas vocem *restaur.* extra omnem dubitationem ponit. Correxerunt tamen et hic et in ceteris locis: *instaur.*

§ 2. *Artemenes*] Periz., 1 Bong., Crac., Goth., Prag.: *Artamenes.* Med., Leid. 2. 5, 1 Bong.: *Ariamenes;* et sic Plutarchus; Herodotus: *Ἀριοβαζάνης;* idem vivo adhuc patre eam controversiam motam et ab ipso Dario iudicatam refert, Demarato Lacedaemonio Xerxi rationes subministrante.

dedit] Non est in vetustis Bong.

§ 5. *in regno iam rex p.*] Omnia si iunctim legas, non offendet hic pleonasmus, imo decet locum. Quod e vett. edd. reposuerunt, quibuscum facit Goth. cum aliis 4 recentioribus: *in regnum*, post voc. *primum* incommodum est et non suo loco positum.

§ 6. *avo quoque*] Med., Bodl., Leid. 5, 1 Bong.: *ita avo quoque.*

§ 8. *et, si in*] Goth., Crac., Prag., 1 Bong.: *ita, etsi in*, non male et meliores codd. diligentius inspiciendi; coll. N.: *itaque si;* edd. vett.: *itaque etsi.*

§ 9. *Artaphernen*] Sic Bongars. emendavit ex Herodoto. Codd.: *Ariafernem;* sic etiam Vinc. Bell. Gronov. e suis nihil affert.

§ 10. *qui domi c. c. X. praep.*] Desunt haec in codd. Bong.

munera invicem] Sic Crac. et Goth., quod rectius esse quisque confitebitur. Edd. omnes: *invic. mun.* Paullo ante vett. edd. et coll. N.: *indoluerit.*

et iucunda quoque inter se, non solum credula convivia habuerint,
iudicium quoque ipsum sine arbitris, sine convicio fuerit. Tanto 11
moderatius tum fratres inter se regna maxima dividebant, quam nunc
exiguâ patrimonia partiuntur. Igitur Xerxes bellum a patre coeptum 12
adversus Graeciam per quinquennium instruxit. Quod ubi primum 13
didicit Demaratus, rex Lacedaemoniorum, qui apud Xerxen exsula-
bat, amicior patriae post fugam quam regi post beneficia, ne inopi-
nato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratibus
perscribit, eademque cera superinducta delet: ne aut scriptura sine 14
tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet; fido deinde
servo perferendas tradit, iusso magistratibus Spartanorum tradere.
Quibus perlatis Lacedaemone quaestioni res diu fuit, quod neque 15
scriptum aliquid viderent nec frustra missas suspicarentur, tantoque
rem maiorem, quanto sit occultior, putabant. Haerentibus in con- 16
iectura viris soror regis Leonidae consilium scribentis invenit. Erasa 17
igitur cera belli consilia deteguntur. Iam Xerxes septingenta millia 18
de regno armaverat et trecenta millia de auxiliis: ut non immerito 19
proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata Graeciamque omnem

---

et iuc. quoque] Bong. et codd., quorum lectiones disertius referuntur: *iuc. q.*, omisso *et*, inconcinne; sequentia tamen in codd. tantum non omnibus turbata esse videntur, sed verissimum iudicamus, quod vulgo editur; de voce *credula* v. Wopk. Bongars.: *iucunda quoque inter se non solum, sed credula conv. hab.*, falso, quia per se tuta esse oportet, quae sunt iucunda.

§ 11. *regna max.*] Crac., Goth., Vinc. Bellov., ed. Modii: *maxima regna.*

§ 12. *per quinq.*] Sic plurimi codd.; sed Bong. antiquam lectionem esse pronunciat: *quinquenn.*, omissa praepos., quod restituere nondum audebam.

§ 13. *magistratibus*] Bong., Oxon.: *magistratui*, e codd., ut videtur; contra puriorem usum, v. Graev. ad h. l. Recentiores codd.: *magistratibus;* de ceteris res incerta est.

eademque] Hoc retinui cum aliis ex edd. Ald. et Iunt. Codd. omnes: *easdemque*, quod defendi posse puto, sed nondum ad manus sunt omnia, quibus id fieri debet. Ob verba *recens cera*, de quibus multum disputatum est, Weiskius (*de Hyperbole in hist. Philippi* I. p. 47.) probabiliter scribit: *easdemque v e t e r e cera* cett. „*Vetere* partim a *que*, partim a *cera* absorptum flagitatur opposito *recens* totiusque loci sensu. Vetus enim cera fraudem tectura erat, non recens.“ V. etiam Graevium. Dresig.: *recens ora.*

perferendas cett.] Bipp. ex ed. pr. Rom.: *tradit mag. Spart.*, reliquis omissis. (praef. p. XV.) Prag.: *iussas — tradi.* Iterum Bong.: *magistratui,* ex uno tantum cod. pluralem afferens.

§ 16. *soror*] *Gorgo*, ap. Herodotum Leonidae uxor.

§ 18. In hoc copiarum numero plurimum variant scriptores; v. laudd. ap. Bong. et Bernecc. praesertim ap. Brisson. de regno Pers. III. p. 743 sqq. Convenit fere cum nostro Diodorus: *ὥστε ἔχειν αὐτὸν τοὺς σύμπαντας* (cum auxiliis) *οὐκ ἐλάττους τῶν ἑκατὸν μυριάδων, χωρὶς τῆς ναυτικῆς δυνάμεως.* Bongarsii codd.: *sept. m. armatorum de regno et tr.* cett. Crac.: *sept. m. de regno, et tr. m. de a. paraverat;* Goth.: *sept. m., de aux autem tr. paraverat;* posterius *millia* etiam alii omittunt; v. Gron. p. 798.

20 vix capere exercitum eius potuisse. [Naves quoque mille ducentas
21 numero habuisse dicitur.] Huic tanto agmini dux defuit. Ceterum
22 si regem spectes, divitias, non ducem laudes: quarum tanta copia
in regno eius fuit, ut, cum flumina multitudine consumerentur, opes
23 tamen regiae superessent. Ipse autem primus in fuga, postremus
in proelio semper visus est; in periculis timidus; sicubi metus abes-
24 set, inflatus; denique ante experimentum belli fiducia virium, veluti
naturae ipsius dominus, et montes in planum deducebat et convexa
vallium aequabat et quaedam maria pontibus sternebat, quaedam ad
navigationis commodum per compendium ducebat.
1 XI. Cuius introitus in Graeciam quam terribilis, tam turpis ac
2 foedus discessus fuit. Namque cum Leonida, rex Spartanorum,
cum quatuor millibus militum angustias Thermopylarum occupasset,
Xerxes contemtu paucitatis eos pugnam capessere iubet, quorum co-
3 gnati Marathonia pugna interfecti fuerant: qui, dum ulcisci suos
quaerunt, principium cladis fuere; succedente deinde inutili turba
4 maior caedes editur. Triduo ibi cum dolore et indignatione Persa-
5 rum dimicatum: quarta die cum nuntiatum esset Leonidae a viginti
millibus hostium summum cacumen teneri, tunc hortatur socios, *re-*
6 *cedant et se ad meliora patriae tempora reservent: sibi cum Spartanis*
fortunam experiendam: plura se patriae quam vitae debere; ceteros ad
7 *praesidia Graeciae servandos.* Audito regis imperio discessere ceteri,
8 soli Lacedaemonii remanserunt. Initio huius belli sciscitantibus Del-
phis oracula responsum fuerat: *aut regi Spartanorum aut urbi caden-*
9 *dum.* Et idcirco rex Leonida, cum in bellum proficisceretur, ita
suos firmaverat, ut ire se parato ad moriendum animo scirent.

---

§ 20. Codices: *N. q. decies centum millium s. millia numero* cett. sed hic est militum numerus, non navium; itaque singulis militibus singulae naves evenirent. Vitium primus monstravit Modius ad Curtium V, 7, 8. Orosius I, 9. et chronogr. ex eo omnes: *rostratas etiam naves mille ducentas, onerarias autem tria millia numero habuisse narratur.* Sic Herodotus numerat 1207 triremes, reliquarum omnis generis 3000 (VII, 89. 97). Ab his numeris alii paullum abeunt; v. collecta veterum iudicia ap. *Brisson.* l. l. p. 747 sqq. qualis nostro loco restituendus sit, fortasse aliquis e palaeographia numerorum inveniendum esse putabit; sed omnem operam hic ludi censeo et ex marginalibus notis haec verba in texta se ingessisse. Lege modo totum locum et specta verborum, quae seclusimus, debilitatem.

C. XI. § 2. *Namque cum* cett.] Sic Bong., 6 codd. ap. Gronov., Goth., Crac., edd. vett., et Chron. regia Pantal., ex more Iustini, v. III, 2; XXIV, 4; XXXII, 4; XXXIV, 1, et saepissime, XVI, 4, § 9 etiam: *Namque cum velut arbiter — reversus esset* cett.

§ 3. *deinde*] Mss. Bong.: *dein.*

§ 4. *dimicatum*] Iidem: *dim. est.*

§ 6. *plura*] Codd. Bong.: *plurima* i. e. *pluria*, ut aliquot eiusdem; insequens *se* omittunt Crac., Goth. c. edd. vett., ut supra c. 4, § 27.

§ 9. *ut ire se parato*] Dorvill. 1. 3. Crac., Goth.: *ut regem parato* cett. de glossa quidem, sed recte locum intelligentes; Bodl. quoque *ire* omisit.

Angustias propterea occupaverat, ut cum paucis aut maiore gloria 10
vinceret aut minore damno reipublicae caderet. Dimissis igitur sociis 11
hortatur Spartanos, *meminerint qualitercumque proeliantibus cadendum*
esse; caverent, ne fortius mansisse quam dimicasse videantur; nec 12
exspectandum, ut ab hoste circumvenirentur, sed, dum nox occasionem
daret, securis et laetis superveniendum: nusquam victores honestius 13
quam in castris hostium perituros. Nihil erat difficile persuadere per- 14
suasis mori: statim arma capiunt et sexcenti viri castra quingento- 15
rum millium irrumpunt; statimque regis praetorium petunt, aut cum
illo aut, si ipsi oppressi essent, in ipsius potissimum sede morituri.
Tumultus totis castris oritur. Spartani, posteaquam regem non in- 16
veniunt, per omnia castra victores vagantur; caedunt sternuntque
omnia, ut qui sciant se pugnare non spe victoriae, sed in mortis
ultionem. Proelium a principio noctis in maiorem partem diei tra- 17
ctum. Ad postremum non victi, sed vincendo fatigati inter ingentes 18
stratorum hostium catervas occiderunt. Xerxes duobus vulneribus 19
terrestri proelio acceptis experiri maris fortunam statuit.

XII. Sed Atheniensium dux Themistocles, cum animadvertisset 1
Ionas, propter quos bellum Persarum susceperant, in auxilium regis
classe venisse, sollicitare eos in partes suas statuit: et, cum collo- 2
quendi copiam non haberet, quo applicituri erant, symbolos proponi
et saxis proscribi curat: *Quae vos, Iones, dementia tenet? quod fa-* 3
cinus agitatis? bellum inferre olim conditoribus vestris, nuper etiam
vindicibus, cogitatis? An ideo moenia vestra condidimus, ut essent 4

---

§ 10. *Angustias*] Med. et alii 3 ap. Gronov., 1 Bong., Crac., Goth., edd. vett.: *angustiasque pr.*, minus recte; adiiciuntur enim haec, ne quae de fortitudine Leonidae dubitationes inde oriantur lectori, quod angustias obsederat.

§ 11. *proeliantibus*] Fuldd., 1 Bong., Periz.: *proeliatis.* Goth.: *proeliantes;* Prag.: *proelio.*

§ 15. *statim*] Crac., coll. N.: *raptim.* Prag.: *oppressi forent.*

sexcenti] Ita solus noster. Plurimi post Herodotum *trecentos* habent; sed a Spartanis trecentis, quorum singulorum nomina Herodotus sciebat, aliquot centuriae ex reliquis gentibus non recesserunt. Cum paulo ante Trogus iisdem, quibus Diodorus, fontibus usus esset, corrigendum arbitror: *et quingenti viri castra sexcentorum millium* cett. nam qua causa hic *quingenta* millia Xerxi tribuuntur? Diodorus in hoc proelio (XI, 11) ἑκατὸν μυριάδας repetit, quae Romanus recte dicat *sexcenta millia.* Orosius ex h. l. excerpsit: *sexcenti viri castra sexcentorum mill.* cett. Diodorus (c. 9.): (Leonidas) τοὺς σύμπαντας ἔχων οὐ πλείους τῶν πεντακοσίων. (Cf. ad VI, 2, 1.)

§ 16. *posteaquam*] Codd. Bong., Goth.: *postquam.*

§ 18. *non victi*] I. Fr. Gronov. et Graev.: *non vi victi*, qua coniectura dum sententiam erigere student, debilitant ac deprimunt. — *Vulneribus*, cladibus.

C. XII. § 3. „Med.: *bellum inferre solet olim c. v.* Ms. Bong.: *b. i. solit. olim c. v.* Forte legendum: *b. i. sicut olim c.*“ *Gronov.*

5 *qui nostra delerent? Quid si non haec et Dario prius et nunc Xerxi*
6 *belli causa nobiscum foret, quod vos rebellantes non destituimus? Quin*
7 *vos in haec vestra castra ex ista obsidione transitis? aut si hoc parum*
tutum est, at vos commisso proelio ite cessim, inhibete remis et a bello
8 *discedite.* Ante navalis proelii congressionem miserat Xerxes qua-
tuor millia armatorum Delphos ad templum Apollinis diripiendum:
9 prorsus quasi non cum Graecis tantum, sed et cum diis immortalibus
10 bellum gereret: quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est,
ut intelligeret, quam nullae essent hominum adversus deos vires.
11 Post haec *Thespias** et Plataeas et Athenas vacuas hominibus incen-
dit; et, quoniam ferro in homines non poterat, in aedificia igne
12 grassatur. Namque Athenienses post pugnam Marathoniam prae-
monente Themistocle, victoriam illam de Persis non finem, sed cau-
13 sam maioris belli fore, ducentas naves fabricaverant. Adventante
igitur Xerxe consulentibus Delphis oraculum responsum fuerat, *salu-*
14 *tem muris ligneis tuerentur.* Themistocles navium praesidium demon-
stratum ratus persuadet omnibus: *patriam municipes esse, non moe-*
15 *nia; civitatemque non in aedificiis, sed in civibus positam: melius*
itaque salutem navibus quam urbi commissuros. Huius sententiae etiam
16 *deum auctorem esse.* Probato consilio coniuges liberosque cum pre-
tiosissimis rebus abditis insulis, relicta urbe, demandant; ipsi naves
17 armati conscendunt. Exemplum Atheniensium et aliae urbes imi-
18 tatae. Itaque cum adunata omnis sociorum classis et intenta in bel-
lum navale esset, angustiasque Salaminii freti, ne circumveniri a

* *Thespiadas*

---

§ 5. *Quid si*] Schefferus: *quasi non* cett. (Codd. Bong.: *quod si*).

§ 6. *vestra castra*] Sic novem codd. Gronov., in quibus optimus Thuan. et al. meliores, convenienter acumini isti, quod hi scriptores affectant. Vulgo omnes: *nostra castra*, ut recc. codd. et edd. vett., quas Bong. h. l. e codd. suis corrigere neglexit.

§ 7. *est, at*] Hoc coniectura certissima restituit I. Fr. Gronov., post inventum in 1 Bong., edd. Ald. et Iunt. Bongars. c. codd.: *tutum extat;* Goth.: *tutum stat;* Prag.: *tutum est, vos.*

remis] restituente eodem I. Fr. Gronovio in Obss. IV, 26, re ipsa cogente; v. Vorstium. Codd. omnes: *remos.*

§ 9. *sed et cum*] Ita codd. Bong. et, ut videtur, Gronovii. Bong. in textu, Goth., Crac., edd. vett.: *sed cum diis.*

§ 10. *ut intelligeret* cett.] Periz. (Leid. 6.), Crac., Goth., edd. vett.: *ut int., quanto gravior offensa deorum esset, tanto nullas esse hominum adversus deos vires.*

§ 11. *Thespias*] Codd. omnes Bong., 5 Gronovii, Crac., Goth., Vinc. Bellov.: *Thespiadas* vel *Thespiades*, probante Bongarsio ad XXXVI, 1, § 3. Paulo post Goth.: *qu. ferro non poterat in homines, in aedif.* cett., ut edd. vett. Med., Leid. 2. 4, Bodl., 1 Bong.: *in aedificiis.*

§ 12. Rectius haec Herodotus VII, 144. Bong.: *fabricaverunt*, ut edd. vett.; nostram lectionem ex uno tantum Ms. affert.

multitudine posset, occupassent: dissensio inter civitatium principes
oritur: qui cum deserto bello ad sua tuenda dilabi vellent, timens 19
Themistocles, ne discessu sociorum vires minuerentur, per servum
fidum Xerxi nuntiat, *uno in loco eum contractam Graeciam capere fa-
cillime posse. Quod si civitates, quae iam abire vellent, dissipentur,* 20
maiore labore ei singulas consectandas. Hoc dolo impellit regem si- 21
gnum pugnae dare. Graeci quoque adventu hostium occupati proe-
lium collatis viribus capessunt. Interea rex velut spectator pugnae 22
cum parte navium in litore remanet. Artemisia autem, regina Ha- 23
licarnasi, quae in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces bellum
acerrime ciebat: quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere 24
virilem audaciam cerneres. Cum anceps proelium esset, Iones iuxta 25
praeceptum Themistoclis pugnae se paullatim subtrahere coeperunt:
quorum defectio animos ceterorum fregit. Itaque circumspicientes 26
fugam pelluntur Persae et mox proelio victi in fugam vertuntur. In 27
qua trepidatione multae captae naves, multae mersae; plures tamen
non minus saevitiam regis quam hostem timentes domum dilabuntur.

XIII. Hac clade perculsum et dubium consilii Xerxen Mardo- 1
nius adgreditur. Hortatur *in regnum abeat, ne quid seditionis mo-* 2
veat fama adversi belli, et in maius, sicuti mos est, omnia extollens:
sibi trecenta millia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat, qua 3
manu aut cum gloria eius perdomiturum se Graeciam, aut, si aliter
eventus fuerit, sine eiusdem infamia hostibus cessurum. Probato con- 4

---

§ 18. *posset, occupassent*] „Cum tribus Dorv. aliisque Mss. [quos non novi, nisi Goth.] lege: *ne c. a mult. possent, occ.*" *Wopk.* Praeter omnem necessitatem, imo exquisitior vulgata est: classiarii locum *occupant*, ne *classis circumveniatur.*

§ 20. *abire*] Codd. Bong. in hac voce turbant: *ferire* (Leid. 3: *feriari*), *servire*, multi, ut Crac.: *quas i. capere vellet* scribentes.

§ 22. *spectator pugnae*] Codd. Bong.: *expectatae p.*

§ 23. *Artemisia*] Med., 2 Leidd., 1 Bong., 2 Angl. cum Oros., Freculph., et nonnullis exemplaribus Vinc. Bellov.: *Artemidora* vel *Arthemidora.* Bong.: *Arthemisia.* — *Halicarnasi* codd. Bong. et ceteri meliores ap. Gronov. Vulgo: *Halicarnassi.*

primos] Med., Periz., Prag., Crac., Goth., edd. vett.: *primores;* unus Bong.: *priores;* at Bong. et ceteri codd.: *primos.*

§ 25. *quorum*] Goth.: *quae defectio.* — *ceterorum*] Codd. Bong., 3 Leidd., Magl.: *ceteros* (an CETEROꝜ?) Ms. Ox. et 3 Dorv.: *ceteris.* Bodl., Peric., Ms. c.: *in ceteris.*

§ 27. Praeter edd. vett., Goth., Crac., Vinc. Bellov.: *multae submersae naves, multae captae*, nisi quod Bellov.: *mersae.* Oros.: *mersae captaeque.*

domum] Chronogr.: *domos* (v. Gron. p. 800 seq.), qui in tali re nulla fide sunt.

C. XIII. § 2. *et in maius*] Sic Bong. e codd., Crac., Goth., 2 Angl., Prag.; edd. omnes ante Sebisium, qui *et* delevit; sed audiendus erat Freinshemius.

§ 3. *fuerit*] Sic codd. Bong. et Chron. regia Pantaleonis; unus *fuerat;*

silio Mardonio exercitus traditur: reliquas copias rex ipse reducere
5 in regnum parat. Sed Graeci audita regis fuga consilium ineunt
pontis interrumpendi, quem ille Abydo veluti victor maris fecerat:
ut intercluso reditu aut cum exercitu deleretur aut desperatione re-
6 rum pacem victus petere cogeretur. Sed Themistocles timens, ne
interclusi hostes desperationem in virtutem verterent et iter, quod
aliter non pateret, ferro patefacerent: *satis multos hostes in Graecia*
7 *remanere* dictitans, *nec augeri numerum retinendo oportere*, cum vin-
cere consilio ceteros non posset, eumdem servum ad Xerxen mittit,
certioremque consilii facit et occupare transitum maturata fuga iu-
8 bet. Ille perculsus nuntio tradit ducibus milites perducendos: ipse
9 cum paucis Abydon contendit. Ubi cum solutum pontem hibernis
10 tempestatibus offendisset, piscatoria scapha trepidus traiecit. Erat
res spectaculo digna et aestimatione sortis humanae, rerum varietate
miranda, in exiguo latentem videre navigio, quem paullo ante vix
aequor omne capiebat; carentem etiam omni servorum ministerio,
11 cuius exercitus propter multitudinem terris graves erant. Nec pe-
destribus copiis, quas ducibus adsignaverat, felicius iter fuit: siqui-
dem quotidiano labori (neque enim ulla est metuentibus quies) etiam
12 fames accesserat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat et
pestem, tantaque foeditas morientium fuit, ut viae cadaveribus im-
plerentur, alitesque et bestiae escae illecebris sollicitatae exercitum
sequerentur.
1 XIV. Interim Mardonius in Graecia Olynthum expugnat.
2 Athenienses quoque in spem pacis amicitiamque regis sollicitat,
3 spondens incensae eorum urbis etiam in maius restitutionem. Post-

---

(Prag.: *fieret;*) v. Schefferum ad h. l., *Ruddimanni Institutt. gramm.* V. II. p. 304. 374. ed. Lips. et, qui rationem exposuit, *Stallbaum.* ad Platon. Euthyphr. p. 10 sq. Editiones: *ferat*, ut Crac., Goth., 3 Dorv.

§ 4. *reducere*] Codd. Bong.: *deducere.*

§ 6. *in Graecia*] Mss. Bong. et Modii, Goth. et sine dubio plures: *in Graeciam*, i. e. adversus Gr.; ad vocem *remanere* commode suppletur *in Graecia;* sed ubi tantopere ambigi potest, retinuimus, quod maxime ex vulgari usu esset, ne superstitionem codicum msptorum nobis obiectarent.

§ 8. *tradit*] Bong. et 1 Oxon.: *tradidit*, sed illud h. l. melius.

Abydon] Rectius diceret *Seston*, quae cis Hellespontum est; sed cf. Herod. VIII, 117.

§ 10. Haec ita intellige: Erat res digna quae spectetur, digna, in qua sortem humanam aestimemus, miranda denique propter rerum, quam praebet, vicissitudinem, videre regem cett. Noli igitur *miranda,* quod in omnibus codd. et in Chron. reg. Pantal. exstat, cum Graevio vertere in *mirandae;* ita tamen edd. recc.

§ 11. *ulla est*] Chron. regia: *est ulla.*

C. XIV. § 1. *Mardonius*] imo *Artabazus* cum parte copiarum Mardonii Xerxem prosecutus, Herod. VIII, 127.

in Graecia] Faber: *in Thracia*, frustra.

§ 2. *eorum*] Codd. Bong., Bodl., Oxon. C., Goth., Prag., 2 Dorv.:

eaquam nullo pretio libertatem videt his venalem, incensis quae
aedificare coeperant, copias in Boeotiam transfert. Eo et Graeco- 4
rum exercitus, qui centum millium fuit, secutus est: ibique proelium
commissum. Sed fortuna regis cum duce mutata non est. Nam 5
victus Mardonius veluti ex naufragio cum paucis profugit. Castra re- 6
ferta regalis opulentiae capta. Unde primum Graecos diviso inter se
auro Persico divitiarum luxuria cepit. Eodem forte die, quo Mar- 7
donii copiae deletae sunt, etiam navali proelio in Asia sub monte
*Mycale** adversus Persas dimicatum est. Ibi ante congressionem, 8
cum classes ex adverso starent, fama ad utrumque exercitum venit,
vicisse Graecos et Mardonii copias occidione cecidisse. Tantam fa- 9
mae velocitatem fuisse, ut, cum matutino tempore proelium in Boeo-
tia commissum sit, meridianis horis in Asiam per tot maria et tantum
spatii tam brevi horarum momento de victoria nuntiatum sit! Con- 10
fecto bello, cum de praemiis civitatium ageretur, omnium iudicio
Atheniensium virtus ceteris praelata. Inter duces quoque Themisto- 11
cles princeps civitatium testimonio iudicatus gloriam patriae suae
auxit.

XV. Igitur Athenienses aucti et praemiis belli et gloria urbem 1
ex integro condere moliuntur. Cum moenia maiora complexi fuis- 2
sent, suspecti esse Lacedaemoniis coepere, recte reputantibus, qui-
bus ruina urbis tantum incrementi dedisset, quantum sit datura mu-
nita civitas. Mittunt ergo legatos, qui monerent, *ne munimenta* 3
hostibus et receptacula futuri belli exstruant. Themistocles, ut vidit 4
spei urbis invideri, non existimans abrupte agendum, respondit le-

* *Moesiae* sive *Mysiae*

---

eius urbis. sed in talibus compendia turbant. — Seq. § codd. Bong.: *his venalem videt.*

§ 4. *Graecorum exercitus*] ducibus *Pausania* Spartano et *Aristide* Atheniense. *Ibi*, i. e. ad *Plataeas.*

§ 5. *profugit*] Sic unus Ctesias § 25: *φεύγει τραυματισθεὶς καὶ Μαρδόνιος*. Reliqui eum in hac pugna cecidisse tradunt.

§ 7. *Mycale*] Bong. Mss. omnes, Goth.: *Moesiae* s. *Mesiae* s. *Misiae* s. similiter, i. e., ut Prag.: *Mysiae;* (cf. *Soebaren*, *Syb.* I, 6, 2 c. not.) quod fortasse Iustini est, qui in Geographicis vehementer nonnunquam errat. *dimicatum est*] ducibus *Leotychide* Spartano et *Xanthippo* Atheniense.

§ 8. *cecidisse*] Sic Bong., Modii codd., Crac., Goth., Prag., ut Iustinus alibi saepius; v. indic. Gron. v. *occidio.* Vett. edd., codd. Bong., sine dubio pauciores: *occ. occidisse*, quod sequuntur recc. edd.

§ 9. *famae velocitatem*] Erat *στρατήγημα* Leotychidae, fictus rumor; v. Bong. — Bong.: *in Asia.*

C. XV. § 2. *recte reputantibus*] Sic cod. Goth. et edd.; sed *recte put.* in suis fere esse testatur Bong.; sic Prag.; ceteri editores nihil de v. l.; nonnulli tamen simpliciter *reput.* excudendum curaverunt, aperto sententiae detrimento. (Crac.: *repugnantibus.*) Quo compendio vox *recte* scribatur et quam facile, in ea potissimum vicinia, *re* syllaba in codd. pereat, omnibus notum est.

gatis: *ituros Lacedaemona, qui de ea re pariter cum illis consulant.*
5 6 Sic dimissis Spartanis hortatur suos, *ut opus maturent.* Dein ipse interiecto tempore in legationem proficiscitur; et nunc in itinere infirmitate simulata, nunc tarditatem collegarum accusans, sine quibus agi iure nihil possit, diem de die proferendo spatium consum-
7 mando operi quaerebat: cum interim nuntiatur Spartanis opus Atheniensium maturari; propter quod denuo legatos mittunt ad inspi-
8 ciendam rem. Tum Themistocles per servum magistratibus scribit Atheniensium, *legatos vinciant pignusque teneant, ne in se gravius*
9 *consulatur.* Adiit deinde concionem Lacedaemoniorum; indicat *permunitas Athenas esse et posse iam illatum bellum non armis tantum,*
10 *sed etiam muris sustinere: si quid ob eam rem de se crudelius statue-*
11 *rent, legatos eorum in hoc pignus Athenis retentos;* graviter deinde castigat eos, *quod non virtute, sed imbecillitate sociorum potentiam*
12 *quaererent.* Sic dimissus, veluti triumphatis Spartanis a civibus excipitur.

13 Post haec Spartani, ne vires otio corrumperent et ut bis illatum a Persis Graeciae bellum ulciscerentur, ultro fines eorum depopu-
14 lantur. Ducem suo sociorumque exercitui deligunt Pausaniam, qui pro ducatu regnum Graeciae adfectans proditionis praemium cum Xerxe nuptias filiae eius paciscitur redditis captivis, ut fides regis
15 aliquo beneficio obstringeretur. Scribit praeterea Xerxi: *quoscumque ad se nuntios misisset, interficeret, ne res loquacitate hominum*
16 *proderetur.* Sed dux Atheniensium Aristides, belli socius, collegae conatibus obviam eundo, simul et in rem sapienter consulendo pro-

---

§ 5. *ut opus*] Sic codd. Bong. praeter unum, Crac., Goth., h. l. aptius, quam vulg.: *hortatur suos opus mat.*

§ 6. *in legationem*] Mss. Bong.: *in legatione.*

possit] Mss. Bong., Bodl.: *posset.*

§ 7. *Atheniensium*] Sic 3 Gronov. et multi recentiorum, at Bong.: *Athenis;* unus eius: *Atheniensis* (i. e. *Athenienses maturare*, ut Prag.); sed *Athenis* verum esse videtur, unde reliquae lectiones exortae.

§ 8. *Atheniensium*] Omittunt hanc voc. Bodl., Dorv., Prag. In nonnullis, ut Crac., glossa *Lacedaemoniorum* genuinum expulit.

§ 11. *castigat*] Codd. Bong.: *castigavit.*

§ 12. In hac historia Trogus Theopompum non secutus est; is enim solus inter Graecos narraverat Themistoclem *χρήμασι πείσαντα τοὺς ἐφόρους* urbi suae hanc securitatem parasse; Plutarch. c. 19.

§ 13. *depopulantur*] Codd. Bong., Crac., Prag.: *populantur.*

§ 14. *Ducem*] i. e. *ναύαρχον.* — *Sociorum*] inter quos Athenienses sub Aristide, Diodor. XI, 44.

§ 15. *praeterea*] Goth.: *propterea.*

nuntios] Hoc in recentioribus tantum codd. habetur; vetustissimi quique et optimi, teste Bongarsio, *potios* vel *pontios;* Gronov. de suis tacet; effecerunt ex illo monstro Freinshem.: *conscios;* I. Fr. Gronovius: *portitores* (*γραμματοφόρους*); Is. Vossius: *protinus;* servavit Schefferus, *Ποντίους* Graecos dici existimans; sed neque Hellespontios Graeci dicebant *Ποντίους* neque Romani *Pontios*, sed *Ponticos.*

ditionis consilia discussit. Nec multo post accusatus Pausanias damnatur. Igitur Xerxes, cum proditionis dolum publicatum videret, 17
ex integro bellum instituit. Graeci quoque ducem constituunt Cimona 18
Atheniensem, filium Miltiadis, quo duce apud Marathonem pugnatum est, iuvenem, cuius magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt: quippe patrem ob crimen peculatus in carcerem conie- 19
ctum ibique defunctum translatis in se vinculis ad sepulturam redemit. Nec in bello iudicium deligentium fefellit, siquidem non inferior 20
virtutibus patris Xerxen, terrestri navalique bello superatum, trepidum recipere se in regnum coëgit.

---

§ 16. *discussit*] simul maris principatum ad Athenienses transtulit.

§ 17. *instituit*] Graevius: *instruit.*

§ 20. Hoc factum est ad *Eurymedontem*, Pamphyliae fluvium, ubi ὥςπερ ἀθλητὴς δεινὸς, ἡμέρᾳ μιᾷ δύο καθῄρηκεν ἀγωνίσματα, ut ait Plutarchus; non tamen ipsum regem fugavit, sed auxilia eius, Phoenices et Cyprios.

LIBER III.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS III.*)

Tertio volumine continentur haec. Ut mortuo Xerxe filius Artaxerxes ultus interfectorem patris Artabanum[1]) bellum cum defectore Aegypti[2]) habuit, primoque dux eius Achaemenes[3]) victus est, iterum per *Megabazum* *[4]) Aegyptus[5]) recepta. Ut Graecis cum rege pacificatis bella inter ipsos orta sint[6]). Inde

* *Agabazum*

---

[1]) Sic plane cod. Periz. (et Crac.), ut Modius coniecerat; nam Fuldd. et 4 ap. Gronov.: *pulsus interfectorem* cett.; sed Bong. codd.: *pulso interfectore p. Artabano*, quod ortum videri possit ex *pculso* i. e. *percusso int.*

[2]) *Inaro*; v. Ctes. Exc. § 32 sq. Quae ad hanc Aegypti defectionem pertinent, Iustinus omisit omnia.

[3]) Sic Herod. et Diodorus; Ctesias: Ἀχαιμενίδης. (*Baehr.* p. 171 sq.)

[4]) Codd.: *Agabazum*, *Agabasum*, *Agapaxum*. Thucydides: Μεγάβαζος; Ctes. et Diod.: *Megabyzus.* (*Baehr.* p. 173.)

[5]) Hoc *Grauertus* post Wetzelium recte praetulit e Fuldd., 1 Leid. (Crac.); vulgo: *Aegypto.*

[6]) *sint* Bong., 3 Leidd., Crac.; Gronov. post Graev.: *sunt;* sic Grauert.

repetitae Peloponnensium origines: ut ab Herculis posteris, Dorico populo [7]), sit occupata. Deinde bella Argolica et Messeniaca [8]): coalitique Sicyoniae [9]) et Corinthi tyranni. Bellum Crissaeum [10]): et quod Athenienses primo cum Boeotis, dein cum Peloponnesiis [11]) gesserunt.

---

[7]) 1 cod.: *pro Dor. p.* Etiam Peloponnesiaca omnia Iustinus intacta reliquit.

[8]) Sic Bong. et post eum alii; codd.: *Messiania*, *Messianiana;* Periz. et Crac.: *Messeni coal.;* videtur itaque *Messenia* vel *Messenica* olim scriptum fuisse.

[9]) Sic recte Bong. e vestigiis codd., probante etiam Grauerto, q. v. infra p. 19. Vulgo: *Sicyone*, ut codd. Rom., Crac., al.

[10]) Sic Rutgersius in Var. Lectt. V, 7. Codd.: *Criseum;* Crac.: *Chrescium*. De re v. Freinsh. et Longuerr. ad h. l.

[11]) Gronov.: *Peloponnensibus*, q. v. p. 1000. Ceterum ex his omnibus Iustinus nihil excerpsit, nisi paucula quaedam de bello contra Boeotos (cf. Longuerr.) et ex initiis Peloponnesiaci.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Xerxis et Artabani praefecti perfidi interitus.*
2. *Bellorum inter Lacedaemonios et Athenienses origo. Spartae respublica et legislator.*
3. *Leges a Lycurgo Spartanis latae quomodo ratae factae et habitae sint.*
4. *Bellum Messeniis illatum ob stupratas virgines; et Partheniarum in Italiam migratio.*
5. *Messenii scelerum suorum luunt poenas; bellum instaurant ac tandem superantur.*
6. *Tertium bellum Messenium; item Peloponnesiacum, in quo multae eventuum variorum facies.*
7. *Pacis foedus ruptum. Spartani premuntur Periclis virtute, cuius egregia in rempublicam merita describuntur. Iterum pax sancita et violata: unde bellum Siculum.*

---

1 I. Xerxes, rex Persarum, terror antea gentium, bello in
2 Graeciam infeliciter gesto etiam suis contemtui esse coepit: quippe

---

C. I. § 1. *in Graeciam*] Sic codd. Bong. et Fuldenses, quod reduximus, licet inter Gronovianos optimi cum recentioribus *in Graecia* habeant; sed

Artabanus, praefectus eius, deficiente quotidie regis maiestate in spem regni adductus cum septem robustissimis filiis regiam vesperi ingreditur (nam amicitiae iure semper illi patebat), trucidatoque rege voto suo obsistentes filios eius dolo adgreditur. Securior de Arta- 3
xerxe, puero admodum, fingit regem a Dario, qui erat adolescens, quo maturius regno potiretur, occisum; impellit Artaxerxen parricidium parricidio vindicare. Cum ventum ad domum Darii esset, 4
dormiens inventus, quasi somnum fingeret, interficitur. Dein cum 5
unum ex regis filiis sceleri suo superesse Artabanus videret metueretque de regno certamina principum, adsumit in societatem consilii *Megabazum* *: qui praesenti statu contentus rem prodit Artaxerxi: 6
ut pater eius occisus sit, ut frater falsa parricidii suspicione oppressus; ut denique ipsi pararentur insidiae. His cognitis Artaxerxes, 7
verens Artabani numerum filiorum, in posterum diem paratum esse armatum exercitum iubet, recogniturus et numerum militum et in armis industriam singulorum. Itaque cum inter ceteros et ipse Ar- 8
tabanus armatus adsisteret, rex simulat se breviorem loricam habere; iubet Artabanum secum commutare; exuentem se ac nudatum gladio traiecit: tum et filios eius corripi iubet. Atque ita egregius adolescens 9
et caedem patris et se ab insidiis Artabani vindicavit.

II. Dum haec in Persis geruntur, interea Graecia omnis duci- 1
bus Lacedaemoniis et Atheniensibus in duas divisa partes ab externis bellis velut in viscera sua arma convertit. Fiunt igitur de uno populo 2
duo corpora, et eorumdem castrorum homines in duos hostiles exercitus dividuntur. Hinc Lacedaemonii communia quondam civita- 3
tium auxilia ad vires suas trahebant: inde Athenienses et vetustate

* *Bacabasum*

---

illi antiquiores sunt; dicit bellum adversus Graecos (v. Freinshem. in indic. Gronov.), nec somniandum de antiptosi.

§ 5. *Bacabasum*] Hunc *Megabyzum* Ctesias appellat; vel, ut Thucydides scribit, *Megabazum*. Superiora cum narratione Ctesiae facile conciliari possunt; pergit idem: *ἀλλὰ μηνύει πάντα Μεγάβυζος καὶ ἀναιρεῖται Ἀρτάπανος ᾧ τρόπῳ* (i. e. *per dolum*) *ἔμελλεν ἀναιρεῖν Ἀρτοξέρξην.* Paullo post pugnae, quae inter coniuratos Artabani et reliquos Persas exarserit, mentionem subito infert: unde mihi persuadeo, quae Photius e Ctesia praeteriit, hic a Iustino nobis servata esse. — Vinc. Bell.: *regiis fil.*

§ 7. *recogniturus*] Maluit Heusingerus Emendatt. p. 200: *quasi recogn.* e Vinc. Bellov. IV, 41; sed talia chronographi currente calamo quavis data occasione inserunt.

§ 8. *traiecit*] Sic Bong.; Crac., Goth., Prag. et sine dubio plurimi, ut vett. edd., in quas de correctione illatum esse non est verisimile; v. ad I, 8, § 8. Nonnulli Bong.: *traicit*, ut solent etiam non vetusti in composs. verbi *iacere*. Edd. recc. omnes: *traiicit.*

§ 9. *patris*] Addunt 6 Gronovii, in quibus optimi, Crac., Goth., Prag. cum edd. vett.: *et necem fratris;* sed in uno tantum Bongarsiano huius additamenti vestigium conspicitur, neque novit Vinc. Bellov. IV, c. 41.

4 gentis et gestis rebus illustres propriis viribus confidebant. Atque
ita duo potentissimi Graeciae populi, institutis Solonis et Lycurgi
5 legibus pares, ex aemulatione virium in bellum ruebant. Namque
Lycurgus cum fratri suo *Polydectae* *, Spartanorum regi, successis-
set regnumque sibi vindicare potuisset, Charillo, filio eius, qui na-
tus posthumus fuerat, cum ad aetatem adultam pervenisset, regnum
6 summa fide restituit: ut intelligerent omnes, quanto plus apud bo-
7 nos pietatis iura quam omnes opes valerent. Medio igitur tempore,
dum infans convalescit, tutelamque eius administrat, non habenti-
bus Spartanis leges instituit, non inventione earum magis quam
8 exemplo clarior: siquidem nihil lege ulla in alios sanxit, cuius non
9 ipse primus in se documenta daret. Populum in obsequia principum,
10 principes ad iustitiam imperiorum formavit. Parcimoniam omnibus
suasit, existimans laborem militiae adsidua frugalitatis consuetudine
11 faciliorem fore. Emi singula non pecunia, sed compensatione mer-
12 cium iussit. Auri argentique usum, velut omnium scelerum mate-
riam, sustulit.

1 III. Administrationem reipublicae per ordines divisit: regibus
2 potestatem bellorum; magistratibus iudicia et annuos successores;
senatui custodiam legum; populo sublegendi senatum vel creandi
3 quos vellet magistratus potestatem permisit. Fundos omnium aequa-

* *Polybitae*

C. II. § 5. *Polybitae*] Sic Bong. et quos novimus codd. Scriptores: *Polydectae.*

Charillo] Sic Bong. et codd. paene omnes cum Vinc. Bell.; vett. edd. et e codd. duo, coll. N. et Crac.: *Charilao;* sed illam nominis formam praeter Plutarch. et alios a Gronov. p. 802 laudatos constanter servat ubique Pausanias, denique *Herodotus* VIII, 131; temere igitur edd. recc. omnes: *Charilao.* Frequens eiusmodi permutatio; sic in Excerptt. Vatt. Diodori VII, § 24. *Perillus* artifex vocatur *Περίλαος;* v. Boeckhium in Add. ad *Corpus Inscriptt. p.* 887.

fuerat] recte; nonnulli tamen Bong. et Burlei. in *vitis philos.* c. 15: *erat.*

§ 8. *documenta*] Ita Bong., unde probabile est, in antiquissimis hanc meliorem lectionem exstare; sed „Mss.“ eiusdem, Gronoviani praeter 4, Prag., Burlei.: *documentum.*

§ 10. *suasit*, *exist.*] Mss. Bong. cuncti: *omnibus. Item existimans*, ut Leidd. 1. 3. i. e., ni fallor: *omnib. su . . it;* et pro *exist.* fort. *estimans*, ut ap. Burleium, syllaba *ex* adhaerente voculae *item. Persuasit* praeter Med. coll. N., Crac. et Burl.

C. III. § 2. *magistratibus*] Intelliguntur *Ephori*, quos ab ipso Lycurgo institutos refert Herod. I, 65. aliique ap. *C. O. Muellerum*, *Dorienss.* V. II. p. 112. Ceterum codd. Bong. et Ox. C. et 1 Fuld.: *magistratus;* unde Bong. coni.: *magistratui*, quod in altero Fuld. est.

et annuos successores] Sic codd. omnes praeter Magl. et coll. N., qui c. edd. vett.: *et annuas successiones*, ut et Burleius legisse videtur; e Crac. nihil hic enotavit Rzesinskius. Vulgo e coniectura Val. Acidalii: *per annuas successiones*, quod etiam I. Fr. Gronovio iudice non necessarium est.

liter inter omnes divisit, ut aequata patrimonia neminem potentiorem
altero redderent. Convivari omnes publice iussit, ne cuius divitiae 4
vel luxuria in occulto essent. Iuvenibus non amplius una veste uti 5
toto anno permisit, nec quemquam cultius quam alterum progredi
nec epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteretur. Pueros 6
puberes non in forum, sed in agrum deduci praecepit, ut primos
annos non in luxuria, sed in opere et in laboribus agerent. Nihil 7
eos somni causa substernere et vitam sine pulmento degere neque
prius in urbem redire, quam viri facti essent, statuit. Virgines sine 8
dote nubere iussit: ut uxores legerentur, non pecuniae; severiusque
matrimonia sua viri coërcerent, cum nullis dotis frenis tenerentur.
Maximum honorem non divitum et potentium, sed pro gradu aetatis 9
senum esse voluit; nec sane usquam terrarum locum honoratiorem
senectus habet. Haec quoniam primo solutis antea moribus dura vi- 10
debat esse, auctorem eorum Apollinem Delphicum fingit et *inde se
ea ex praecepto numinis detulisse*, ut consuescendi taedium metus re-
ligionis vincat. Dein ut aeternitatem legibus suis daret, iureiurando 11
obligat civitatem, nihil eos de eius legibus mutaturos, priusquam
reverteretur: et simulat se ad oraculum Delphicum proficisci, con-
sulturum quid addendum mutandumque legibus videretur. Profi- 12
ciscitur autem Cretam ibique perpetuum exsilium egit, abiicique in
mare ossa sua moriens iussit, ne relatis Lacedaemona solutos se
Spartani religione iurisiurandi in dissolvendis legibus arbitrarentur.

IV. His igitur moribus ita brevi civitas convaluit, ut, cum 1
Messeniis propter stupratas virgines suas in solemni Messeniorum
sacrificio bellum intulissent, gravissima se exsecratione obstrinxerint,
non prius quam Messeniam expugnassent, *reversuros:* tantum sibi vel
de viribus suis vel de fortuna spondentes. Quae res initium dissen- 2
sionis Graeciae et intestini belli causa et origo fuit. Itaque cum 3
contra praesumtionem suam annis decem in obsidione urbis teneren-
tur et querelis uxorum post tam longam viduitatem revocarentur,

---

§ 6. 7. Haec vide quomodo ex aliis fontibus constituat *C. O. Muellerus*, *Dor.* Vol. II. p. 310 sqq. — *Nihil substernere*] nihil nisi *στιβάδα*, Plutarch. Lyc. 16.

§ 10. *vincat*] 5 Gronovii, Goth., Crac., Prag., vett. edd.: *evincat.*

§ 12. Consuluisse etiam oraculum et responsum ad Spartanos misisse narratur, ipse tamen reversus non esse. Quo loco obierit, diversissime a veteribus traditum est; in Creta quidem, *Timaeus* et *Aristoxenus* auctores fuerant; reliqua de cineribus eius in mari dispersis plane ut Trogus narraverat *Aristocrates*, Hipparchi fil., cuius *Λακωνικὰ* apud veteres nonnunquam memorantur. (Plutarch. c. 31.)

C. IV. Huius capitis § 1—7 paene ad verbum conversae sunt ex *Ephori* lib. IV. ap. Strabon. VI. p. 427. (*Fragg. Ephori* p. 154 sqq.)

§ 1. *Messeniam*] Sic vel *Messaniam* codd., quantum cognosci potest, omnes; quod sine iusta causa adhuc exsulabat. Reposuerant vulgare urbis nomen: *Messenam.*

4 veriti, ne hac perseverantia belli gravius sibi quam Messeniis nocerent: quippe illis quantum iuventutis bello intercidat, mulierum fe-
cunditate suppleri; sibi et belli damna adsidua et fecunditatem uxo-
5 rum absentibus viris nullam esse; itaque legunt iuvenes ex eo genere
militum, qui post iusiurandum in supplementum venerant, quibus
Spartam remissis promiscuos omnium feminarum concubitus permi-
6 sere: maturiorem futuram conceptionem rati, si eam singulae per
7 plures viros experirentur. Ex his nati ob notam materni pudoris
8 *Partheniae* vocati: qui cum ad annos triginta pervenissent, metu
inopiae (nulli enim pater exsistebat, cuius in patrimonium successio
speraretur) ducem Phalantum adsumunt, filium Arati, qui auctor
Spartanis fuerat iuventutis ad generandam subolem domum remit-
9 tendae: ut sicuti dudum patrem eius nascendi auctorem habuissent,
10 sic ipsum spei ac dignitatis suae haberent. Itaque nec salutatis ma-
tribus, e quarum adulterio infamiam collegisse videbantur, ad sedes
11 inquirendas proficiscuntur; diuque et per varios casus iactati tandem
in Italiam deferuntur et occupata arce Tarentinorum, expugnatis
12 veteribus incolis, sedes ibi constituunt. Sed post annos plurimos
dux eorum Phalantus per seditionem in exsilium proturbatus Brun-
disium se contulit, quo expulsi sedibus suis veteres Tarentini con-
13 cesserant. His moriens persuadet, *ut ossa sua postremasque reliquias*
14 *conterant et tacite spargi in foro Tarentinorum curent: hoc enim modo*
15 *reciperare illos patriam suam posse, Apollinem Delphis cecinisse.* Illi
arbitrantes eum in ultionem sui civium fata prodidisse, praeceptis
16 paruere. Sed oraculi diversa sententia fuerat. Perpetuitatem enim
17 urbis, non amissionem hoc facto promiserat. Ita ducis exsulis con-
silio et hostium ministerio possessio Tarentina Partheniis in aeter-
18 num fundata: ob cuius beneficii memoriam Phalanto divinos honores
decrevere.

1 V. Interea Messenii, cum virtute non possent, per insidias

---

§ 5. *feminarum*] Ephorus: παρθένοι.

§ 8 sqq. Insidias, quas teste Ephoro Partheniae cum Helotis sive Epeunactis struxerant Spartanis, Trogus consulto videtur praeterisse, quia difflatae sunt. Sequentia Strabo l. l. ita contrahit: *οἱ δὲ σταλέντες κατελάβοντο τοὺς Ἀχαιοὺς πολεμοῦντας τοῖς βαρβάροις· μετασχόντες δὲ τῶν κινδύνων κτίζουσι τὴν Τάραντα* cett. sed quae apud nostrum leguntur, mirum foret ni ex eodem Ephoro hausta essent; istud tamen de *Achaeis* (Crotonem, ut videtur, vel Sybarim condituris) Trogus diserte memorare omisit, significavit tamen in his: *diu et per varios casus iactati.* Quaedam de his rebus nuper didicimus ex Excerptt. Vatt. Diodori e VII—X. nr. 12 sq. coll. Dionys. Hal. ap. Dindorf. p. 12.

Phalantum] Bong.: *Palantum.* Goth.: *Fal.*

§ 13. *His*] recte reposuit I. Fr. Gronov., ut unus Bong.; ipse Bong.: *Is*, ut Crac., Goth., duo (?) Gronovii. Ceterum eorum, quae hic narrantur, unum testem Iustinum novi.

expugnantur. Dein, cum per annos octoginta gravia servitutis 2
verbera, plerumque et vincula ceteraque captivitatis mala perpessi
essent, post longam poenarum patientiam bellum restaurant. Lace- 3
daemonii quoque eo conspiratius ad arma concurrunt, quod adver-
sus servos dimicaturi videbantur. Itaque cum hinc iniuria, inde in- 4
dignitas animos acueret, Lacedaemonii de belli eventu oraculo Del-
phis consulto iubentur ducem belli ab Atheniensibus petere. Porro 5
Athenienses, cum responsum cognovissent, in contemtum Spartano-
rum Tyrtaeum, poëtam, claudum pede, misere: qui tribus proeliis 6
fusus eo usque desperationis Spartanos adduxit, ut ad supplemen-
tum exercitus servos suos manumitterent, hisque interfectorum ma-
trimonia pollicerentur: ut non numero tantum amissorum civium, sed 7
et dignitati succederent. Sed reges Lacedaemoniorum, ne contra 8
fortunam pugnando maiora detrimenta civitati infunderent, reducere
exercitum voluerunt: ni intervenisset Tyrtaeus, qui composita car- 9
mina exercitui pro concione recitavit, in quibus hortamenta virtutis,
damnorum solatia, belli consilia conscripserat. Itaque tantum ar- 10
dorem militibus iniecit, ut non de salute, sed de sepultura solliciti
tesseras insculptis suis et patrum nominibus dextro brachio deliga-
rent: ut, si omnes adversum proelium consumsisset et temporis 11
spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum tradi
sepulturae possent. Cum sic animatum reges exercitum viderent, 12

C. V. § 2. *octoginta*] Pausan.: XXXIX; at nostrum ex Ephoro esse probabile eo fit, quod idem apud Eusebium legitur.

restaurant] Gronovius e 5 suis et chronogr.: *instaurant.*

§ 3. *quod adv. s. dimicaturi videbantur*] Sic Bongars. et codd. omnes praeter Med., Leid. 2. 5, 1 Bong., Prag., qua ratione historici saepissime loquuntur; voc. tamen *quod* e vera emendatione Valentis Acidalii profectum est; et legitur in Med. et 4 codd. alioquin suspectis et edd. vett.; ceteri omnes: *quo*, quod defensum quidem est a Wopkensio, sed exemplis haud idoneis; neque hic locum habere potest, ubi nulla neque consilii et voluntatis significatio, neque (ut loquuntur) reciprocatio, nec denique rei alicuius elatio vel submissio. E codd. supra indicatis Gronovius: *dimicandum videbatur.*

§ 6. *fusus*] Sic codd. plurimi, integerrime; I. Fr. Gronov. non satis perspecte: *fusos*, ut 1 Bong., Med., Bodl., Leid. 2. 5. Prag. Cf. *Wetzel.* — De servis ἐπευνάκτοις, qui hic intelliguntur, v. locum Theopompi e lib. XXXII ἱστοριῶν ap. Athen. VI. p. 271 C., coll. Pausan. Messen. c. 16, 3 cum admonitione Siebelisii.

§ 8. *infunderent*] Rara locutio, cui simile nihil invenerunt intt. nisi *Cic. de Legg.* III, 14: *vitia infundunt in civitatem*, et Ammian. XIV in.: *Fortunae saevientes procellae tempestates alias rebus infudere communibus.* Vulgo: *infligerent* ex 1 Bong. (fort. ita Crac. et Prag.), Ald., Iunt. Graevius Vorstii coniecturam: *iniungerent* vehementer probat.

§ 10. *tesseras*] Plane ita Diodorus in Excerptt. Vatt. VII — X. nr. 14. Pausanias haec omiserat. Ceterum multa Iustinus praeterit, narranda, priusquam hic finis belli referendus erat.

13 curant rem hostibus nuntiari; Messeniis autem non timorem res, sed
14 aemulationem mutuam dedit. Itaque tantis animis concursum est,
15 ut raro umquam cruentius proelium fuerit. Ad postremum tamen
victoria Lacedaemoniorum fuit.

1 VI. Interiecto tempore tertium quoque bellum Messenii repa-
2 ravere: in cuius auxilium Lacedaemonii inter reliquos socios etiam
3 Athenienses adhibuere: quorum fidem cum suspectam haberent, su-
4 pervacaneos simulantes, a bello eosdem dimiserunt. Hanc rem
Athenienses graviter ferentes pecuniam, quae erat in stipendium
Persici belli ab universa Graecia collata, a Delo Athenas transferunt:
ne deficientibus a fide societatis Lacedaemoniis praedae ac rapinae
5 esset. Sed nec Lacedaemonii quievere: qui cum Messeniorum bello
occupati essent, Peloponnenses immisere, qui bellum Atheniensibus
6 facerent. Parvae tunc temporis classe in Aegyptum missa vires Athe-
niensibus erant. Itaque navali proelio dimicantes facile superantur.
7 Interiecto deinde tempore post reditum suorum aucti et classis et
8 militum robore proelium reparavere. Iam et Lacedaemonii omissis
9 Messeniis adversus Athenienses arma verterant. Diu varia victoria
10 fuit: ad postremum aequo Marte utrimque discessum. Inde revo-
cati Lacedaemonii ad Messeniorum bellum, ne medium tempus otio-
sum Atheniensibus relinquerent, cum Thebanis paciscuntur, ut Boe-
otiorum imperium his restituerent, quod temporibus Persici belli
11 amiserant, ut illi Atheniensium bella susciperent. Tantus furor

---

§ 12. *nuntiari*] Bong. e suis, Bodl., Ox. C., 4 Wopkensii, Goth., Prag.: *nuntiare;* de quo quaerendum.

C. VI. § 1. *Interiecto temp.*] Ol. 77, 4; a. 465.

§ 4. Propter has simultates „commune Graeciae aerarium" continuo Athenas translatum esse, non ab omni parte probabile esse videtur; certiora tamen cum inveniri non possent, etiam cl. *Boeckhius* (*Staatshaush. d. Ath.* I. p. 430), nostro loco duce, Ol. 79, 4 hoc factum esse statuit. Ex iis, quae Diodorus de origine et initiis belli Peloponnesiaci ex Ephoro scripsit, aliquot annis, fortasse Olympiadibus *post* hanc rem ponendam esse coniicias.

§ 5. *Peloponnenses*] Corinthios et Epidaurios: v. Diodor. XI, 78. Thucyd. I, 105, quorum tamen neuter ab Spartanis immissos refert.

§ 6. *erant*] Mss. aliquot Bong., Ox. C.: *addiderant;* unde Schefferus: *ad id* (bellum) *erant.*

superantur] vincuntur a Corinthiis, teste Thucydide l. l.; at Diodorus per errorem, ut videtur: *γενομένης δὲ*, inquit, *μάχης ἰσχυρᾶς ἐνίκησαν Ἀθηναῖοι.*

§ 7. *classis*] Sebisius: *classe;* sic cod. Goth. Deinde quod pro *reparavere* in uno Bong. est et in vett. edd.: *reparant*, habent Crac., Goth., Prag.

§ 9. Intelligit proelium ad *Κεκρυφαλείαν*, quod Diodorus factum esse dicit *συστραφέντων τῶν Πελοποννησίων καὶ δύναμιν ἀξιόλογον ἀθροισάντων.* Sed tam Diodorus quam Thucydides *vicisse* in eo Athenienses auctores sunt.

§ 10. Sic plane Diodorus XI, 81 ad annum 455; Messeniacum tamen bellum non manebat, sed superiore anno finitum erat.

Spartanorum erat, ut duobus bellis impliciti suscipere tertium non
recusarent, dummodo inimicis suis hostes adquirerent. Igitur Athe- 12
nienses adversus tantam tempestatem belli duos duces deligunt, Pe-
riclen, spectatae virtutis virum, et Sophoclen, scriptorem tragoe-
diarum: qui diviso exercitu et Spartanorum agros vastaverunt et 13
multas Asiae civitates Atheniensium imperio adiecerunt.

VII. His malis fracti Lacedaemonii in annos triginta pepige- 1
runt pacem: sed tam longum otium inimicitiae non tulerunt. Itaque 2
intra quindecim annos rupto foedere cum contemtu deorum hominum-
que fines Atticos populantur; et, ne praedam potius quam pugnam 3
expetisse viderentur, hostes ad proelium provocant. Sed Athenien- 4
ses consilio Pericli ducis populationis iniuriam differunt in tempus
ultionis: supervacuam pugnam existimantes, cum ulcisci hostem sine
periculo possent. Deinde interiectis diebus naves conscendunt et 5
nihil sentientibus Lacedaemoniis totam Spartam depraedantur, mul-
toque plura auferunt quam amiserant: prorsus ut in comparatione 6
damnorum longe pluris fuerit ultio quam iniuria. Clara quidem haec 7
Pericli expeditio habita: sed multo clarior privati patrimonii contem-
tus fuit. Huius agros in populatione ceterorum intactos hostes re- 8
liquerant, sperantes adquirere se illi posse aut periculum ex invidia
aut ex suspicione proditionis infamiam. Quod ante prospiciens Pe- 9
ricles et futurum populo praedixerat, et ad invidiae impetum decli-
nandum agros ipsos dono reipublicae dederat: atque ita, unde pe- 10
riculum quaesitum fuerat, ibi maximam gloriam invenit. Post haec 11

---

§ 12. Hic plane interrumpitur temporum ordo: ab anno 455, quo *Myronides*, Atheniensium dux, Boeotos vicit, et anno 453, ubi Pericles Peloponnesum cum classe invadens urbes sibi subiecit (ante quinquennales inducias), transilit ad bellum contra Samios alterum, Ol. 85, 1 s. a. 439 gestum, quo *Sophocles* praetor erat (cf. *A. Seidleri* dissert. in Hermanni ed. Antigonae). Negligentissime in hoc loco Iustinus versatur, plurima eaque ad intelligendum rerum tenorem gravissima omittens; quae memorat, variis modis turbans.

§ 13. *Asiae*] Sic restitui e Bongars. codd. omnibus, Bodl., Oxon. C., Goth., Crac., praesertim Orosio I, 21. p. 84 Hav., quam lectionem frustra quaeras in tota Frotscheri editione. Vulgo: *Achaiae*, i. e. Graeciae, ex usu Romanorum. Quid hic sibi velit Iustinus, difficile dictu est; Asiae autem rebus quantopere implicitum fuerit Samium bellum, omnes norunt, adeo ut alterum ὁ πρὸς Ἀναίους πόλεμος videatur appellatum fuisse; vid. quae ex *Sueverni* sententia disputantur in *Ephem. Halens.* 1825. nr. 26. pag. 216.

C. VII. § 1. V. Thucyd. I, 115. Redit ad annum 445. (Ol. 83, 3.)

§ 2. *intra XV annos*] Sic 5 codd. Gronov., Dorv. 1. 3, Goth., Prag.; Bongars. e suis *quintodecimo anno;* significatur *initium Peloponnesiaci belli*, duce Archidamo factum a. 431. Coll. N. et 1 Bong.: *intra XII annos.*

§ 10. *ibi*] Goth.: *inde*, quod Wopkensio acceptissimum fuisset.

interiectis diebus navali proelio dimicatum est: victi Lacedaemonii
12 fugerunt. Nec cessatum deinceps est, quin aut terra aut mari varia
13 proeliorum fortuna invicem se trucidarent. Denique fessi tot malis
pacem in annos quinquaginta fecere, quam non nisi sex annis ser-
14 vaverunt. Nam inducias, quas proprio nomine condixerant, ex so-
15 ciorum persona rumpebant: quippe quasi minus periurii contraherent,
si ferentes sociis auxilia potius quam si ipsi aperto proelio dimicas-
16 sent. Hinc bellum in Siciliam translatum: quod priusquam expono,
de Siciliae situ pauca dicenda sunt.

---

§ 11. Non satis apparet, quodnam navale proelium intellexerit; Bongarsius de Naupactico cogitavit.

§ 13. Anno belli decimo, a. 421, pax composita est, servata autem sex annos *et sex menses.*

§ 15. *ferentes*] Codd. Modii: *ferrent.* — Seq. *ipsi* deest ap. Bongars., detrimento sententiae.

§ 16. *expono*] Sic Bong. nescio quot codd., licet ipse pro vulgari usu *exponam* ediderit, ut 6 Gronovii et Goth.

LIBER IV.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS IV.*)

Quarto volumine continentur res Siculae, ab ultima origine usque ad deletam Syracusis Atheniensium classem.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Siciliae situs et soli natura. Aetnae montis ac Scyllae et Charybdis miracula.*
2. *Nomina, incolae veteres, et tyranni Siciliae: ei inhiant Carthaginienses.*
3. *Rhegini ab Himerensibus in auxilium vocatis oppressi. Athenienses imperium Siciliae adfectant et prospere agunt initio.*
4. *Catinienses denuo opem Atheniensium implorant. Syracusani Lacedaemonios arcessunt. Graecorum concursus fit et bellum in Siciliam transfertur.*

5. *Athenienses a Gylippo, Lacedaemoniorum duce, terra marique franguntur, ducibus Demosthene et Nicia indecoro fato sublatis.*

I. Siciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiae adhaesis- 1
se, diremtamque velut a corpore maiore impetu superi maris, quod
toto undarum onere illuc vehitur. Est autem ipsa terra tenuis ac 2
fragilis et cavernis quibusdam fistulisque ita penetrabilis, ut vento-
rum tota ferme flatibus pateat; nec non et ignibus generandis nutri- 3
endisque soli ipsius naturalis materia: quippe intrinsecus stratum
sulphure et bitumine traditur: quae res facit, ut spiritu cum igne 4
inter interiora luctante frequenter et compluribus locis nunc flammas,
nunc vaporem, nunc fumum eructet. Inde denique Aetnae montis 5
per tot saecula durat incendium; et ubi acrior per spiramenta caver- 6
narum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur. Proximum Ita- 7
liae promontorium Rhegium dicitur, ideo quia Graece *abrupta* hoc
nomine pronuntiantur. Nec mirum, si fabulosa est loci huius anti- 8
quitas, in quem res tot coiere mirae: primum quod nusquam alias 9
tam torrens fretum, nec solum citato impetu, verum etiam saevo;
neque experientibus modo terribile, verum etiam procul visentibus.
Undarum porro in se concurrentium tanta pugna est, ut alias veluti 10

C. I. § 1. *diremtamque*] Sic vel potius *diremptamque* codd. nescio quot Bongarsii et alii quinque; ceteri, in quibus optimi Gron. et Goth.: *direptamque.* Illud sane magis ex linguae usu, licet vim et violentiam non videatur exprimere, cuius significationem hic locus desiderat; deinde quotquot vidi exempla, in quibus *loca* dicuntur *dirimi* vel *diremta esse* re aliqua ab aliis locis, illa ipsa res iam media interiacet, non tum primum interiicitur et iuncta prius loca divellit; inde haec aetas a Plinio fere et Curtio (v. *Wunderi Collat. Cod. Erf. Cic.* p. CLIV sq.) *dirimi loca* vel *diremta esse* dixit pro *dissita esse.* Quare nondum esse damnandum iudico istud *direptam*, neque cum Scheffero mutandum in *diruptam* vel cum Fabro in *dereptam;* nam quando aliquid acri ac celeri vehementia ab altero rumpendo deripitur vel divellitur, recte id mea quidem sententia *diripi* dicetur et compesci debet, quod late grassatur, talia composita partic. *dis* in *de* mutandi studium; sic in *diripere* et *deripere* Heinsius ad Ovid. Metam. III, 52. Quae doctrina cum nondum absoluta sit neque adeo ob corruptas in his compositis editiones sine summo labore ad liquidum perduci possit, h. l. id secutus sum, quod magis tutum et exploratum esse videbatur.

§ 4. *inter interiora*] Sic fere codd., etiam Franecq. ap. Burmann. ad Antholog. p. 566. Nonnulli Bong.: *inter abrupta.* Goth.: *spiritus c. i. i. luctans.* Graev. ex Iunt.: *ex compluribus locis.* Denique Bong. codd.: *eructuet;* Goth.: *erucret.*

§ 8. *huius*] Codd. Bong.: *illius.*

§ 9. *tam torrens*] *Tam* deest in codd. Bong., Goth., Crac.
saevo] 1 Bong.: *vorax.*

terga dantes in imum desidere, alias quasi victrices in sublime ferri
videas; nunc hic fremitum ferventis aestus, nunc illic gemitum in
11 voraginem desidentis exaudias. Accedunt vicini et perpetui Aetnae
montis ignes et insularum Aeolidum, veluti ipsis undis alatur incen-
12 dium; neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot saeculis
13 tantus ignis potuisset, nisi humoris nutrimentis aleretur. Hinc igi-
tur fabulae Scyllam et Charybdin peperere; hinc latratus auditus;
hinc monstri credita simulacra, dum navigantes magnis vorticibus
pelagi desidentis exterriti latrare putant undas, quas sorbentis aestus
14 vorago collidit. Eadem causa etiam Aetnae montis perpetuos ignes
15 facit. Nam aquarum ille concursus raptum secum spiritum in imum
fundum trahit atque ibi suffocatum tamdiu tenet, donec per spira-
16 menta terrae diffusus nutrimenta ignis incendat. Iam ipsa Italiae
Siciliaeque vicinitas, promontoriûm altitudo ipsa ita similis est, ut
quantum nunc admirationis, tantum antiquis terroris dederit: cre-
dentibus, coëuntibus in se promontoriis ac rursum discedentibus so-
17 lida intercipi absumique navigia. Neque hoc ab antiquis in dulce-
dinem fabulae compositum, sed metu et admiratione transeuntium.
18 Ea est enim procul inspicientibus natura loci, ut sinum maris, non
transitum putes: quo cum accesseris, discedere ac seiungi promon-
toria, quae antea iuncta fuerant, arbitrere.

1 II. Siciliae primo Trinacriae nomen fuit; postea Sicania cogno-
2 minata est. Haec a principio patria Cyclopum fuit: quibus exstin-
3 ctis Cocalus regnum insulae occupavit. Post quem singulae civitates

---

§ 10. *in imum desidere*] 6 codd. Gronovii, 1 Bong., Goth., Crac., Prag., edd. vett.: *vorticibus in i. d.*: e glossemate, non e voce *Virgilius*, quae in duos Bong. irrepserat ob simillimum locum huius poëtae, cuius aliquis in margine mentionem fecerat. Crac., ut edd. multae vett.: *vorticibus mergi ac in i. d.;* mire plures Bong.: *ac in im. d.*

in subl.] Deleverat praepositionem cum vett. edd. *Heinsius* ad Virg. Aen. III, 577 et alias, ut efficeretur: *sublime ferri*, sed codd. lectionem tuetur Cic. de Nat. D. II, 16, § 44 et codd. plures ibid. c. 56. § 141.

hic — illic] 5 codd., in quibus aperte interpolati: *hinc — illinc.*

§ 11. *ipsis undis*] Mss. Bong. et Prag.: *ipsis in undis.* Goth.: *ex ipsis undis.*

§ 12. *nisi hum.*] „Plerique Mss. [nullus Bong.] et Isid. [XIV, 6.], edd. vett.: *nisi et hum.*" *Gronov.* Adde Goth., Crac.

§ 13. *auditus*] Ita Bong. et ceteri, ni fallor, codd.; Goth., Crac. Vulgo secundum Graevii coni., ex unius cod. lectione: *auditis* captam: *auditi.* Alterum aeque bene.

§ 16. Vulgo: *iam prom.*, sed voc. *iam* ob repetitum etiam *ipsa* vehementer offendit; delevi igitur eo fidentius, quia in uno tantum alterove recentiore Bongarsii exstat; etiam Franecq. ignorat et male defenditur a Wopkensio. Posterius *ipsa* omitt. Goth. Denique *promontoriûm* recepi e codd. Bong. et 2 edd. vett. ob sonum; ceteri: *promontoriorum.*

C. II. § 2. *Cocalus*] rex Sicanorum. Sic codd.; Crac.: *Colus;* simili corruptela principis illius Segidensium vel Belgidensium inter Celtiberos nomen ad hoc tempus truncatum ferebatur apud Appian. VI, 45

in tyrannorum imperium concesserunt, quorum nulla terra feracior fuit. Horum ex numero Anaxilaus iustitia cum ceterorum crudelitate 4
certabat; cuius moderationis haud mediocrem fructum tulit: quippe 5
decedens cum filios parvulos reliquisset tutelamque eorum *Micytho* *, spectatae fidei servo, commisisset, tantus amor memoriae eius apud omnes fuit, ut parere servo quam deserere regis filios mallent, principesque civitatis obliti dignitatis suae regni maiestatem administrari per servum paterentur. Imperium Siciliae etiam Carthaginienses 6
tentavere: diuque varia victoria cum tyrannis dimicatum. Ad po- 7
stremum amisso Hamilcare imperatore cum exercitu aliquantisper quievere victi.

III. Medio tempore cum Rhegini discordia laborarent civitas- 1
que per dissensionem divisa in duas partes esset, veterani ex altera parte ab Himera in auxilium vocati, pulsis civitate, contra quos implorati fuerant, et mox caesis, quibus tulerant auxilium, urbem cum coniugibus et liberis sociorum occupavere, ausi facinus nulli 2
tyranno comparandum: quippe ut Rheginis melius fuerit vinci quam vicisse. Nam sive victoribus captivitatis iure servissent, sive amissa 3

* *Micalo*

Κάρος, quod *Κάκυρος* fuisse didicimus ex Vatt. Exc. Diodori XXXII, nr. 3. Qua autem fide vett. edd. sint, h. l. apparet, ubi *Aeolum* nobis offerunt.

§ 4. *Anaxilaus*] Is *Rheginorum* quidem tyrannus vocatur a Thucydide, Strabone, aliis; Italiae igitur tyrannus erat; sed apud Diodorum XI, 66 *Zancles tyrannus* fertur, in qua urbe, cuius condendae ipse Messeniis auctor fuerat, magnam eius potestatem fuisse probabile est; vid. Pausan. Messen. 23, ibique Siebelis. p. 141.

§ 5. *Micalo*] Sic codd. omnes, vel corrupte *Mecalo*; debebant certe *Μίκκαλος*; v. Schaefer. ad Gregor. Corinth. pag. 282. Verum tamen nomen est *Micythus*; sic vulgo e vett. edd.; Herod. VII, 170: *ὁ Μίκυθος, οἰκέτης ἐὼν Ἀναξίλεω, ἐπίτροπος Ῥηγίου καταλέλειπτο.* Conf. Macrob. Sat. I, 11. p. 250. Bip.

§ 6. *Carthaginienses tentavere*] ab Xerxe excitati, sub duce Hamilcare (Diod. XI, 20 sq.), tyrannis quidem *Therone* Agrigentinorum et *Gelone* Syracusanorum, qui Hamilcarem et Carthaginienses ad internecionem cecidit. Cf. inf. XIX, 1, 9. 2, 1.

C. III. Quae hic narrantur, circa Ol. LXXX gesta esse puto, nam Ol. LXXIX, 2 *Rhegini* liberi facti sunt. Male Orosius II, 14: „*Medio tempore, hoc est, anno ab urbe condita CCCXXXV, cum Rhegini*" cett. ex h. l.

§ 1. *ex altera p.*] Sic Bong. e suis omnibus, et Crac.; Gronov. et Wopk. de suis nihil indicant, credo quia vitiosum iudicarunt. Vulgo: *ab alt. p.* Nonnulli Bong.: *ex alia p.* Erant autem illae partes sine dubio optimatium, qui ab Himera auxilia arcessiverunt; nam Anaxilaus filiam Himerensis tyranni in matrimonio habuerat. Ceterum cognatio erat inter Rheginos et Himerenses, quia a Rhegio Zancle, a Zancle autem Himera deducta fuerat, teste Thucydide. — Temere *Hottinger.*: *Himerani ab Him. in aux. voc.*, omissis *ab alt. p.*

tulerant] Franecq. ap. Burmann. ad Anthol. T. I. p. 62: *fuerant.*

patria exsulare necesse habuissent, non tamen inter aras et patrios
lares trucidati crudelissimis tyrannis patriam cum coniugibus ac libe-
ris praedam reliquissent.
4 Catinienses quoque cum Syracusanos graves paterentur, diffisi
5 viribus suis auxilium ab Atheniensibus petivere: qui seu studio ma-
ioris imperii, quod Asiam Graeciamque penitus occupaverant, seu
metu factae pridem a Syracusanis classis, ne Lacedaemoniis illae
vires accederent, Lamponium ducem cum classe in Siciliam misere,
ut sub specie ferendi Catiniensibus auxilii tentarent Siciliae impe-
6 rium. Et quoniam prima initia frequenter caesis hostibus prospera
fuerant, maiore denuo classe et robustiore exercitu Lachete et Cha-
7 riade ducibus Siciliam petivere: sed Catinienses sive metu Athe-
niensium, sive taedio belli pacem cum Syracusanis remissis Athe-
niensium auxiliis fecerunt.
1 IV. Interiecto deinde tempore, cum fides pacis a Syracusanis
non servaretur, denuo legatos Athenas mittunt, qui sordida veste,

---

§ 4. *Catinienses*] Non Catinienses, sed *Leontinos* illo tempore Atheniensium auxilium implorasse, ob consensum Thucydidis et Diodori ab omni dubitatione abest. Error igitur vel Romani est vel, si Graecus nescio quis scriptor ita retulerat, propter cognationem eorum populorum rem vel nomina permutavisse credi potest; nam utraque colonia Chalcidensium erat e Naxo deducta et urbes a. 730 deinceps conditae: v. Thucyd. VI, 3. *Raoul-Roch. établiss.* T. III. p. 220 sqq. — Oros.: *Catanenses.*

§ 5. *quod — occupaverant*] Sic quicquid est codicum praeter tres vel quatuor interpolatos, in quibus vulgatum *quo* legitur. Offenderunt post Bongarsium editores omnes in hac sententia, et sane falsa est, neque tamen continuo reiicienda fuit; primum enim rei unice convenit; (*Siciliam Athenienses invadunt, quia Asiam Graeciamque penitus occupaverunt*) deinde Athenienses, cum pax componeretur, non solum ceteris omnibus, sed etiam Lacedaemoniis sine controversia *potentiores* erant: quid igitur rhetorem dicere prohibebat, Asiam (Ionum, Aeolorum, Doriensium colonias) et Graeciam totam Atheniensibus obnoxiam esse i. e. auctoritati ipsorum et potentiae cedere, partim adeo tributum pendere? nam sententiarum splendore et magnificentia quo hi scriptores se abripi passi fuerint, quis nescit? praesertim Iustinus, in quo rerum cognitio tam incerta, tam fluxa erat. Significavi, quod mihi in tam dubio loco probabile visum est; in quo si forte lectoribus acquiescere non placebit, reliquorum sententias narro. Bongarsius legendum putavit: *quo As. G. pen. occuparent*, quod secuti sunt Berneccerus et Graevius, aut: *quo — occupaverant* (sic Gron.), „ut dicat, Athenienses studio illo maioris imperii Asiam et Graeciam animo iam et praesumtione quodammodo penitus occupasse." Simili sententia Wopkensius coniecerat: *quo As. G. spe p. occupaverant.*

Lamponium d.] Thucydide et Diodoro auctoribus Athenienses *Lachetem et Charoeadem* statim miserunt; Demetrius in scholl. ad Arist. Vesp. 240 (ubi conferendus Palmerius p. 542 Dind.) *Lachetem* solum nominare videtur; Lamponii vero nemo mentionem fecit.

§ 6. *Chariade*] Sic Mss., etiam Orosii p. 125; Graeci: *Χαροιάδῃ.*

§ 7. *fecerunt*] Sic codd., ut videtur. Bong.: *fecerant*, quod historia non comprobat.

C. IV. § 1. *denuo — mittunt*] Segestani quidem a Syracusanis et

capillo barbaque promissis et omni squaloris habitu ad misericordiam commovendam adquisito concionem deformes adeunt: adduntur 2
precibus lacrimae; et ita misericordem populum supplices movent, ut damnarentur duces, qui ab his auxilia deduxerant. Igitur classis 3
ingens decernitur: creantur duces Nicias et Alcibiades et Lamachos; tantisque viribus Sicilia repetitur, ut ipsis terrori essent, in quorum auxilia mittebantur. Brevi post tempore revocato ad reatum Alci- 4
biade duo proelia pedestria secunda Nicias et Lamachos faciunt; munitionibus deinde circumdatis hostes etiam marinis commeatibus 5
in urbe clausos intercludunt. Quibus rebus fracti Syracusani auxi- 6
lium a Lacedaemoniis petiverunt. Ab his mittitur Gylippus solus, 7
sed in quo instar omnium auxiliorum erat. Is audito genere belli 8
atque inclinato statu auxiliis partim in Graecia, partim in Sicilia contractis opportuna bello loca occupat. Duobus deinde proeliis vi- 9
ctus, congressus tertio occiso Lamacho et hostes in fugam compulit et socios obsidione liberavit. Sed cum Athenienses a bello terrestri 10
in navale se transtulissent, Gylippus classem Lacedaemone cum auxiliis arcessit. Quo cognito et ipsi Athenienses in locum amissi 11
ducis Demosthenen et Eurymedonta cum supplemento copiarum mittunt. Peloponnesii quoque communi civitatium decreto ingentia 12
Syracusanis auxilia misere; et quasi Graeciae bellum in Siciliam translatum esset, ita ex utraque parte summis viribus dimicabatur.

V. Prima igitur congressione navalis certaminis Athenienses 1
vincuntur; castra quoque cum omni publica ac privata pecunia amittunt. Super haec mala cum etiam terrestri proelio victi essent, 2
tunc Demosthenes censere coepit, *ut abirent Sicilia, dum res, quam-*

Selinuntiis pressi, sed socios se Leontini ipsis adiunxerant; v. Diodorum XII, 83.

§ 3. *Lamachos*] a Bongars. retinui; vulgo: —*chus*.

§ 7. *solus*] paene solus; vide Thucyd. VI, 104.

sed in quo] Sic recentiores tantum codd. et Oros.; vetusti omnes: *sed quo*, unde Bong. fecit: *sed qui inst.*, ut 1 Ms. Boschii. Cf. Wopkens.

§ 8. *audito genere b. atque incl. st.*] Sic codd. omnes praeter Oxonienses, nisi quod pro *iam incl.* necessario reponendum erat *atque*, minima mutatione: BELLIIAĨNCL. et BELLIACINCL.; nam *ac* pro *atque* vel optimos libros insidet; v. *Handii Tursell.* T. I. p. 455 sqq. Vel *et* inserendum: *et iam inclinato st.* *Genus* autem *belli* cognitum habeat oportet, qui auxilia eidem bello colligit; *incl. statu* sc. belli vel bellantium. Vulgo tamen omnes receperunt codd. Oxonn. lectionem: *audito in itinere belli iam incl. statu*, quam dilaudavit Graevius, sed Oxonienses codd. ubique retractati et interpolati sunt. Orosius: *qui veniens, ut audivit inclinatum iam belli statum, auxiliis* cett.

§ 9. *occiso Lamacho*] Sic Diodor. XIII, 8; Thucyd. et Plutarchus eum in altero proeliorum, de quo § 4, occubuisse referunt; v. Wessel. ad Diod. l. l.

§ 11. *Eurymedonta*] Goth.: *Oriomed.*

3 *vis adflictae, nondum tamen perditae forent: neque in bello male auspicato amplius perseverandum: esse domi graviora et forsitan infeli-*
4 *ciora bella, in quae servare hos urbis apparatus oporteat.* Nicias seu pudore male actae rei, seu metu destitutae spei civium, seu impel-
5 lente fato manere contendit. Reparatur igitur navale bellum, et animi a prioris fortunae procella ad spem certaminis revocantur: sed
6 inscitia ducum [, qui] inter angustias maris tuentes se Syracusanos
7 adgressi [fuerant], facile vincuntur. *Eurymedon** dux in prima acie fortissime dimicans primus cadit: triginta naves, quibus praefuerat,
8 incenduntur. Demosthenes et Nicias et ipsi victi exercitum in terram
9 deponunt, tutiorem fugam rati itinere terrestri. Ab his relictas centum triginta naves Gylippus invasit; ipsos deinde insequitur:
10 fugientes partim capit, partim caedit. Demosthenes amisso exercitu
11 a captivitate gladio et voluntaria morte se vindicat: Nicias autem ne Demosthenis quidem exemplo, ut sibi consuleret, admonitus cladem suorum auxit dedecore captivitatis.

* *Eurylochus*

C. V. § 3. *esse domi*] Sic recte distinguunt; iam enim Decelia a Spartanis obsidebatur. Hottinger.: *et forsitan felic.*, tanquam nihil nisi bella quaesivissent, neque e necessitate rerum, sed e bellorum probabili eventu consilia petenda iudicavisset Demosthenes.

§ 5. *et animi a p.*] Ita primus Berneccerus, deinde inventum in vett. edd. est; codd. fere: *et a nimia p.* Bongars.: *et animata.*

§ 6. *ducum* [, *qui*] *i.* — *adgr.* [*fuerant*], *fac. v.*] Vocab. *fuerant* e nullo cod. diserte adfertur, sed ab omnibus videtur abesse, etiam a Goth. et Crac.; Prag.: *sunt*, ut Leid. 2 et Ald. Fortasse igitur Iustinus ablativum: *sed inscitia d.* paullo durius cum superioribus verbis: *reparatur bellum* iunxerat; sed ecce in codd. nescio quot Bongarsii, Leid. 3 et coll. C. C. non malis desideratur *qui;* quam voculam si omiseris, sarta tecta erunt. In medio tamen rem relinquo, cum voc. *qui* vel in optimis codd. nonnunquam omittatur, ut II, 2, § 4.

§ 7. *Eurylochus*] Sic codd. omnes, per errorem Iustini; nam codd. Orosii eodem modo. *Eurymedon* intelligitur.

triginta] Oros.: *undecim.*

§ 9. *CXXX*] Sic et Oros.; Thucyd.: *LXX.*

partim caedit] Bongars.: *caedit partim*, sed dubium est, ex antiquis edd. reliquerit an ex optimis suis reposuerit; nam alii ipsius: *partim caedit*, ut ceteri editores; Goth. tamen: *caed. p.*

§ 10. *vindicat*] Hic certe animus ei fuit: nam „*σπασάμενος τὸ ξίφος ἔπληξε μὲν ἑαυτὸν, οὐ μὴν ἀπέθανε, ταχὺ τῶν πολεμίων περισχόντων καὶ συλλαβόντων αὐτόν* (Plutarch. Nic. c. 27.). Ceteri de captivitate tantum eius narrant. — Goth : *Deinde Demosth.*

LIBER V.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS V.*)

Quinto volumine continentur haec. Bellum inter Athenienses et Lacedaemonios, quod *Deceleicum* vocatur, usque ad captas Athenas. Ut expulsi sunt Athenis triginta tyranni. Bellum quod Lacedaemonii in Asia cum Artaxerxe gesserunt propter *Cyrum* *) initum. Hinc repetitum in excessu Cyri cum fratre bellum et Graecorum, qui sub eo militaverant.

*) Codd. h. l. depravati sunt; Bong.: *Grissum;* 3 codd. Longuerrii: *Cyricum;* sic Periz., sed idem *adiutum* pro *initum* habet. Crac.: *propter transgressum.* — Ceterum ex his Persicis Iustinus paucissima excerpsit, cap. 11.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Alcibiades Siculi belli concitor in exsilium profectus Lacedaemonios ad bellum Atheniensibus inferendum impellit. Huic bello Darius rex Persarum accedit socius Lacedaemoniis.*
2. *Alcibiadis res gestae contra patriam: Lacedaemoniis suspectus negotium illis facessit Tisaphernis opera.*
3. *Alcibiades statum reipublicae mutat; deinde classe instructa in bellum pergit adversus Lacedaemonios.*
4. *Navalis pugna et de Lacedaemoniis victis ab Alcibiade reportata victoria. Is desideratus civibus suis Athenas reversus summa cum omnium laetitia excipitur.*
5. *Lacedaemonii Persarum freti auxilio exercitum Atheniensium in Asia sparsum opprimunt. Alcibiades ob rem male gestam veritus populi impetum denuo in voluntarium exsilium proficiscitur.*
6. *Conon, Alcibiadis successor, invalidos et novos milites nactus infeliciter rem gerit; et navali proelio superatus concedit ad Euagoram.*
7. *Atheniensium post cladem acceptam luctus.*
8. *Lacedaemonii victores urbe Athenarum deditione potiuntur. Lysander statum reipublicae mutat: inde triginta tyranni et caedes Alcibiadis.*

9. *Theramenes, tyrannorum unus, vir moderatus, a collegis trucidatur. Thrasybulus rempublicam collapsam restituit et proelio commisso triginta tyrannorum saevissimos, Critiam et Hippolochum, mactat.*

10. *Thrasybulus populares fugientes placide revocat; superstites tyrannos urbe pellit: qui, dum bellum reparare student, comprehensi trucidantur, ἀμνηστίᾳ, id est, discordiarum oblivione, inter cives sancita.*

11. *Darii mors, inter cuius filios Artaxerxen et Cyrum lis de regno; qua prius in occultum, deinde vero in apertum bellum erumpente Artaxerxes demum fratre occiso et victoria et regno potitur.*

---

1 I. Dum Athenienses in Sicilia bellum per biennium cupidius
quam felicius gerunt, interim concitor et dux eius, Alcibiades, ab-
sens Athenis insimulatur mysteria Cereris initiorum sacra, nullo
2 magis quam silentio solemnia, enuntiavisse: revocatusque a bello ad
iudicium, sive conscientiam sive indignitatem rei non ferens, tacitus
3 in exsilium Elidem profectus est. Inde, ubi non damnatum se tan-
tum, verum etiam diris per omnium sacerdotum religiones devotum
4 cognovit, Lacedaemona se contulit: ibique regem Lacedaemoniorum
impellit turbatis Atheniensibus adverso Siciliae proelio ultro bellum
5 inferre. Quo facto omnia Graeciae regna velut ad exstinguendum
6 commune incendium concurrunt: tantum odium Athenienses immo-
7 derati imperii crudelitate contraxerant. Darius quoque, rex Persa-
rum, memor paterni avitique in hanc urbem odii facta cum Lace-
daemoniis per Tisafernen, praefectum Lydiae, societate omnem

C. I. § 1. *concitor*] Mss. Bong.: *conditor*, ut II, 9, 21.

Cereris initiorum] i. e. myst. initiorum Cerealium sacra; noli cum Freinshemio ante *sacra* distinguere, ut pro substantivo sit; hoc enim si Iustinus vellet, scripsisset: *nullo — — solemnia sacra.*

Nullo] i. e. nulla re, v. Wopk., Nagel. in Actis Soc. Trai. Tom. IV. p. 290. et imitatores ap. Gronovium pag. 810.

§ 2. *Elidem*] ἐς Κυλλήνην τῆς Ἠλείας, Thucyd. VI, 88.

§ 3. *diris*] Goth.: *diis;* Mss. Bong.: *diis iras*, i. e., ut 4 codd.: *diis iratis.*

§ 4. *inferre*] Cod. Bong. et Ox. C. addunt: *parant Lacedaemonii.* Unde Schefferus: *Parent Lac.*

§ 5. *Regna* dixit civitates Graecas scriptor ex altero, fortasse tertio imperii Romani saeculo, cui tali modo labi proclive erat. Offenderunt tamen non solum interpp. praeter Fabrum, sed etiam *Ruhnkenius* (ad Rutil. Lup. p. 47).

§ 6. *odium*] Graevius ex edd. Ald. et Iunt. reposuit *odii* et obsecuti sunt editores; sed *odii* in recentissimis tantum codd. legitur.

§ 7. *Darius*] Nothus cognomine.

Tisafernen] Sic codd., quos Gronov. vidit. Bong.: *Tissaf.*, ut Oros.

sumtum belli pollicetur. Et erat hic quidem titulus cum Graecis 8
coëundi: re autem vera timebat, ne victis Atheniensibus ad se La-
cedaemonii arma transferrent. Quis igitur miretur tam florentes 9
Atheniensium opes ruisse, cum ad opprimendam unam urbem totius
Orientis vires concurrerent? Non tamen inerti neque incruento ceci- 10
dere bello; sed proeliati ad ultimum, victores etiam interdum, con-
sumti magis fortunae varietate quam victi sunt. Principio belli 11
omnes ab his etiam socii desciverant; ut fit: quo se fortuna, eodem
etiam favor hominum inclinat.

II. Alcibiades quoque motum adversus patriam bellum non gre- 1
garii militis opera, sed imperatoriis virtutibus adiuvat: quippe ac- 2
ceptis quinque navibus in Asiam contendit et tributarias Athenien-
sium civitates auctoritate nominis sui ad defectionem compellit.
Sciebant enim domi clarum, nec exsilio videbant factum minorem; 3
nec tam ablatum Atheniensibus ducem quam Lacedaemoniis traditum,
partaque cum amissis imperia pensare. Sed apud Lacedaemonios 4
virtus Alcibiadis plus invidiae quam gratiae contraxit. Itaque cum 5
principes velut aemulum gloriae suae interficiendum insidiis mandas-
sent, cognita re Alcibiades per uxorem Agidis regis, quam adulte-
rio cognoverat, ad Tisafernen, praefectum Darii regis, profugit:
cui se celeriter officii comitate et obsequendi gratia insinuavit. Erat 6
enim et aetatis flore et formae veneratione nec minus eloquentia
etiam inter Athenienses insignis: sed in conciliandis amicitiarum 7
studiis quam in retinendis vir melior: quia morum vitia sub umbra
eloquentiae primo latebant. Igitur persuadet Tisaferni, *ne tanta* 8
stipendia classi Lacedaemoniorum praeberet: vocandos enim in portio- 9
nem muneris Ionios, quorum pro libertate, cum tributa Atheniensibus

---

§ 10. *victi*] Ita correxit Bong., incertum ex ingenio an ducibus codicib.; vulgo: *vi victi;* voc. *vi* deest in compluribus Wopk. et Prag. (Goth.: *bello victi*), neque reduci a Vorstio Graevioque debebat. Legas verba et v. Wopk.; nam cum praepositum voc. *consumti* sit, nemo *varietate fort.* ad *victi* supplendum esse putabit. Orosius II, 15: „*ut — pugnando saepe nec unquam cedendo consumti magis videantur fuisse quam victi*,“ ex h. l.

§ 11. *belli*] non Peloponnesiaci, sed recrudescentis, *Decelеici.*

C. II. § 1. *imperatoriis*] Sic Bong. et codd.; sed reposuerunt editores e vett. edd. *imperatoris* [ut Goth.], quasi *virtutes* imperatori propriae essent, *opera* militi gregario; rectum foret: *imperatoris* consilio aut prudentia, non *virtutibus.*

§ 3. *partaque c. am. i. pensare*] i. e. quae sibi comparaverat apud Lacedaemonios imperia aequare cum amissis (quae Athenienses ipsi abstulerant); tantumdem imperii nactum esse, quantum amiserit; v. Gronov. et Vorst. *Pensare* est in codd. Bong. (nonnulli eiusdem *pensaret*), 5 Gronovii, Goth., Crac., Prag.; alii ex edd. vett.: *pensantem.* Pro *parta* Bong.: *parata*, ut Crac., fort. rectius, quod in locis nostri similibus *parere* cum dativo iungi solet, qui casus in voc. *parare* facilius omittitur.

§ 7. *quia mor.*] Med., 1 Bong., 2 Leidd.: *cui m.*

10 *penderent, bellum susceptum sit. Sed nec auxiliis nimis enixe Lace-*
daemonios iuvandos: quippe memorem esse debere alienam se victoriam,
non suam instruere; et eatenus bellum sustinendum, ne inopia desera-
11 *tur. Nam regem Persarum dissentientibus Graecis arbitrum pacis ac*
belli fore; et quos suis non possit, ipsorum armis victurum: perfecto
12 *autem bello statim ei cum victoribus dimicandum. Domesticis itaque*
bellis Graeciam atterendam, ne externis vacet, exaequandasque vires
13 *partium et inferiores auxilio levandos. Non enim quieturos post hanc*
victoriam Spartanos, qui vindices se libertatis Graeciae professi sint.
14 Grata oratio Tisaferni fuit. Itaque commeatus maligne praebere;
classem regiam non totam mittere: ne aut victoriam daret aut ne-
cessitatem deponendi belli imponeret.
1 2 III. Interea Alcibiades hanc operam civibus venditabat: ad
quem cum legati Atheniensium venissent, pollicetur his amicitiam
3 regis, si respublica a populo translata ad senatum foret: sperans, ut
aut concordante civitate dux belli ab omnibus legeretur aut discordia
4 inter ordines facta ab altera parte in auxilium vocaretur. Sed Athe-
niensibus imminente periculo belli maior salutis quam dignitatis cura
5 fuit. Itaque permittente populo imperium ad senatum transfertur.
6 Qui cum insita genti superbia crudeliter in plebem consuleret, sin-
gulis tyrannidis sibi impotentiam vindicantibus, ab exercitu Alcibia-
7 des exsul revocatur duxque classi constituitur. Statim igitur Athe-
nas mittit: *ex continenti se cum exercitu venturum recepturumque a*
8 *quadringentis iura populi, ni ipsi redderent.* Hac denuntiatione opti-
mates territi primo urbem prodere Lacedaemoniis tentavere: dein,

---

§ 11. *dissentientibus*] Sic praeter coll. N. (et Crac.) codd. omnes, quos Gronovius secutus est; sed in Add. corrigi iubet: *dissidentibus*, ut Graev.

§ 12. *atterendam*] Reliqui hanc lectionem, ab Anglis et Scheffero illatam. Codd. omnes: *obterendam* i. e. conculcandam, perdendam, quod sane nimium est nec pro loci sententia; cum tamen Cicero, Curtius, alii eodem verbo ad res, quae animo concipiuntur, translato utantur *extenuandi* significatione: ut *laudes*, *res Philippi obterere*, huic etiam loco aliquando vindicabitur, fortasse iam nunc reponendum erat; v. omnino *Gebhardum* ad Liv. XXIII, 43, § 10. Unus Bong.: *exercendam.*

§ 13. *qui — sint*] Bong.: *qui — sunt; sunt* etiam Crac., Prag., Goth.; duo posteriores *quia*, ut Mss. Bong.

C. III. § 5. *ad senatum*] „Ad quadringentos viros, qui, si ipsis luberet, quinque millia civium ditiorum in consilium adhiberent.“ *W.*

§ 6. *genti*] Atheniensibus; v. Graevium.

§ 7. *mittit*] ἐπιστέλλει; v. Graev., laudatos ap. Wopk. et Oudend. ad Caes. B. G. I, 34. pag. 87 ed. nov. Sic Bong., Goth. Sed codd. Bongarsii (qui quidem minoris ipsi erant), Ox. C., Mss. Gronovii, Crac., Prag.: *scribit.*

§ 8. *urbem prodere*] Pacem cum Lacedaemoniis componere saepius studuerant; quod cum diu non cessisset, tandem *quavis lege* pacisci volebant, dum ipsi salvi essent (Thuc. VIII, 91.); id autem non iniuria Iustinus *prodendi* vocabulo significat.

cum id nequissent, in exsilium profecti sunt. Igitur Alcibiades in- 9
testino malo patria liberata summa cura classem instruit; atque ita in bellum adversus Lacedaemonios pergit.

IV. Iam Sesto Mindarus et Pharnabazus, Lacedaemoniorum 1
duces, instructis navibus exspectabant. Proelio commisso victoria penes Athenienses fuit. In eo bello maior pars exercitus et omnes 2
ferme hostium duces caesi; naves octoginta captae. Interiectis quo- 3
que diebus, cum bellum Lacedaemonii a mari in terram transtulissent, iterato vincuntur. His malis fracti pacem petiere: quam ne 4
acciperent, opera eorum effectum est, quibus ea res quaestum praebebat. Interea et Syracusanorum auxilia illatum a Carthaginiensibus 5
Siciliae bellum domum revocavit. Quibus rebus destitutis Lacedae- 6
moniis Alcibiades cum classe victrici Asiam vastat; multis locis proelia facit: ubique victor recipit civitates, quae defecerant: nonnullas capit et imperio Atheniensium adiicit: atque ita prisca navali gloria 7
vindicata, adiecta etiam laude terrestris belli, desideratus civibus suis Athenas revertitur. His omnibus proeliis ducentae naves ho- 8
stium et praeda ingens capta. Ad hunc redeuntis exercitus trium- 9
phum effusa omnis multitudo obviam procedit; et universos quidem milites, praecipue tamen Alcibiaden mirantur: in hunc oculos civi- 10
tas universa, in hunc suspensa ora convertit; hunc quasi de caelo missum et ut ipsam Victoriam contuentur; laudant quae pro patria, 11
nec minus admirantur quae exsul contra gesserit, excusantes ipsi: *iratum provocatumque fecisse.* Enimvero tantum in uno viro fuisse 12
momenti, ut maximi imperii subversi et rursum recepti auctor esset et, unde stetisset, eo se victoria transferret, fieretque cum eo mira quaedam fortunae inclinatio! Igitur omnibus non humanis tantum, 13
verum et divinis eum honoribus onerant; certant secum ipsi, utrum contumeliosius eum expulerint, an revocaverint honoratius. Ipsos 14
illi deos gratulantes tulere obviam, quorum exsecrationibus erat devotus; et cui paullo ante omnem humanam opem interdixerant, eum, 15
si queant, in caelo posuisse cupiunt. Explent contumelias honori- 16
bus, detrimenta muneribus, exsecrationes precibus. Non Siciliae 17

C. IV. § 1. *Sesto Mindarus*] Monstrose codd. omnes et edd. vett.: *Zestromindareus* vel *Zestormind.*, quod primus Is. Vossius expediit. *Sesto* pro *Sesti;* v. Fabrum, Vorst., Muncker. ad Hygin. fab. p. 356. Ceterum res non accurate relata; Athenienses, non Lacedaemonii, Sesti exspectabant; Thuc. VIII, 102. — *Pharnabazus*] satrapa Persarum.

§ 4. *praebebat*] Ita Bong., 8 Gron., Crac., Prag. Sed edd. vett., 1 Bong., Goth.: *praestabat.*

§ 5. *domum*] omittunt Mss. Bong.

§ 6. Goth.: *ubique v. recipitur; civ., q. d., nonn.* cett.

§ 13. *onerant*] cumulant. Mss. Bong.: *honerant*, ut paullo post *hore* pro *ore.* Sed 9 recc. codd.: *honorant*, ut edd. vett.

§ 14. *erat*] Med.: *fuerat.*

illis adversa pugna in ore est, sed Graeciae victoria; non classes per illum amissae, sed adquisitae; nec Syracusarum, sed Ioniae
18 Hellespontique meminerunt. Sic Alcibiades numquam mediocribus, nec in offensa nec in favore, studiis suorum exceptus est.

1 V. Dum haec aguntur, a Lacedaemoniis Lysander classi belloque praeficitur et in locum Tisafernis Darius, rex Persarum, filium suum Cyrum Ioniae Lydiaeque praeposuit: qui Lacedaemonios auxi-
2 liis opibusque ad spem fortunae prioris erexit. Aucti igitur viribus Alcibiaden cum centum navibus in Asiam profectum, dum agros longa pace divites securius populatur et praedae dulcedine sine insidia-
3 rum metu sparsos milites habet, repentino adventu oppressere: tantaque caedes palantium fuit, ut plus vulneris eo proelio Athenienses
4 acciperent, quam superioribus dederant; et tanta desperatio apud Athenienses erat, ut ex continenti Alcibiaden ducem Conone muta-
5 rent, arbitrantes victos se non fortuna belli, sed fraude imperatoris, apud quem plus prior offensa valuisset quam recentia beneficia:
6 vicisse autem eum priore bello ideo tantum, ut ostenderet hostibus, quem ducem sprevissent, et ut carius eis ipsam victoriam venderet.
7 Omnia enim credibilia in Alcibiade vigor ingenii et morum luxuria
8 faciebat. Veritus itaque multitudinis impetum denuo in voluntarium exsilium proficiscitur.

1 VI. Itaque Conon Alcibiadi suffectus, habens ante oculos, cui
2 duci successisset, classem maxima industria exornat: sed navibus exercitus deerat, fortissimis quibusque in Asiae populatione amissis.
3 Armantur tamen senes aut impuberes pueri, et numerus militum sine
4 exercitus robore expletur. Sed non magnam bello moram aetas fecit imbellis: caeduntur passim aut fugientes capiuntur; tantaque strages aut occisorum aut captivorum fuit, ut Atheniensium deletum
5 non imperium tantum, verum etiam nomen videretur. Quo proelio

---

§ 18. Mss. Bong., 6 Gronov., in quibus meliores, Crac., Goth.: *nec in offensam nec in favorem.*

C. V. § 1. *a Lac.*] Bongars.: *et a Lac.*, quod nescio an recipiendum erat.

§ 2 sq. Aliter ceteri omnes; nimirum Alcibiadem, dum in Asiam Samo proficisceretur, *Antiocho*, navium praefecto, severe interdixisse, ne pugnam se absente cum hoste capesseret; quo tamen consilio neglecto hunc hominem, gubernandi peritum, sed ducem malum, cum Lysandro congressum prope Colophonem ingenti clade victum esse. Cur Alcibiades in Asiam abierit et quam in urbem, varie narrant Xenoph. I, 5, 11; Diod. XIII, 71; Plutarch. 35. Fuisse tamen inter veteres puto, qui hoc modo, quo Iustinus, narrarent.

§ 4. *Conone*] Decem στρατηγοὺς delegerunt, in quibus Xenoph. I, 5, 16 *Cononem* primum nominat; idem postea dux mansit, reliquis magistratu summotis.

C. VI. § 4. *caeduntur passim*] a *Callicratide*, Lysandri successore, ad Chium et Lesbum, saepius.

perditis et desperatis rebus ad tantam inopiam rediguntur, ut con-
sumta militari aetate peregrinis civitatem, servis libertatem, damna-
tis impunitatem darent. Ex qua colluvione hominum domini antea 6
Graeciae conscripto exercitu vix libertatem tuebantur. Iterum tamen 7
fortunam maris experiendam decernunt. Tanta virtus animorum erat, 8
ut, cum paullo ante salutem desperaverint, nunc non desperent vi-
ctoriam. Sed neque is miles erat, qui nomen Atheniensium tuere- 9
tur; neque eae vires, quibus vincere consuerant; neque ea scientia
militaris in his, quos vincula, non castra continuerant. Itaque omnes 10
aut capti aut occisi. Cum dux Conon eo proelio superfuisset solus,
crudelitatem civium metuens cum octo navibus ad regem Cyprium
concedit Euagoram.

VII. At dux Lacedaemoniorum rebus feliciter gestis fortunae 1
hostium insultat; captivas naves cum praeda bellica in triumphi mo- 2
dum ornatas mittit Lacedaemona; ac tributarias Atheniensium civita- 3
tes, quas metus dubiae belli fortunae in fide tenuerat, voluntarias
recepit, nec aliud ditionis Atheniensium praeter urbem ipsam reli-
quit. Quae cuncta cum Athenis nuntiata essent, omnes relictis do- 4
mibus per urbem discurrere pavidi; alius alium sciscitari; auctorem
nuntii requirere: non pueros imprudentia, non senes debilitas, non 5
mulieres sexus imbecillitas domi tenet: adeo ad omnem aetatem tanti
mali sensus penetraverat. In foro deinde coëunt atque ibi perpeti 6
nocte fortunam publicam questibus iterant. Alii fratres aut filios aut 7
parentes deflent, cognatos alii, alii amicos cognatis cariores, et
cum privatis casibus querelam publicam miscent: iam se ipsos, iam 8

---

§ 5. *servis libertatem*] V. Schneid. ad Xenoph. Hell. I. 6, 24.

§ 6. *Ex qua coll.*] Sic ex uno Ms. Bong. scripsit Berneccerus, cum ante perperam legeretur: *Eaque coll.*, ut Goth., Prag., edd. vett.; Bong.: *Eaque in coll.* Gronov. de suis tacet. Possis etiam facilius: *Ex eaque coll.*, nam praep. *ex* sequenti *ea* nonnunquam absorbetur, v. Drakenb. ad Liv. XXXV, 50, 7. Oros. II, 16: *ex hac colluvie.*

domini cett.] Sic codd. et edd. antiquae omnes, recte. Editores tamen oscitanter h. l. Berneccerum secuti sunt, transponentem: *Ex qua coll. h. conscr. exerc. domini a. Gr. vix* cett.

§ 9. Omittit felicem pugnam ad *Arginusas*, statim subiungens infaustam ad *Aegos* flumen.

eae vires] Codd. Bong., Crac., Goth.: *hae v.* Post Ms. Bong. *quae* pro *quib.*

§ 10. *eo proel.*] Sic Bong. et codd. plurimi; pauci tantum, Thuan., Leid. 3, coll. N. vel C. C., 3 Dorvill. *eo* omittunt, quod recte fieri posse demonstrarunt Wopk. et Gronov.; sed illud non falsum et h. l. magis placet.

C. VII. § 1. *Dux Lac.*] Lysander.

§ 3. *recepit*] Sic codd. omnes praeter 4 Gronovii, Med., Leid. 2. 5, coll. N. (Prag., Crac.), qui interpolationem etiam eo produnt, quod *relinquit* exhibent; *relinquit* praeterea 1 Bong., Goth.; sed cf. ad I, 8, § 8. Vulgo: *recipit* — *reliquit*, neque hoc male. — Prag.: *ditioni Ath. nisi urb.*

ipsam patriam perituram, miserioremque incolumium quam amisso-
9 rum fortunam iudicantes; sibi quisque ante oculos obsidionem, fa-
10 mem et superbum victoremque hostem proponentes; iam ruinam ur-
bis et incendia, iam omnium captivitatem et miserrimam servitutem
11 recordantes; feliciores prorsus priores urbis ruinas ducentes, quae
incolumibus filiis parentibusque tectorum tantum ruina taxatae sint:
12 nunc autem non classem, in quam, sicuti pridem, confugiant, su-
peresse; non exercitum, cuius virtute servati pulchriora possent
moenia exstruere.

1 VIII. Sic defletae ac prope perditae urbi hostes superveniunt
2 et obsidione circumdata obsessos fame urgent. Sciebant enim neque
ex advectis copiis multum superesse, et, ne novae advehi possent,
3 providerant. Quibus malis Athenienses fracti post longam famem et
adsidua suorum funera pacem petivere: quae an dari deberet, diu
4 inter Spartanos sociosque deliberatum. Cum multi delendum Athe-
niensium nomen urbemque incendio consumendam censerent, nega-
5 runt *se* Spartani *ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos;* pacem
polliciti, *si demissa Piraeëum versus muri brachia deiicerent, naves-
que, quae reliquae forent, traderent; resque publica ex semet ipsis
6 triginta rectores acciperet.* In has leges traditam sibi urbem Lace-
7 daemonii formandam Lysandro tradiderunt. Insignis hic annus et
expugnatione Athenarum et morte Darii regis Persarum et exsilio

---

§ 11. *tantum ruina*] i. e. destructione. Male Mss. Bong., Goth., Prag.: *t. ruinae.*

C. VIII. § 1. *obs. circumdata obsessos f. u.*] Sic codd. paene omnes; tam plene solet Iustinus; v. supra IV, 4, 5: *munitionibus circumdatis hostes etiam marinis commeatibus in urbe clausos intercludunt.* Post Graevium legitur ex Ald. et Iunt.: *obs. circumdatos f. u.*, ut Dorv. 3. (et Crac.)

§ 2. *copiis*] Abest in codd. Bong. et Prag.; qui cum Ox. C. pro *novae* habet *nova*, ut Scheff. volebat.

§ 5. *Piraeeum versus*] (Codd.: *Pireum* vel *Pyreum.*) Sic lapsa linguae castitate loqui solebant; conf. *Ramshorn.* gramm. pag. 248. Hygin. astron. c. 39: *pennae caudam versus duae.* Codd. tamen Med., Leid. 2 et 4: *in Pir. versus*, ex usu meliorum temporum, quibus auscultandum iudicavit *Oudendorp.* ad Caes. B. G. VII, 8 extr.

§ 7. *annus*] Intelligit annum 402, Ol. 93, 4, quo tamen Dionysius Syracusis expulsus non est, sed vel 356 a Dione, vel a. 343 a Timoleonte. Errorem demonstravit *Scaliger.* de Emend. tempor. V. p. 224, corrigere voluerunt *Dodwellus* et *Corsinius* (q. v. in *Fastis Att.* T. III. pag. 259) legentes *exortu* vel *exordio Dionysii Sic. tyranni*, maioris quidem; verum is iam a. 405, Ol. 93, 1 imperium capessiverat. Bernecccerus, assentiente Wetzelio: „Iustinus habebat in animo, eo anno Dionysium victum a Carthaginiensibus fuisse [v. Diod. XIII, 108 sqq. ad Gelam]; propterea cladem acceptam illius Dionysii cum filii exilio confuderit.“ Sed neque haec ratio probabilis; nulla enim ista victoria rerum mutatio facta est. Mihi nondum liquet; Henninium autem, qui totum comma delere volebat, iam recte refutavit Gronov. p. 813.

et exp.] Copulam Bong. omisit, utpote ab uno tantum cod. exhibi-

Dionysii Siciliae tyranni fuit. Mutato statu Athenarum etiam civium 8
conditio mutatur. Triginta rectores reipublicae constituuntur; qui 9
fiunt tyranni: quippe a principio tria millia sibi satellitum statuunt, 10
quantum ex tot cladibus prope nec civium superfuerat; et, quasi par- 11
vus hic ad continendam civitatem exercitus esset, septingentos milites
a victoribus accipiunt. Caedes deinde civium ab Alcibiade auspi- 12
cantur, ne iterum rempublicam sub obtentu liberationis invaderet.
Quem cum profectum ad Artaxerxen, Persarum regem, comperis- 13
sent, citato itinere miserunt, qui eum interciperent: a quibus occu- 14
patus, cum occidi aperte non posset, vivus in cubiculo, in quo
dormiebat, crematus est.

IX. Liberati hoc ultoris metu tyranni miseras urbis reliquias 1
caedibus et rapinis exhauriunt. Quod cum displicere uni ex numero 2
suo Therameni didicissent, ipsum quoque ad terrorem omnium in-
terficiunt. Fit igitur ex urbe passim omnium fuga, repleturque 3
Graecia Atheniensium exsulibus. Quod etiam ipsum auxilium cum 4
miseris eriperetur (nam Lacedaemoniorum edicto civitates exsules
recipere prohibebantur), omnes se Argos et Thebas contulere: ibi 5
non solum tutum exsilium egerunt, verum etiam spem reciperandae
patriae receperunt. Erat inter exsules Thrasybulus, vir strenuus et 6
domi nobilis, qui audendum aliquid pro patria et pro salute communi
etiam cum periculo ratus, adunatis exsulibus castellum Phylen Atti-
corum finium occupat. Nec deerat quarumdam civitatium tam cru- 7
deles casus miserantium favor. Itaque Ismenias, Thebanorum prin- 8
ceps, etsi publicis non poterat, privatis tamen viribus adiuvabat; et 9
Lysias, Syracusanus orator, exsul tunc, quingentos milites stipen-

---

tam; absorpta erat compendio praeposit. *ex;* Drakenb. ad Liv. VI, 7, 4. XXX, 7, 2.

§ 10. *satellitum*] *τοὺς μεθέξοντας τῶν πραγμάτων*, Xenoph. III, 3, 18.

§ 14. Negligentius haec relata; v. Nepot. c. 10, Plutarch. 39, Diodor. XIV, 11 ex *Ephori* lib. XVII, reliquos.

C. IX. § 4. *Quod etiam* cett.] Sic Bong. codd.; reliqui de suis nihil narrant; Bong. in textu: *aux. unicum cum mis.*, quod ob ductuum similitudinem facile his insinuari poterat. Unus Bong., Prag., Crac. *cum* omiserunt; Prag.: *eripitur;* Crac.: *namque.* Goth. c. edd. vett.: *quod cum — a miseris.*

§ 6. *Phylen*] Codd. quidam: *Filen* s. *Fynen.*

§ 7. *crudeles*] Bong., Goth., Prag.: *crudelis;* sed codd. Bong.: *crudeles.*

§ 8. Med., Magl., Goth., Prag.: *Itaque et Ism.*

§ 9. *Lysias*] Syracusanus vocatur a proavo Cephalo, qui Syracusis Athenas migraverat. Disertius de optimo civi Plutarchus in vitis Rhetorum p. 835: *τῶν τριάκοντα παραλαβόντων τὴν πόλιν ἐξέπεσεν — ἀφαιρεθεὶς τὴν οὐσίαν καὶ τὸν ἀδελφὸν Πολέμαρχον· αὐτὸς δὲ διαδρὰς ἐκ τῆς οἰκίας ἀμφιθύρου οὔσης, ἐν ᾗ ἐφυλάσσετο ὡς ἀπολούμενος, διῆγεν ἐν Μεγάροις. ἐπιθεμένων δὲ τῶν ἀπὸ Φυλῆς τῇ καθόδῳ, ἐπεὶ χρη-*

dio suo instructos in auxilium patriae communis eloquentiae misit.
10 Fit itaque asperum proelium: sed cum hinc pro patria summis viribus, inde pro aliena dominatione securius pugnaretur, tyranni vin-
11 cuntur: victi in urbem refugerunt: quam exhaustam caedibus suis
12 etiam armis spoliant. Deinde cum omnes Athenienses proditionis suspectos haberent, demigrare eos ex urbe iubent et in brachiis muri, quae diruta fuerant, habitare, extraneis militibus imperium tuen-
13 tes. Post haec Thrasybulum corrumpere imperii societatem polli-
14 centes conantur. Quod cum non contigisset, auxilia a Lacedae-
15 moniis petivere: quibus accitis iterato proeliantur. In eo bello Critias et *Hippomachus* *, omnium tyrannorum saevissimi, cadunt.
1 X. Ceteris victis, cum exercitus eorum, ex quibus maior pars Atheniensium erat, fugeret, magna voce Thrasybulus exclamat: *cur se victorem fugiant potius quam ut vindicem communis libertatis adiu-*
2 *vent? Civium illam meminerint aciem, non hostium esse; nec se ideo arma cepisse, ut aliqua victis adimat, sed ut ademta restituat: tri-*
3 *ginta se dominis, non civitati bellum inferre.* Admonet deinde cognationis, legum, sacrorum communium, tum vetusti per tot bella commilitii; orat *misereantur exsulum civium, si tam patienter ipsi*
4 *serviant: reddant sibi patriam, accipiant libertatem.* His vocibus tantum promotum est, ut reversus in urbem exercitus triginta tyrannos emigrare Eleusina iuberet, substitutis decem, qui rempubli-

* *Hippolochus*

σιμώτατος ἁπάντων ὤφθη χρήματά τε παρασχὼν δραχμὰς δισχιλίας καὶ ἀσπίδας διακοσίας, πεμφθεὶς δὲ σὺν Ἑρμᾶνι ἐπικούρους ἐμισθώσατο τριακοσίους δύο, ἔπεισέ τε τάλαντα δοῦναι Θρασύλαιον τὸν Ἠλεῖον cett. — Vox *milites* deest in codd. Bong. et Prag., qui cum uno ex Bong. saepissime consentit.

§ 10. *securius*] Sic codd.; v. Boxhorn. At Gronov. e Periz., cui accedit Dorv. 3 omnium recentissimus: *segnius*, quod Wopk. commendaverat.

§ 11. *refugerunt*] Ita codd. et Oros., recte; v. V, 1, 3: *Lacedaemona se contulit, ibique regem Lacedaemoniorum impellit* et similia multa; vide omnino quos laudat Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 46. p. 123 sq. Vulgo: *refugiunt*, suasu Sebisii, ut Angli. Goth.: *refugierunt; exhaustam*, omisso *quam.*

§ 12. *tuentes*] Mss. Bong.: *tuentibus.*

§ 15. *Hippolochus*] Ita codd. omnes, nisi quod unus Bong., Bodl., Prag.: *Hippolytus.* Intelligitur sine dubio *Hippomachus* ap. Xenoph. II, 4, 19, licet unus inter tyrannos etiam *Hippolochus* fuerit. Orosius nomina omisit, sed voc. *bello* tuetur.

C. X. § 1. *magna voce*] Cleocrito praecone ingentis vocis usus.
se victorem] Mss. Bong. et Med. (ed. an cod.?): *se victore.*

§ 3. *Admonet d.*] Gronov. ex uno Bong. Scheffero auctore scripserat: *Admonens deinde*, qua ratione de vigore loci aliquid detrahitur.
communium] Deest ap. Bong. et in Goth.

§ 4. *Eleusina*] Ms. Bong., Bodl., Crac. hic et § 7: *Eleusinam*, ut Oros. Goth.: *Eleusin.*

cam regerent: qui nihil exemplo prioris dominationis territi eamdem 5
viam crudelitatis adgressi sunt. Dum haec aguntur, nuntiatur La- 6
cedaemone, in bellum Athenienses exarsisse: ad quod comprimen-
dum Pausanias rex mittitur. Qui misericordia exsulis populi per- 7
motus patriam miseris civibus restituit et decem tyrannos ex urbe
Eleusina migrare ad ceteros iubet. Quibus rebus cum pax statuta 8
esset, interiectis diebus repente tyranni non minus restitutos exsules
quam se in exsilium actos indignantes, quasi vero aliorum libertas
sua servitus esset, bellum Atheniensibus inferunt: sed ad colloquium, 9
veluti dominationem recepturi, progressi, per insidias comprehensi,
ut pacis victimae, trucidantur. Populus, quem emigrare iusserant,
in urbem revocatur. Atque ita per multa membra civitas dissipata 10
in unum tandem corpus redigitur; et, ne qua dissensio ex ante actis 11
nasceretur, omnes iureiurando obstringuntur, *discordiarum oblivio-
nem fore.* Interea Thebani Corinthiique legatos ad Lacedaemonios 12
mittunt, qui ex manubiis portionem praedae communis belli periculi-
que peterent. Quibus negatis non quidem aperte bellum adversus 13
Lacedaemonios decernunt: sed tacitis animis tantam iram conci-
piunt, ut subesse bellum intelligi posset.

XI. Eodem fere tempore Darius, rex Persarum, moritur, Ar- 1
taxerxe et Cyro filiis relictis. Regnum Artaxerxi, Cyro civitates, 2
quarum praefectus erat, testamento legavit. Sed Cyro iudicium pa- 3
tris iniuria videbatur. Itaque occulte adversus fratrem bellum para-
bat. Quod cum nuntiatum Artaxerxi esset, arcessitum ad se fratrem 4
et innocentiam dissimulatione belli simulantem compedibus aureis
vinxit: interfecissetque, ni mater prohibuisset. Dimissus igitur Cy- 5
rus iam non occulte bellum, sed palam; nec per dissimulationem,
sed aperta professione parare coepit: auxilia undique contrahit. La- 6
cedaemonii memores Atheniensi bello enixe se eius opera adiutos,

---

§ 6. *in bell. Ath. exars.*] Sic codd. Bong., 6 Gronovii, Crac., Prag., Goth. „Longe politius Britanni ex vetere [imo recentissimo] codice: *bellum Athenis exarsisse.*" *Graevius.* Quod exinde editores temere receperunt.

§ 7. Unus Bong.: *permotus et patr.* — 3 Gron., 1 Bong.: *emigrare.*

§ 10. *tandem*] De hac voce securi esse poterimus, cum Bong. habeat. Sic etiam Mss. Angl., Goth. (Crac., Prag.). Legebatur: *tantum*, ex errore compendii.

§ 11. *discord. oblivionem*] *ἀμνηστίαν.* Xenoph.: *ὤμοσαν ὅρκους, ἦ μὴν μὴ μνησικακεῖν.*

§ 12. Hoc alias quidem non legi; sed si factum est, uti sane videtur, factum esse debet ante a. 404 et ante ea quae narrantur c. 9, § 4 vel Xenoph. II, 4 init.

C. XI. § 1. *fere*] Minus bene Bong., Ox .C., Crac., Goth.: *forte*, quod defendi non potest locis I, 4, 8. II, 14, 7. XLIII, 3, 9.

§ 2. *Artaxerxi*] Mnemoni cognomine.

§ 6. *enixe se*] Ms. Bong., Goth. se omittunt; Med., coll. N.: *enixa*,

velut ignorantes, contra quem bellum pararetur, decernunt auxilia
7 Cyro mittenda, ubi res eius exegisset: quaerentes apud Cyrum gratiam et apud Artaxerxen, si vicisset, veniae patrocinia, cum nihil
8 adversus eum aperte decrevissent. Sed cum in bello fors proelii utrumque fratrem pugnae obtulisset, prior Artaxerxes a fratre vul-
9 neratur: quem cum equi fuga periculo subtraxisset, Cyrus a cohorte regia oppressus interficitur. Sic victor Artaxerxes et praeda fraterni
10 belli et exercitu potitur. In eo proelio decem millia Graecorum in auxilio Cyri fuere: quae et in cornu, in quo steterant, vicerunt et post mortem Cyri neque armis a tanto exercitu vinci neque dolo capi
11 potuerunt; revertentesque inter tot indomitas nationes et barbaras gentes per tanta itineris spatia virtute se usque terminos patriae defenderunt.

---

ut I. Fr. Gronov. maluerat; eidem post: *quaer. et ap. Cyrum;* sic edd. vett. — *velut*] Bong.: *vel.*

§ 10. *in auxilio*] v. Wopkens. Codd. Bong., 2 Leidd.: *in auxilia;* Prag.: *in auxilium;* Burmann. ad Anthol. lat. I. p. 62: *Graecorum auxilium*, coll. Scheffero ad XXXVIII, 5, 9. Scheff.: *auxilio*, dat. casu. — *quae*] Prag.: *qui;* codd. Bong., Goth.: *tanto*, non *a t.*

LIBER VI.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS VI.*)

Sexto volumine continentur haec. Bellum Lacedaemoniorum gestum in Asia cum Persicis praefectis, ducibus belli *Dercyllide**[1]) et Agesilao, usque ad proelium navale factum Cnido[2]): quo victis illis Athenienses repetiere[3]) imperium. Dein bellum Corinthiacum et bellum Boeotium: quo Leuctris et Mantineae[4]) victi Spartani amisere imperium. In Thessalia deinde

---

[1]) *Dercyllide*] Sic Longuerr. ex Vat. 1. Sed Bongars.: *Herculide;* similiter Periz. et Crac.: *Hercillide;* at ceteri Gronovii: *Derculide* vel *Dercullide;* v. inf. ad I, § 2. Mire vero *Herculides* est in omnibus codd. Prisciani, VI. p. 259 Krehl.: „Trogus Pompeius in lib. VI. *Inde Scepsim petit, quo se Medias interfecta socru contulerat. Is ab Herculide petito colloquio.*" Illustrantur haec narratione *Xenophontis* Hellen. III, 1.

[2]) Bong., Mod., cod. Ox. C.: *Cnidi.* Crac.: *Emolio.*

[3]) Periz.: *repetivere.*

[4]) Haec in codd. magis minusve corrupta ita restituit Bong. 3 codd. Rom.: *Mantinea.*

Iasonis et post illum Alexandri Pheraei [5]) coalitum atque extinctum imperium. Tum sociale bellum gestum adversus Athenienses a Chiis et Rhodiis [6]) et Byzantiis. Transitus hinc ad res Macedonicas.

---

[5]) Ita recte Bong. et Longuerr.; codd.: *Epirei.* Crac.: *Cyprei.*
[6]) Sic Longuerr. codd.: *Achaeis et Phodiis;* interpolate Vatt. 1. 2. Maxim.: *ab Ach.;* Crac.: *cum Ach.* Vide Diodor. XVI, 7 sqq. 21 sq. Ceterum hoc bellum et quae in Thessalia a tyrannis et contra eosdem gesta sunt, Iustinus omisit.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Lacedaemonii Asiae imperium adfectant. Conon a rege Persarum dux belli navalis eligitur.*
2. *Lacedaemonii ducem exercitus Agesilaum praeficiunt. Cononis res gestae.*
3. *Pisandri et Cononis pugna, in qua Lacedaemonii victi.*
4. *Thebanorum cum Lacedaemoniis bellum. Agesilai ex Asia revocati virtus.*
5. *Athenienses Iphicraten et Cononem Lacedaemoniis opponunt. Athenae ex Lacedaemoniorum spoliis instaurantur.*
6. *Graeciae pax a rege Persarum indicta, quam Lacedaemonii magno suo malo turbant.*
7. *Thebani Spartam oppugnant, quorum vim sustinent pauci senes. Pugna ad Mantineam.*
8. *Epaminondae, fortissimi Thebanorum ducis, interitus et elogium.*
9. *Athenienses a pristinis moribus et virtute deficiunt.*

I. Lacedaemonii more ingenii humani, quo plura habent, eo 1
ampliora cupientes, non contenti accessione Atheniensium opum vires sibi duplicatas totius Asiae imperium adfectare coeperunt: sed maior pars sub regno Persarum erat. Itaque *Dercyllides* * dux in hanc mi- 2

* *Hercyllides* vel *Herculides*

C. I. § 1. Critici aliquot obscura diligentia reposuerunt: *quo plura habet* (ingenium hum.), *eo ampl. cupientis*, cum sanissima omnia sint; v. Wopkens. et Oros. III, 1, p. 147.
§ 2. *Hercyllides*] Sic Bong. al. codd. Bong., Crac., Goth., Prag. al.: *Hercylides* s. *Hercilides*, ut Oros. III, 1, codd. aliquot Prolog.; *Herculides* Med., Leid. 2. 5. coll. N., Trogi fragm. ap. Priscian. VI.

litiam electus, cum videret sibi adversus duos praefectos Artaxerxis regis, Pharnabazum et Tisafernen, maximarum gentium viribus suc-
3 cinctos dimicandum, pacificandum cum altero statuit. Aptior visus Tisafernes, vir et industria potior et militibus Cyri quondam regis instructior; in colloquium vocatur et statutis conditionibus ab armis
4 dimittitur. Hanc rem Pharnabazus apud communem regem criminatur: *ut Lacedaemonios Asiam ingressos non repulerit armis, sed im-*
5 *pensis regiis aluerit; merceturque ab his, ut differant bella quam gerant: tamquam non ad unius summam imperii detrimentum omne per-*
6 *veniat.* *Indignum* ait *bella non perfici, sed redimi; hostem pretio, non*
7 *armis submoveri.* His vocibus regem Tisaferni alienatum hortatur, *ut in locum eius navalis belli ducem eligat Conona Atheniensem*, qui
8 amissa bello patria Cypri exsulabat: *quippe Atheniensibus, etsi fractae sint opes, manere tamen navalem usum, nec, si eligendus sit ex*
9 *universis, meliorem alium esse.* Acceptis igitur quingentis talentis iussus est Conona classi praeficere.

1 II. His cognitis Lacedaemonii et ipsi a rege Aegypti, Hercy-
2 nione, auxilia navalis belli per legatos petunt: a quo centum trire-

---

p. 259. Kr., etiam in codd. Graeci: Δερκυλλίδας. Codd. Gronovii in prologis praeter Periz.: *Derculide* vel *Dercyllide.*

electus] alter post *Thimbronem*, cui male res cesserant.

Artax. regis] Sic Bong., 7 Gronovii, Goth., e quibus reduxi vocem *regis*, quam ceteri omittunt.

pacificandum] Pauciores et recc.: *pacificari;* Goth. cum duobus: *pacificare.*

§ 3. Praeterea Dercyllidas inimicus erat Pharnabazo.

Cyri quondam regis] Eodem modo Cic. de senect. 17: *Cyrum minorem, regem Persarum.* V. Gronov. p. 815.

ab armis dimittitur] i. e. post illas conditiones iam licebat Tisaferni ab armis discedere; non amplius ad arma tenetur; quod expono ob scrupulum Wopkensii.

§ 5. *ut differant bella* (potius) *quam gerant*] Sic Bong., codd. Bodl., C., W.; *ut* etiam in Goth., Crac.; sed iidem *quae* pro *quam*, ut Ms. Ox. et multi, ni fallor, tum vett. edd. Particulam comparativam *quam* nonnunquam simpliciter poni, non adiecto ad alterum membrum vocabulo augendi, notum est; v. h. l. Bong. et Bernecc., intt. ad Sallust. Cat. 8, 1; locos Livianos in indice Drakenb. v. *potius.* Unus Bong.: *quae diff. potius.* Gronovius, ut 1 Ox.: *quae diff. bella, quae gerant.*

§ 7. *Tisaferni*] Temere edd. post Schefferum ex uno Ms. Oxon. (Crac.): *a Tisaferne.* Vellei. Pat. II, 112: *avi animum alienavit sibi;* ac saepius.

Cypri] Recc. 2 Wopk et Goth.: *Cypro.*

§ 9. Tisafernes tamen dux mansit, donec a Tithrauste regis iussu occidebatur, plus quatuor annis, postquam classi Conon praepositus erat. — Goth.: *iuss. est et Cononem cl. p.*

C. II. § 1. *Hercynione*] Sic edd. a Bong., et Oros., quo codd. scripturae aperte ducunt; Goth.: *Hercimone;* Prag.: *Arthimone.* Otto Fris. II, c. 22: *Hermione.* Diodorus (XIV, 79.) vocat Νεφερέα, Eusebius Νεφερίτην. Wesselingius ad Diod.: „(Iustinus) corruptus in regis nomi-

mes et sexcenta millia modiorum frumenti missa; a ceteris quoque
sociis ingentia auxilia contracta sunt. Sed tanto exercitui et contra 3
tantum ducem deerat dignus imperator. Itaque postulantibus sociis 4
Agesilaum ducem, regem tunc Lacedaemoniorum, propter responsa
oraculi Delphici diu Lacedaemonii, an eum summae rei praepone-
rent, deliberaverunt: quibus *futurus imperii finis* denuntiabatur, 5
cum regium claudicasset imperium: erat enim pede claudus. Ad po- 6
stremum statuerunt melius esse incessu regem quam imperio regnum
claudicare. Posteaquam Agesilaum cum ingentibus copiis in Asiam 7
misere, non facile dixerim, quod aliud par ducum tam bene compa-
ratum fuerit: quippe aetas, virtus, consilium, sapientia utrique 8
prope una; gloria quoque rerum gestarum eadem: quibus cum paria 9
omnia fortuna dederit, invictum tamen ab altero utrumque servavit.
Magnus igitur amborum apparatus belli, magnae res gestae fuerunt. 10
Sed Cononem seditio militum invadit, quos praefecti regis fraudare 11
stipendio soliti erant: eo instantius debita poscentibus, quo gravio-
rem sub magno duce militiam praesumebant. Itaque Conon diu rege 12
per epistolas frustra fatigato ad postremum ipse ad eum pergit: a 13
cuius adspectu et colloquio prohibitus est, quod eum more Persarum
adorare nollet: agit tamen cum eo per internuntios et queritur *opu-* 14
*lentissimi regis bella inopia dilabi; et qui exercitum parem hostibus
habeat, pecunia vinci, qua praestet; inferioremque eum ea parte vi-
rium inveniri, qua longe superior sit.* Postulat *dari sibi ministrum* 15
impensae, quia pluribus id mandare perniciosum sit. Dato stipendio 16
ad classem remittitur, nec moram agendis rebus facit: multa forti-
ter, multa feliciter agit: agros hostiles vastat; urbes expugnat; et
quasi tempestas quaedam cuncta prosternit. Quibus rebus territi 17

---

ne, sicuti discordantes veterum codd. scripturae declarant, inque ceteris a Diodoro discedens. Legisse videtur in scriptore, quem expressit, ἑξήκοντα (Diod. πεντήκοντα) σίτου μυριάδας, pro quibus ipse *sexcenta modiorum millia.*"

§ 2. *modiorum*] Bong., 4 Gron., Prag., Oros.: *modium.*

§ 4. *ducem*] Deest haec vox in Mss. Bong. et C. C.
responsa] Sic 10 Gron., 4 Wopk., Goth., Crac. Sed Bong. (, Prag.): *responsum.*

§ 5. *regium*] Mss. Bong., Ox. C.: *rege;* iidem paullo post: *pedes,* pro *pede.*

§ 11. V. Isocrat. Paneg. c. 39. 41, quem opportune laudat Schneider. ad Hellen. IV, 3, § 11. — *Poscentibus*] sc. militibus, ut II, 3, § 16, ubi vide.

§ 16. *facit*] Ms. Bong.: *fecit;* quod si recipimus, scribendum: *remittitur. Nec — fecit.* Quae fuerint facinora hic indicata, non satis notum est, nisi proelium ad Cnidum intellexit et quae secuta sunt.

§ 17. *Quibus rebus*] imo bello a Thebanis, Corinthiis, Argivis illato. Repetit haec c. 4, § 9: *regem suum Agesilaum ex Asia — ad defensionem patriae arcessunt.* Videtur igitur Iustinus primum praeterire voluisse, quae inter hos locos narrantur, mutata tamen sententia tandem in epito-

Lacedaemonii ad patriae subsidium revocandum ab Asia Agesilaum decernunt.

1 III. Interim Pisandrus ab Agesilao proficiscente dux patriae relictus ingentem classem summis viribus instruit, fortunam belli ten-
2 taturus. Nec non et Conon tunc primum cum hostium exercitu con-
3 cursurus magna cura ordinat suos. Summa igitur tam ducum in eo
4 proelio quam militum aemulatio fuit. Nam et ipse dux Conon non
5 tam Persis quam patriae studebat; et, sicut adflictis Atheniensium rebus auctor amissae dominationis fuerat, sic volebat idem haberi
6 redditae patriamque vincendo recipere, quam victus amiserat: eo speciosius, quod ne ipsorum quidem Atheniensium, sed alieni imperii viribus dimicet, pugnaturus periculo regis, victurus praemio patriae; gloriamque diversis artibus quam priores civitatis suae du-
7 ces consecuturus: quippe illos vincendo Persas patriam defendisse,
8 se Persas victores faciendo restituturum patriam esse. Porro Pisandrus pro coniunctione Agesilai etiam virtutum aemulator erat; contendebatque, ne a rebus gestis eius et gloriae splendore decederet, neve tot bellis ac saeculis quaesitum imperium brevis momenti culpa
9 subverteret. Eadem militum et omnium regum cura erat, quos

---

men recepisse. Ita intelligi potest, quomodo factum sit, ut rem eandem diversis modis cum ante gestis concinnaverit, hoc loco autem falso. Recte hic offendit Glareani curiosa diligentia.

C. III. § 1. *Pisandrus*] Sic vetusti codd. omnes et Iustini et Orosii; sed Goth., Crac., edd. ante Bong.: *Lysander*, contra historiam. Describit proelium ad Cnidum, Ol. 96, 2.

§ 2. *magna cura*] Codd. Bong., 4 Gron.: *ex magna c.* 1 Bong., Leid. 5: *et m. c.*

§ 3. *tam ducum — quam militum aem.*] Retinuimus interim Gronovianam lectionem, quae inter omnes rei fere accommodatissima est, si ab audaciore Freinshemii transpositione discedas: *S. ig. non tam militum in eo pr. quam ducum aem. f.;* conf. Dresig. pag. 696 sq. ed. Fisch. Codd. omnes Bong., Modii, Gronovii praeter coll. N., Goth., Prag.: *S. ig. non ducum tantum — quam militum*, nisi quod 9 Gronov. cum Crac. (qui *tam* pro *tantum* e compend.), Goth., Prag., Franecq., 3 Dorv. *vulgi* loco *militum*. [„Forte: *vulgi militum*" *Wopk.*] Inde simplicissime Modius effecit: *non ducum in e. p. quam mil.*, omisso *tam* (v. exempla nostri et aliorum apud *Bernecc.* et *Lindnerum*, *Abh. über d. lat. Ellips.*, p. 231 sq.), ut Bodl. et ed. Iunt.; Bong.: *non tam ducum in — quam m.;* alii: *non ducum tantum — sed et mil.* Sed ea omnia vel non verisimilia vel ad rem, quomodo gesta est, non satis apta sunt. Gronovius suam lectionem finxit e coll. N.: *S. ig. in eo proelio tam ducum quam m. aem. f.*, quae castigationem aperte produnt.

§ 8. *Pisandrus*] Goth., Crac., edd. vett.: *Lysander*. Goth.: *praeter coniunctionem Ag.* Erat uxoris Agesilai frater.

§ 9. *Eadem* cett.] Hanc codd. plurimorum lectionem cum ceteris editoribus reliqui sententia licet laborante; nam qui sunt isti reges? Sebisius emendavit: *remigum*, et Bernecceri, Graevii, Haverkampi ad Oros. plausum tulit, quod sat speciose Orosii paraphrasis h. in l. haec verba praebet: *Milites, remiges ipsique ductores uno pariter in mutuam caedem*

maior sollicitudo cruciabat, non tam ne ipsi quaesitas opes amitte-
rent, quam ne pristinas Athenienses reciperent. Sed quanto maius 10
proelium fuit, tanto et clarior victoria Cononis. Victi Lacedaemonii 11
fugam capesserunt: praesidia hostium Athenis deducuntur; populo 12
restituta dignitate conditio servilis eripitur; multae quoque civitates
recipiuntur.

IV. Hoc initium Atheniensibus resumendae potentiae et Lace- 1
daemoniis habendae finis fuit. Namque velut cum imperio etiam 2
virtutem perdidissent, contemni a finitimis coepere. Primi igitur 3
Thebani auxiliantibus Atheniensibus bellum his intulere: quae civitas 4
ex infimis incrementis virtute Epaminondae ducis ad spem imperii
Graeciae erecta est. Fit itaque terrestre proelium; eadem Lace- 5
daemoniorum fortuna, qua pugnatum adversus Conona navali proe-
lio fuerat. In eo bello Lysander, quo duce Athenienses victi a 6
Lacedaemoniis fuerant, interficitur. Pausanias quoque, alter dux 7
Lacedaemoniorum, proditionis accusatus in exsilium abiit. Igitur 8
Thebani potiti victoria universum exercitum ad urbem Lacedaemo-
niorum ducunt, facilem expugnationem rati, quoniam deserti a so-
ciis omnibus erant. Quod metuentes Lacedaemonii regem suum 9

---

ardore rapiuntur (III, 1), coll. inf. VI, 9, 5 et Lipsio ad Vellei. II, 84, 2; sequentia tamen vix *milites*, nedum *remiges* in hunc l. admittunt, ut recte perspexit Faber, ipse: *et omnium ducum* emendans. Schefferus: *Eadem omnium gregariorum c. e.;* Angli: *mil. et omnium civium*, e coll. N., ut Ald. et Iunt. Ms. coll. C. C. verbum dubium omittit. Sed integerrimi codicum omnium, Bongarsiani, praeter unum alterumve eiusdem paullo recentiorem voc. *militum* plane ignorant, legentes: *Eadem et omnium regum c. e.*, unde Bong. volebat: *E. et omnium et regum* cett., quae sine causa diducta esse videntur. Neque ego medicinam huic loco inveni nisi hanc: *Eadem utrorumque regum cura erat*, i. e. Lacedaemoniorum regum et Persarum regis, qui Athenienses non ex animo adiuvabat; facile autem permutari in codd., etiam iis, qui maiusculis litteris scripti erant, ut Bongarsiani: —*dem&xōiū*. et —*dēut'o'ūq*. norunt harum rerum scientes. Nondum tamen in ea coniectura acquiesco.

§ 11. *capesserunt*] Sic Bongarsius, Crac., Goth. et sine dubio codd. integri omnes. Male vulgo: *capessunt.*

§ 12. *recipiuntur*] Prag.: *restituuntur.* Ceterum nimia hic de victoria Cononis praedicari iam animadvertit *Baylius*, *diction. hist.* v. *Conon*, not. E.

C. IV. § 3. Haec gesta sunt anno ante pugnam ad Cnidum modo narratam; unde apparet, quam arbitrarie etiam haec iuncta sint.

§ 4. *ex infimis incr.*] Sic vett. quaedam edd., quas Bong. vidit; hoc si verum est, e provecta iam linguae senectute est. Codices, ni fallor, omnes: *finitimis*, quod frustra Dresigius explicare studuit: post relata illa Atheniensium incrementa. Schefferus: *eximiis incr.*

§ 5. *terrestre proelium*] ad *Haliartum*, oppidum Boeotiae, a. 394.

§ 8. *victoria*] Sic Bong., codd., vett. edd.; conf. Wopk. Nescio unde Graevius: *victoriam.* — *deserti*] Lacedaemonii.

§ 9. Recte, v. Xenoph. IV, 2, 1 sqq.; falso autem c. 2, § 17.

Agesilaum ex Asia, qui ibi magnas res gerebat, ad defensionem
10 patriae arcessunt. Occiso enim Lysandro nullius alterius fiduciam
11 ducis habebant. Cuius quoniam serus adventus erat, conscripto ex-
12 ercitu obviam hosti procedunt. Sed victis adversus paullo ante vi-
ctores nec animus neque vires pares fuere. Prima igitur congressione
13 funduntur. Deletis iam suorum copiis supervenit rex Agesilaus, qui
restituto proelio non difficulter recenti et multis expeditionibus in-
durato milite hostibus victoriam eripuit; ipse tamen graviter sau-
ciatur.

1 V. Quibus rebus cognitis Athenienses verentes, ne iterum La-
cedaemoniis victoribus in pristinam sortem servitutis redigerentur,
2 exercitum contrahunt; eumque in auxilium Boeotiorum per Iphicra-
ten, viginti quidem annos natum, sed magnae indolis iuvenem,
3 duci iubent. Huius adolescentis supra aetatem virtus admirabilis
4 fuit: nec umquam ante eum Athenienses inter tot tantosque duces
5 aut spei maioris aut indolis maturioris imperatorem habuerunt; in
6 quo non imperatoriae tantum, verum et oratoriae artes fuere. Co-
non quoque audito reditu Agesilai et ipse ex Asia ad depopulandos
7 Lacedaemoniorum agros revertitur: atque ita undique belli formidine
circumstrepente clausi Spartani ad summam desperationem redigun-
8 tur. Sed Conon vastatis hostium terris Athenas pergit: ubi magno
civium gaudio exceptus plus tamen tristitiae ipse ex incensa et diruta
a Lacedaemoniis patria quam laetitiae ex reciperata post tantum tem-
9 poris cepit. Itaque quae incensa fuerant, praedarum sumtu et
10 exercitu Persarum restituit; quae diruta, reficit. Fatum illud Athe-
narum fuit, ut ante a Persis crematae, manibus eorum; et nunc a
Lacedaemoniis dirutae, ex spoliis Lacedaemoniorum restituerentur:
11 versa quoque vice nunc haberent socios, quos tunc hostes habuerant;

---

gerebat] Codd. Bong.: *agebat*.

§ 10. *alterius*] deest in codd. Bong., Ox. C.

§ 11—13. Intelligitur sine dubio proelium ad *Corinthum* sive potius ad *Nemeam* flumen, in quo uterque exercitus post magnam cladem victoriam sibi vindicavit; v. Xenoph. IV, 2, 9 ad fin.; cui tamen proelio non supervenit Agesilaus, sed non multis diebus post ipse pugnavit ad *Coroneam* et victor discessit; v. locos ap. Wetzel.

§ 12. *animus*] Sic Bong. et codd.; frustra Gronovius ex recentissimo Dorv. 3: *animi*. Tacitus apud Bernecc. ad hunc l.: *minor est apud victos animus;* et sic saepissime; v. Drakenb. ad Liv. VII, 30, 22.

§ 13. *igitur*] 6 boni codd.: *itaque*.

C. V. Bellum octennale *Corinthiacum*.

§ 2. *annos natum*] Goth.: *annorum natu*. Crac.: *XXX*.

§ 8. *ipse ex*] Codd. nonnulli Bong. et Goth.: *ipsi ex i.;* male.

§ 9. *reficit*] quod h. l. paullo melius esse videtur quam *refecit*, ut Mss. Bong. (ipse tamen *reficit*), Goth., Prag. — In antecedentibus Gronovius per erratum: *fuerant*.

§ 11. *versa quoque*] Codd. Bong., Goth., Prag.: *versaque*.

et hostes nunc paterentur, cum quibus iuncti tunc artissimis socie-
tatis vinculis fuerant.

VI. Dum haec geruntur, Artaxerxes, rex Persarum, legatos 1
in Graeciam mittit, per quos iubet *omnes ab armis discedere: qui ali-
ter fecisset, eum se pro hoste habiturum:* civitatibus libertatem sua-
que omnia restituit; quod non Graeciae laboribus adsiduisque bel- 2
lorum internecivis odiis consulens fecit, sed ne occupato sibi Aegy- 3
ptio bello, quod propter auxilia adversus praefectos suos Lacedae-
moniis missa susceperat, exercitus sui in Graecia detinerentur. Fessi 4
igitur tot bellis Graeci cupide paruere. Hic annus non eo tantum 5
insignis fuit, quod repente pax tota Graecia facta est: sed etiam eo,
quod eodem tempore urbs Romana a Gallis capta est. Sed Lace- 6
daemonii securis insidiantes, absentiam Arcadum speculati castellum
eorum expugnant occupatoque praesidium imponunt. Itaque armato 7
instructoque exercitu Arcades, adhibitis in auxilium Thebanis, amissa
bello repetunt. In eo proelio Archidamus, dux Lacedaemoniorum, 8
vulneratur: qui, cum caedi suos iam ut victos videret, per praeco- 9
nem corpora interfectorum ad sepulturam poscit (hoc est enim 10
signum apud Graecos victoriae traditae): qua confessione contenti
Thebani signum parcendi dedere.

VII. Paucis deinde post diebus neutris quidquam hostile fa- 1
cientibus, cum quasi tacito consensu induciae essent, Lacedaemoniis
alia bella adversus finitimos gerentibus, Thebani Epaminonda duce
occupandae urbis eorum spem ceperunt. Igitur principio noctis ta- 2
citi Lacedaemona proficiscuntur; non tamen adgredi incautos potue-
runt: quippe senes et cetera imbellis aetas, cum adventum hostium 3
praesensissent, in ipsis portarum angustiis armati occurrunt; et ad- 4

C. VI. Diremtum est bellum Corinthiacum famosissima *pace Antalcidae*, quae iam narratur.

§ 1. *geruntur*] Sic codd. Bong. et sine dubio alii; ipse Bong.: *gererentur;* Prag.: *agerentur;* Goth., Bodl.: *aguntur.*

legatos mittit] auctoribus Spartanis.

§ 5. *annus*] Ol. 98, 2 (v. *Corsini* T. III. p. 293 sq.), u. c. 365 seu Varr. 363. Ch. 387. v. Polyb. I, 6.

§ 6. *castellum eorum*] *Κρῶμνον*, dum Arcades contra Eleos in terra eorum bellum gerunt; v. Xenoph. VII, 4, § 19; factum est hoc Ol. 103, 4. At in seqq. statim redit ad Ol. 102, 2 (Corsini T. IV. pag. 7), pugnam *Leuctricam* narraturus (a. 371); male igitur: *Itaque* cett.

§ 9. V. Xenoph. VI, 4, 14; *Archidamum* autem in eo proelio adfuisse, quod se nusquam invenisse Wetzelius significavit, disertis verbis testantur Xenoph. VI, 5, 1 et Diodorus XV, 54 sq.

C. VII. § 1. *Thebani*] cum multis sociis: Euboeensibus, Phocensibus, Locrensibus, Acarnanibus, Argivis, Arcadibus, Eleis. Factum est *Ol.* 104, 2 (a. 362, quo *pugna ad Mantineam*).

gerentibus] Goth.: *facientibus.*

§ 2. *proficiscuntur*] a Mantinea, ubi Agesilaus rex castra habuit contra Epaminondam.

versus quindecim millia militum non amplius centum iam effoetae
5 aetatis viri pugnae se offerunt. Tantum animorum viriumque patriae et penatium conspectus subministrat, tantoque praesentia
6 quam recordatione sui maiores spiritus largiuntur. Nam ut videre, inter quae et pro quibus starent, aut vincendum sibi aut moriendum
7 censuerunt. Pauci igitur sustinuere senes aciem, cui par ante diem
8 universa iuventus esse non potuit. In eo proelio duo duces hostium
9 cecidere: cum interim Agesilai adventu nuntiato Thebani recessere.
10 Nec bellum diu dilatum: siquidem Spartanorum iuventus senum virtute et gloria incensa teneri non potuit, quin ex continenti acie de-
11 cerneret. Cum victoria Thebanorum esset, Epaminondas, dum non ducis tantum, verum etiam fortissimi militis officio fungitur,
12 graviter vulneratur. Quo audito his ex dolore metus et illis ex gaudio stupor iniicitur: atque ita veluti ex placito consensu a proelio disceditur.

1 VIII. Post paucos deinde dies Epaminondas decedit: cum quo
2 vires quoque reipublicae ceciderunt. Nam sicuti telo si primam aciem praefregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris: sic illo,

---

§ 4. *centum*] *ὡς διακόσιοι*, Plutarch. Ages. 32. — *se*] Bong.: *sese; eius* codd.: *se.*

§ 7. *ante diem*] Sic Bong. et codd.; Prag.: *ante eum diem;* sed cum 1 Bong.: *ante dies*, hoc „malit" I. Fr. Gronov.; adde Wopk.; recepit autem Gronov., cum Med. et aliis 6 recentibus libris confirmatum videret; sed quidni dicamus *ante diem* (unum), ut *ante annum?* Die enim ante ad Mantineam Lacedaemonum iuventus pugnam cum Thebanis inire recusaverat: quam rem alii vel omittunt vel levius tangunt, narrat autem Plutarchus *de glor. Athen.* p. 346, B: *Ἐπαμινώνδας — διεπόρθησε τὴν χώραν καὶ τοὺς περιοίκους ἀπέστησεν αὐτῶν* (Lacedaem.)· *ἔπειτα περὶ Μαντίνειαν ἀντιτεταγμένους εἰς μάχην προυκαλεῖτο· μὴ βουλομένων δὲ μηδὲ τολμώντων, ἀλλὰ τὴν Ἀθήνηθεν ἐπικουρίαν ἐκδεχομένων, νυκτὸς ἄρας καὶ λαθὼν ἅπαντας εἰς τὴν Λακωνικὴν κατέβη καὶ μικροῦ ἔφθη τὴν πόλιν ἔρημον ἐξ ἐφόδου λαβεῖν* cett. Non tamen adeo recens illa emendatio est: *ante dies;* Bong. ex suis antiquissimis enotavit: *ante diem sui versa*, pro *univ.;* quare amplius de ea quaerendum puto.

§ 8. *duo duces host.*] *οἱ πρῶτοι τῶν Ἐπαμινώνδου*, Xenoph. VII, 5, 13.

§ 9. Adde hanc narrationem reliquis collectis a Schneidero ad Xenoph. Hell. p. 548.

§ 11. Mss. Bong.: *Epaminonda. Proelium ad Mantineam.*

§ 12. *et illis*] Sic codd. omnes. Gronovius et alii Fabro auscultantes *et* deleverunt. Quatuor codd. Gronov. praeterea: *et his.*

C. VIII. § 1. *Post paucos d. dies*] Quanta socordia noster, qui sibi „*apud posteros industriae testimonium habiturus*" esse videbatur, nonnunquam excerpserit Trogum, hic locus testimonio esse potest, ubi non cum ceteris omnibus, ut dixit Vossius, sed secum ipse tam exiguo spatio pugnat; v. § 11 sqq. Hanc maculam ut a Iustino abstergeret, I. Fr. Gronov. legendum praecepit: *Post paullo deinde E.*

ceciderunt] Crac.: *exciderunt;* Prag.: *decid.;* Goth.: *recid.*

§ 2. *praefreg.*] Sic Mss. Bong., alii. Bong.: *perfregeris*, ut Prag., quod propter vocem *primam* tolerari potest. Post idem Bong.: *interisse.*

velut mucrone teli, ablato duce Thebanorum rei quoque publicae vires hebetatae sunt: ut non tam illum amisisse, quam cum illo interiisse omnes viderentur. Nam neque hunc ante ducem ullum 3
memorabile bellum gessere; nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere: ut manifestum sit patriae gloriam et natam et exstinctam cum eo fuisse. Fuit autem incertum, vir melior an dux esset. 4
Nam et imperium non sibi, sed patriae semper quaesivit; et pecu- 5 6
niae adeo parcus fuit, ut sumtus funeri defuerit. Gloriae quoque 7
non cupidior quam pecuniae: quippe recusanti omnia imperia ingesta sunt; honoresque ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed 8
dare ipsi dignitati videretur. Iam litterarum studium, iam philoso- 9
phiae doctrina tanta, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiae scientia homini inter litteras nato. Neque ab hoc vitae propo- 10
sito mortis ratio dissensit. Nam ut relatus in castra semianimis 11
vocem spiritumque collegit, id unum a circumstantibus requisivit: *num cadenti sibi scutum ademisset hostis?* Quod ut servatum audivit, 12
allatum, velut laborum gloriaeque socium, osculatus est. Iterum 13
quaesivit, *utri vicissent.* Ut audivit, Thebanos, *bene habere se rem,* dixit: atque ita, velut gratulabundus patriae, exspiravit.

IX. Huius morte etiam Atheniensium virtus intercidit: siqui- 1 2
dem amisso, cui aemulari consueverant, in segnitiam torporemque resoluti, non ut olim in classem et exercitus, sed in dies festos ap- 3
paratusque ludorum reditus publicos effundunt; et cum actoribus 4
nobilissimis poëtisque theatra celebrant, frequentius scenam quam castra visentes; versificatoresque meliores quam duces laudantes.
Tunc vectigal publicum, quo antea milites et remiges alebantur, 5
cum urbano populo dividi coeptum est.

---

§ 5. *non sibi, sed p. semp. q.*] Sic ex ed. Iunt. Graevius; codd. omnes: *non sibi semper, sed patriae q.;* Crac. *sed* omittit. Scheffer.: *non sibi, semper sed p.*

§ 8. *ornamentum*] Mss. Bong., 8 Gronov., Goth., Prag.: *ornatum.*

§ 12. *allatum*] Sic post Vorstium legitur ex antiquis edd. et codd. Thuan., Leid. 5, coll. N., pulcrius quam Bong. e ceteris Mss.: *allatumque;* sed e sequente voc. *velut* copula facilem ortum habebat.

§ 13. *utri*] Mss. Bong.: *utrum.* Voc. *rem* omitt. Goth.

C. IX. § 3. *et exercitus*] Sic Bong., Crac., Goth. Vulgo: *exercitusque.*

§ 4. *versificatoresque meliores* cett.] i. e. qui versificatores meliores quam duces essent, eos collaudant. Edd. Ald., Iunt. et cod. Crac.: *versificatores o r a t o r e s q u e meliores* cett.

§ 5. *coeptum est*] Verbum substantivum omissum fuerat auctoribus Anglis, quibus haud fere usquam obtemperatum oportuit. Ceterum falso Iustinus: *Tunc — coeptum est* de re, cuius iam Pericles auctor fuerat; hoc autem tempore multo plura, imo parum abest, ut omnia civitatis vectigalia in largitiones profunderentur; v. *Boeckhii* librum, *Staatsh. der Ath.* Vol. I. p. 479.

6 Quibus rebus effectum est, ut inter otia Graecorum sordidum
7 et obscurum antea Macedonum nomen emergeret: et Philippus obses triennio Thebis habitus, Epaminondae et *Pelopidae* * virtutibus eruditus, regnum Macedoniae Graeciae et Asiae cervicibus, velut iugum servitutis, imponeret.

* *Pelopidarum*

---

§ 6. *otia*] Unus (?) Bong., Goth., Prag.: *vitia.*
§ 7. *triennio*] V. infr. ad VII, 5, § 3.
Pelopidae] Sic edd.; sed omnes codd. Bong., Goth., Crac., Prag. ac sine dubio ceteri cum vetustissimis edd. uno consensu: *Pelopidarum*, quod facile quidem ex insequente *vir-* progigni poterat, sed fortasse aliquid subest. *Pelopidarum* genus nobilissimum erat.

LIBER VII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS VII.*)

Septimo volumine continentur origines Macedonicae, regesque a conditore gentis Carano usque ad magnum Philippum. Ipsius Philippi res gestae usque ad captam urbem Mothonen[1]). Additae in excessu Illyriorum[2]) et Paeonum[3]) origines.

---

[1]) Haec est Romana nominis scriptura; v. Salmas. ad Solin. p. 153, cuius sententia a Grauerto quoque probatur, et inf. ad c. 6, § 14, unde iudices de Longuerrii nota ad h. l.: „Scribitur per *e* ab omnibus antiquis. [An Graecos intelligit?] Recentiores vero per *o* scribunt *Motho*, unde *Mothon* Gallice. (!)" Bong.: *Methonem*, ut Crac. Periz.: *Mathonem.*

[2]) Crac.: *Illiar.*

[3]) Sic 2 codd. Colbert. Ceteri: *Poenum*, quod Bong. emendavit, deinde Modius. Leid. 1: *paenum.* Crac.: *Poenar.* — His originibus carere nos voluit Iustinus.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Macedoniae vetus nomen, populus et primi reges.*
2. *Perdiccae regis familia illustris et infantis Aëropi nobile fatum.*

3. *Legati Persarum ad Amyntam petulantiae suae dant poenas.*
4. *Pax Macedoniae Bubaris Persae opera conciliatur. Tragoediae in familia Amyntae, Alexandri Macedonis avi.*
5. *Philippi Macedonis varii casus: qui fratribus dolo materno vita sublatis a populo compulsus regnum suscipit.*
6. *Eiusdem bella, coniugium, vitia et virtutes.*

I. Macedonia ante a nomine Emathionis regis, cuius prima 1
virtutis experimenta in illis locis exstant, Emathia cognominata est.
Huius sicuti incrementa modica, ita termini perangusti fuere. Po- 2 3
pulus Pelasgi, regio Bottia dicebatur. Sed postea virtute regum et 4
gentis industria subactis primo finitimis, mox populis nationibusque,
imperium usque extremos Orientis terminos prolatum. In regione 5
Paeonia, quae nunc portio est Macedoniae, regnasse fertur *Pelegonus* *, pater Asteropaei, cuius Troiano bello inter clarissimos vindi-

* *Telegonus*

C. I. § 1. *Emathionis regis*] Schol. Dionys. Perieg. 427: „(ἡ Μακεδονία) Ἠμαθία πρώην ἐκαλεῖτο ἀπὸ Ἠμαθίωνος τοῦ Διὸς καὶ Ἠλέκτρας;" i. e. filiae Atlantis et Pleiones, cuius cum Iove consuetudinem aliae fabulae narrant. Cf. *C. O. Muelleri* insignem libellum: *über die Wohnsitze, Abstammung und ältere Gesch. des Makedonischen Volks* (Berl. 1825) pag. 40 sq. Proprie vocabatur *Emathia* tractus inter Bermium, Dysoron et Bottiaidem. Emathionem regem Solinus c. 9. et Servius ad Georg. I, 492 *Emathium* appellant, si corrupti non sunt.

§ 2. *Huius*] Goth.: *Cuius.*

§ 3. *Pelasgi*] V. *Muell.* p. 50. *Niebuhr.* hist. Rom. I. p. 34. 31. ed. 2. Bongars.: *Pelasgus*, sine dubio e codd.; nam Crac.: *pelagus;* recipere tamen nondum ausi sumus.

Bottia] Sic ill. *Niebuhr.* hist. Rom. I. p. 34; ante eum similiter *Muellerus: Bottiaea*, p. 41. Codicum vetustorum scripturam nemo diserte prodidit; sed cum Goth., Crac., Prag. et unus Bong., alius rei causa memoratus, praeterea editt. antiquissimae: *Boetia* vel vulgari vitio *Boecia* habeant, in omnibus Mss. ita legi certa coniectura esse videtur. Inde vetustae quaedam et ipse Bongars. effecerunt: *Boeotia.* BOTTIA facile abiit in BOETIA. „In uno exscalpta antiqua lectione legitur: *populus Paeonius, regio Baetia.*" *Bong. Boeotia* cum stare non posset, Peyraredo suadente Vossius restituit: *Paeonia*, quae vulgata lectio facta est; sed quam nos reduximus, iam satis firmatur Oraculo infra § 8. prodendo.

§ 5. *Paeonia*] Edd. vett. e correctione: *Paeoniae;* Ald.: *Pelagonia.*

Telegonus] Sic scripti codd. omnes, vitiose; sed ante Glareanum, Leopardum, Hartungum iam Aldinae editor doctissimus, *Francisc. Asulanus*, verum restituerat. Πηλεγών est ap. Homerum, Il. φ, 140 sqq.; quod ipsum Iustino reddere circumspecte parserunt interpretes; quidni enim passum esse hoc verbum dicamus, quod δελφὶν — *delphinus*, Τιτὰν — *Titanus?* sed alia exempla nunc non habemus quam Schneiderus gr. lat. II, 1. p 272; Ramsh. p. 50 sq.

6 ces urbis nomen accepimus. Ex alio latere in Europa regnum Eu-
7 ropus nomine tenuit. Sed et Caranus cum magna multitudine Graecorum sedes in Macedonia responso oraculi iussus quaerere, cum Emathiam venisset, urbem Edessam non sentientibus oppidanis propter imbrium et nebulae magnitudinem gregem caprarum imbrem
8 fugientium secutus occupavit; revocatusque in memoriam oraculi, quo iussus erat *ducibus capris imperium quaerere*, regni sedem sta-
9 tuit; religioseque postea observavit, quocumque agmen moveret, ante signa easdem capras habere, coeptorum duces habiturus quas regni
10 habuerat auctores. Urbem Edessam ob memoriam muneris Aegeas,

---

§ 6. *Ex alio latere*] orientali fluminis Axii; nam ab occidentali sita est Paeonia modo dicta et Pelagonia.

in Europa] Optime Vossius: „Europa est pars Thraciae ad Haemum montem; sed illa nihil huc facit, cum de Macedonia sola loquatur. Puto legendum, *in Europia*. Europia est portio Macedoniae, in qua Europus civitas; ubi Europum, Macedonis filium, regnum tenuisse penes auctores fides est.“ Faber quoque hanc regionem *Europiam* aptius dici censet. De Macedonis filio Europo cf. *Mueller*. p. 53 not. *Pelagoniae* tamen cur Europum „vindicandam esse“ contendat *Poppo* in Prolegg. ad Thucyd. Vol. II. pag. 401, non assequor nec effici potest neque ex Strabone VI. p. 226 Cas. neque ex Plinio IV, 17.

§ 7. *Caranus*] undecimus ab Hercule (unde *Heraclida*), septimus a Temeno (unde *Temenides* dictus), ut Theopompus apud Syncell. Chron. p. 262; ab Argis in Macedoniam profectus. Ex interpolatione 2 codd.: *Ceraunus.*

responso oraculi] quod nuperrime e cod. Vat. Excerptor. Diodori editum est, VII, § 4, p. 3 sq.:

ἔστι κράτος βασίλειον ἀγαυοῖς Τημενίδαισι
γαίης πλουτοφόροιο· δίδωσι γὰρ αἰγίοχος Ζεύς.
ἀλλ' ἴϑ' ἐπειγόμενος Β ο τ τ η ΐ δ α πρὸς πολύμηλον·
ἔνϑα δ' ἂν ἀργικέρωτας ἴδῃς χιονώδεας αἶγας
εὐνηϑέντας ὕπνῳ, κείνης χϑονὸς ἐν δαπέδοισι
ϑῦε ϑεοῖς μακάρεσσι καὶ ἄστυ κτίζε πόληος.

(Cod. *ΒΟΤΤΗΙΔΑ*, quod recte correxit Dindorf.) Refertur quidem illud oraculum ad *Perdiccam*, quem de amplificatione regni Delphicum deum consuluisse iam ex Euseb. chron. Armen. I, c. 37 didiceramus; sed alia huic a deo responsa fuisse, probabile est ex iis, quae infra narrantur c. 2, § 3. Vide censuram nostram ed. Dindorf. horum Excerptt. in *Bibl. crit. Hildes. a.* 1830.

cum Emath.] Sic Mss. Bong., omnes Gronovii praeter Magl. et Periz., 4 Wopkens., 2 Oudendorpii ad Caes. B. G. III, 7, Crac., Goth.; vide Wopkens. ad h. l. et Oudend. l. l. p. 232. Vulgo: *cum in Em.* — De re v. *Muellerum* p. 24.

Edessam] 1 Bong., Goth., Crac., Prag.: *Edissam;* vetustae edd.: *Edyssam.* Bong.: *Aedessam*, e Ptolem. suo opinor.

§ 10. *Aegeas*] Sic Bong., Goth. (v. Bernecc.); Crac. et 1 Bong.: *Egeam;* vulgo: *Aegas*, quod in paucis tantum extare videtur, at sedulo a Gronovio defenditur. Alia huius urbis et regionis nomina plurima ad pecorum, quae ibi pascebantur, copiam et praestantiam respiciunt; vid. Berkel. ad Steph. Byz. s. v. p. 49.

populum Aegeadas vocavit. Pulso deinde Mida (nam is quoque 11
portionem Macedoniae tenuit) aliisque regibus pulsis in locum
omnium solus successit; primusque adunatis gentibus variorum po- 12
pulorum veluti unum corpus Macedoniae fecit; crescentique regno
valida incrementorum fundamenta constituit.

II. Post hunc Perdicca regnavit, cuius et vita illustris et mor- 1
tis postrema, veluti ex oraculo praecepta, memorabilia fuere: si- 2
quidem senex moriens Argeo filio monstravit locum, quo condi vel-
let; ibique non sua tantum, sed et succedentium sibi in regnum
ossa poni iussit, praefatus, *quoad ibi conditae posterorum reliquiae* 3
forent, regnum in familia mansurum; creduntque hac superstitione 4
exstinctam in Alexandro stirpem, quia locum sepulturae mutaverit.
Argeus moderate et cum amore popularium administrato regno suc- 5
cessorem filium Philippum reliquit: qui immatura morte raptus,
Aëropum * parvulum admodum instituit heredem. Sed Macedonibus 6
adsidua certamina cum Thracibus et Illyriis fuere: quorum armis vel-
uti quotidiano exercitio indurati gloria bellicae laudis finitimos terre-
bant. Igitur Illyrii infantiam regis pupilli contemnentes bello Mace- 7
donas adgrediuntur. Qui proelio pulsi rege suo in cunis prolato et 8
pone aciem posito acrius certamen repetivere: tamquam ideo victi 9

* *Europum*

Aegeadas] V. Is. Vossium ad Pompon. Melam II, 3.

§ 11. *Mida*] V. *Mueller*. p. 51 et Voss. ad h. l.

portionem] ad montem Bermium.

aliis regibus] ut *Cisseo* (an patre Hecubae?); Pausan. IX, 40, § 4.

C. II. § 1. *Post hunc Perdicca*] Ab hoc Herodotus Macedoniae regnum exorditur; sed alii, in quibus Theopompus, quartum regem faciunt, *Coenum*, filium Carani, et *Tyrimam* praeponentes. Cf. *Mueller*. p. 25.

veluti ex oraculo pr.] Imo vere accepit oraculum; Exc. Vatt. l. l.: *Περδίκκας τὴν ἰδίαν βασιλείαν αὐξῆσαι βουλόμενος ἠρώτησεν εἰς Δελφούς. ἡ δὲ ἔφη* cett. Euseb. l. l.: *Perdiccas augendi regni cupidus legationem Delphos misit.* Hoc igitur quaerentem quae filio iam mandat, pro responso accepisse verisimile est.

§ 2. *Argeo*] Sic sane codd.; Bong.: *Argaeo*, quia Herodotus *Ἀργαῖος*. Alii apud Gronovios: *Ἀργεῖος*.

locum] qui Aegis vel Edessae erat; v. *Mueller*. p. 25. not 19.

in regnum] Sic Bong., 9 Gronovii, Goth., Prag., vett. edd.; quod temerarie mutatum est. Vulgo: *regum*.

§ 5. *immatura morte*] Vossius post Glareanum: „Quomodo immatura morte raptus, cum annos triginta et octo (?) regnarit?" imo 35 annos, ut Euseb. Scalig. p. 57 vel 33, ut bis Euseb. Armen.

Europum] Sic codd. ad unum omnes; verum nomen Asulanus et Glareanus restituerunt. Apud Diodor. XIV, 37 qui commemoratur *Aëropus*, alius est et multo illo posterior.

§ 8. *pone aciem*] Med., Bodl., Leidd. 2. 5: *ante aciem*. Sed Ammianus Marc. XXVI, 9, 3 ex nostro loco: *Sicut aliquando dimicaturi Macedones cum Illyriis regem adhuc infantem in cunis locavere post aciem, cuius metu, ne traheretur captivus, adversos fortius oppresserunt.*

fuissent antea, quod bellantibus sibi regis sui auspicia defuissent:
10 futuri vel propterea victores, quod ex superstitione animum vincendi
11 ceperant; simul et miseratio eos infantis tenebat, quem, si victi
12 forent, captivum de rege facturi videbantur. Conserto itaque proe-
lio magna caede Illyrios fudere; ostenderuntque hostibus suis priore
13 bello regem Macedonibus, non virtutem defuisse. Huic Amyntas
succedit et propria virtute et Alexandri filii egregia indole insigniter
14 clarus: cui Alexandro tanta omnium virtutum natura ornamenta ex-
stitere, ut etiam Olympio certamine vario ludicrorum genere conten-
derit.

1 III. Cum interim Darius, rex Persarum, turpi ab Scythia fuga
submotus, ne ubique deformis militiae damnis haberetur, mittit cum
parte copiarum Megabazum ad subigendam Thraciam ceteraque eius
tractus regna: quibus pro ignobili momento erat accessura Macedo-
2 nia. Qui brevi tempore exsecuto regis imperio legatis ad Amyntam,
regem Macedoniae, missis obsides in pignus futurae pacis dari sibi
3 postulabat. Sed legati benigne excepti inter epulas ebrietate cre-
scente rogant Amyntam, ut apparatui epularum adiiciat ius familia-
ritatis, adhibitis in convivium suum filiis et uxoribus: *id apud Per-*
4 *sas haberi pignus ac foedus hospitii.* Quae ut venerunt, petulan-
tius contrectantibus filius Amyntae, Alexander, rogat patrem, re-

---

Arguitur etiam hoc loco Gronovianorum librorum vel optimorum interpolatio; in Periz. enim, Goth. et Crac. legitur: *et pugne ante aciem; pugne* autem postquam ortum erat ex *pone* (quod Prag. in *penes* depravatum exhibet), vitium sublaturi voc. *ante* adiecerunt.

§ 13. *Huic Amyntas succ.*] „*Alcetam* interponit Herod. VIII, 139 et Euseb. in Chron.“ *Bong.*

14. *natura*] Deest in Goth. Deinde idem: *Olympico*, ut nonnulli Bongarsii, qui XII, 16, § 6 *Olympici* ex omnibus suis edidit.

C. III. § 1. *turpi* cett.] Eadem verba II, 3, § 2.

Megabazum] Sic vel *Megabasum* h. l. et § 7 codd. Mss. et Bong.; v. Gronov. p. 821 et supra ad prolog. III. Temere vulgo: *Megabyzum.*

§ 3. *suum filiis et ux.*] Sic Bong. sine dubio e codd. suis; nam *filiis* istud pro filiabus dici exemplis probat; aptiora habes ap. Schneider. gr. *lat.* II, 1, p. 26. Eandem lectionem e coll. C. C. et Periz. Gronovius producit. Goth.: *suum filiis uxorib.* Crac.: *suis filiis ac ux.*, ut Bodl. Edd. vett.: *suum filiis et ux. et filiabus.* Sed Ald. ab Asulano ex ingenio correcta: *suis ac filii ux. et filiabus.* Unde iam iudicare poteris de origine vulgatae: *suis ac filii uxoribus*, quam primus Modius „e duobus optimis“ suis invexit; neque aliter legi videtur in maiore parte Gronovianorum. Idem Bongarsius in uno suorum invenit, quem „recentem istum neque ita probum“ (v. praef. ei.) esse inde fides est, quod Pragensis consentit.

hospitii] Mss. Bong.: *hospiti.*

§ 4. *petulantius contrect.*] Sic Mss. Bong. (an omnes? nam in textu vulg. reliquit), 8 Gronovii, Goth., Prag.; quod recte defenditur a Wopk. „Ed. Rom.: *petulantius ea contr.*, quod Iustini esse videtur.“ *Gronov.* Vulgo: *petulantius* P e r s i s *eas contr.*, ut Crac., qui cum duobus Oudendorp. ad Appulei. Met. VIII. p. 525: *contractantib.*

spectu aetatis ac gravitatis suae abiret convivio, pollicitus se hospitum temperaturum iocos. Quo digresso mulieres quoque paululum 5
e convivio evocat, cultius exornaturus gratioresque reducturus. In 6
quarum locum matronali habitu exornatos iuvenes supponit, eosque petulantiam legatorum ferro, quod sub veste gerebant, compescere iubet. Atque ita interfectis omnibus ignarus rei Megabazus, cum le- 7
gati non redirent, mittit eo cum exercitus parte Bubaren, ut in bellum facile et mediocre: dedignatus ipse ire, ne dehonestaretur 8
proelio tam foedae gentis. Sed Bubares ante bellum amore filiae 9
Amyntae captus omisso bello nuptias facit, depositisque hostilibus animis in adfinitatis iura succedit.

IV. Post discessum a Macedonia Bubaris Amyntas rex decedit: 1
cuius filio et successori Alexandro cognatio Bubaris non Darii tantum temporibus pacem praestitit, verum etiam Xerxen adeo conciliavit, ut, cum Graeciam veluti tempestas quaedam occupasset, inter Olympum Haemumque montes totius regionis eum imperio donaverit. Sed nec virtute minus quam Persarum liberalitate regnum ampliavit. 2

Per ordinem deinde successionis regnum Macedoniae ad Amyn- 3
tam, fratris eius Menelai filium, pervenit. Hic quoque insignis 4
industria et omnibus imperatoriis virtutibus instructus fuit: qui ex 5
Eurydice tres filios sustulit, Alexandrum, Perdiccam et Philippum, Alexandri Magni Macedonis patrem, et filiam Euryonen: ex *Gygaea* *

* *Cygnaea*

---

§ 9. *filiae Amyntae*] Gygaeae. Ante Bong.: *Bubarem.*

C. IV. § 3. *Per ordinem successionis*] Successit Alexandro *Perdiccas* alter; huic filius nothus *Archelaus*, qui Graeco cultu aulam exornavit; eius filio infante *Oreste* quatuor annis post mortem patris necato tutor ipsius *Aëropus* regnum invasit, cui post duos annos filius *Pausanias* successit; eo quoque mature occiso hic *Amyntas* regnum accepisse videtur. Multa hic incerta, quia parca scriptorum testimonia ne congruunt quidem inter se.

fratris eius (Alexandri) *Menelai fil.*] Alii hic aliter; Dexippus apud Syncell. et Diodorus et inter se dissentiunt neque cum Iustino consentiunt; hunc tamen Graeci auctoris testimonium recte retulisse probabile est ex Aeliano, V. H. XII, 43: *Μενέλαος, ὁ Φιλίππου πάππος, εἰς τοὺς νόθους ἐτέλει· ὁ δὲ τούτου υἱὸς, Ἀμύντας, ὑπηρέτης Ἀερόπου καὶ δοῦλος ἐπεπίστευτο.* — Ed. Col.: *fratrem;* cod. coll. C. C. voc. *filium* omittit.

§ 5 *Euryonen*] Codd.: *Eurionem.* Ald. et Iunt.: *Eurynoem;* Faber malit: *Eurynomen.*

Gygaea] Bongars.: *Cygnaea*, sine dubio e codd. suis; unus: *Cingea*, in marg.: *leg. Cinnea;* Goth. et Crac.: *chigea.* Prag.: *Crevinea.* Edd. vett.: *Cygaea*, unde iam Ald.: *Gygaea*, quod Vossius restituit. Idem nomen erat sorori regis Alexandri, 3, § 9.

6 autem Archelaum, *Aridaeum* *, Menelaum. Cum Illyriis deinde et
7 cum Olynthiis gravia bella gessit. Insidiis etiam Eurydices uxoris, quae nuptias generi pacta occidendum virum regnumque adultero tradendum susceperat, occupatus fuisset, ni filia pellicatum matris
8 et sceleris consilia prodidisset. Functus itaque tot periculis senex decessit, regno maximo ex filiis, Alexandro, tradito.

1 V. Igitur Alexander inter prima initia regni bellum ab Illyriis
2 pacta mercede et Philippo fratre dato obside redemit. Interiecto quoque tempore per eumdem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat: quae res Philippo maxima incrementa egregiae indolis
3 dedit: siquidem Thebis triennio obses habitus prima pueritiae rudimenta in urbe severitatis antiquae et in domo Epaminondae, summi
4 et philosophi et imperatoris, deposuit. Nec multo post Alexander
5 insidiis Eurydices matris appetitus occumbit: cui Amyntas in scelere deprehensae propter communes liberos, ignarus eisdem quandoque
6 exitiosam fore, pepercerat. Frater quoque eius Perdicca pari insi-

* *Archideum*

Archideum] Sic codd. omnes; quod recte vidit Schefferus ortum esse ex *Arrhideum;* iam edd. vetustae: *Aridaeum*, quod Orosius plane confirmat; sed Eusebius, qui et ipse pro teste hic citatur, de alio *Aridaeo* loquitur non huius Amyntae filio, sed Alexandri regis filii, Perdiccae regis fratris, qui ipse ad regnum non pervenit. Wetzelius eundem a Diodoro XVI, 2 *Argaeum* dici contendit; sed causas desidero. Memorandum est Iustinum in hac spuria prole Amyntae *Ptolemaeum Aloritam* non referre, e Diodoro et Gemistio (I, 10) notum. Ex hac re nescio an maximum pondus accedat ad testimonium Dexippi, qui eum *ἀλλότριον τοῦ γένους* nominat. Vide Wessel. ad Diod. XV, 71. n. 18.

§ 6. *Illyriis*] qui Pausaniae fratrem *Argaeum* in regnum tantis opibus reduxerunt, ut Amyntas imperio in duos annos privaretur et Argaeus rex esset.

§ 7. *generi*] i. e. Ptolemaei Aloritae, Euryones mariti, ut admodum probabiliter coniicit Iac. Palmerius ad Diod. XV, 60 XVI, 2.

C. V. § 1. *Philippo fratre dato*] Hoc alii narrant iam a patre Amynta factum. V. Wessel. ad Diod. XVI, 2, n. 58.

§ 2. *Thebanis*] quos Thessali auxilio vocaverant contra Alexandrum, qui, primum a Pherarum tyranno, Alexandro, arcessitus, deinde Larissam et alias urbes per vim in potestatem suam redegerat et duro imperio continebat.

§ 3. *triennio*] Quod cum et hic et VI, 9, § 7 eodem modo legatur, ex errore natum esse non potest; et sunt alia, quae confirmare videantur; v. *Beni. Gotth. Weiskii* dissertationes maxime memorabiles, *de hyperbole errorum in hist. Philippi Am. commissorum genetrice*, (Misnae, 1819) P. II. p. 12. Male Wetzel. ad l. l.

§ 4 *insidiis Eurydices*] (Codd. Bong. hic et 4, § 7, Goth. et Freculph.: *Eurydicis.*) Ceteri Alexandrum a Ptolemaeo Alorite interfectum tradunt, per dolum quidem in saltatione bellica. Scriptorum dissensum recte componere videtur Iac. Palmerius ad Diodor. XVI, 2, nr. 73. Regnavit inde *Ptolemaeus* per tres annos.

§ 6. *Perdicca*] a Pelopida Thebano in regnum occiso Ptolemaeo re-

diarum fraude decipitur. Indignum prorsus libidinis causa liberos 7
a matre vita privatos, quam scelerum suorum suppliciis liberorum contemplatio vindicaverat. Perdiccae hoc indignior caedes videbatur, 8
quod ei apud matrem misericordiam nec parvulus quidem filius conciliaverat. Itaque Philippus diu non regem, sed tutorem pupilli egit. 9
At, ubi graviora bella imminebant serumque auxilium in exspecta- 10
tione infantis erat, compulsus a populo regnum suscepit.

VI. Ut est ingressus imperium, magna de illo spes omnibus 1
fuit et propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat virum, et propter vetera Macedoniae fata: quae cecinerant, *uno ex Amyntae* 2
filiis regnante florentissimum fore Macedoniae statum: cui spei scelus matris hunc residuum fecerat. Principio regni, cum hinc caedes 3
fratrum indigne peremtorum, inde hostium multitudo; hinc insidiarum metus, inde inopia continui belli et exhausti regni immaturam aetatem tironis urguerent: bella, quae velut conspiratione quadam 4
ad opprimendam Macedoniam multarum gentium ex diversis locis uno tempore confluebant, quoniam omnibus par esse non poterat,

---

ductus; inde postquam sex annis imperio praefuerat, in pugna contra Illyrios occubuit, ut ceteri omnes narrant.

§ 7. *quam scel.*] Sic codd. omnes praeter recentissimos quosdam, ut Prag. et Bodl., qui: *quam a scel.*, ut vulgo nunc edunt; duo Dorv., Crac.: *q. ex scel.* Verum ut noster, etiam Curt. IX, 9, quem Gronov. laudavit: *Itaque fame dumtaxat vindicatus exercitus.* Conf. Burmann. ad Vellei. Pat. II, 28.

§ 8. *nec parv. quidem*] Sic codd. sine ullo dissensu omnes: quare mutare nolui, neque hic locus est, quo illae tantae de his particulis lites componantur.

§ 9. *diu*] imo ne annum quidem integrum, quantum ex scriptoribus et chronographis colligi potest; v. *Weisk. de hyperb.* P. II. p. 27. Ceterum hoc verisimilius est, quam quod vulgo narratur: Philippum audita caede Perdiccae Thebis profugisse ac regnum statim occupasse; vide *Weisk.* p. 12.

C. VI. § 3. *regni*] Mss. aliquot Bong.: *rerum.*

inopia continui belli et exh. regni] Ita codd. ad unum omnes, neque mutandi iustam causam reperias; est inopia, quam peperit continuum bellum et regni per id ipsum exhausti debilitas; tamen in edd. recentt. omnibus legitur Bongarsii coniectura: *inopia continuis bellis exhausti regni.*

immaturam aetatem] annum vicesimum quartum agebat (*Weisk. de hyp.* P. III. p. 14), non XXII, ut Suidas v. *Κάρανος*. Ceterum Mss. Bong., Goth., Crac. et sine dubio plerique: *et imm.*

§ 4. *bella, quae*] Sic Mss. Bong., alii; sed in textu Bong.: *bellaque.* Bella autem haec erant: Illyrii, Macedonum modo victores, novas copias ingentes contrahebant; Paeones agros Macedonum populabantur; Thracas Pausanias patriae immisit, unus de regia stirpe; denique Athenienses neque pedestribus neque navalibus copiis parcebant, ut Argaeum in regnum restituerent (Diodor. XVI, 2).

uno temp.] Sic codd., etiam Bong., sed ipse: *hoc temp.*, quod recepissem, nisi propter depravatum illud *bellaque* illatum ab aliquo esse suspicarer.

5 dispensanda ratus, alia interposita pactione componit, alia redimit, facillimis quibusque adgressis, quorum victoria et militum trepidos
6 animos firmaret et contemtum sibi hostium demeret. Primum illi cum Atheniensibus certamen fuit: quibus per insidias victis metu belli gravioris, cum interficere omnes posset, incolumes sine pretio
7 dimisit. Post hos bello in Illyrios translato multa millia hostium
8 caedit: urbem nobilissimam Larissam capit. Hinc Thessaliam non praedae cupiditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere gestiebat, nihil minus quam bellum metuentem im-
9 provisus expugnat: unumque corpus equitum pedestriumque co-
10 piarum invicti exercitus fecit. Quibus rebus feliciter provenientibus,

---

§ 6. *cum Atheniensibus*] sub Mantia duce, ad Methonem, Argaeum reducere studentibus. Diodorus quidem mercenarios potissimum Argaei fortem Philippi manum passos esse narrat, sed Demosthenes in or. contra Aristocr. p. 660: *ἀλλὰ — Φίλιππος*, inquit, *εἰ τόθ', ὅτ' Ἀργαῖον κατάγοντας λαβὼν τῶν ἡμετέρων τινὰς πολιτῶν ἀφῆκε μὲν αὐτούς, ἀπέδωκε δὲ πάντα, ὅσ' ἀπώλεσαν, αὐτοῖς* cett. Quare h. l. non cogitandum de similibus rebus in Potidaeae expugnatione, Diodor. XVI, 8.

§ 7. *Post hos*] Sic codd. omnes Bong., Goth., Prag. et sine dubio Gronoviani, etiam edd. antiquissimae. Sed postmodum lectio Aldina: *Post haec* ita invaluit, ut etiam in edd. criticis, velut Gronov. et Frotscheriana, genuinae commemorationem frustra quaeras.

urbem nob. Larissam c.] At Larissa Thessaliae, non Illyriae urbs. Quem errorem dum corrigere student, Iustinum corrigunt, geographicarum rerum vehementer ignarum; neque orationis conformatio corruptionem ullam prodit. Eo magis mirum est, quod Bongarsius testatur: in suis omnibus esse: *hic in Thessaliam*, in uno *hinc in Th.* Orosius et Freculphus: *Quibus victis arma ad Illyrios transtulit multisque millibus hostium trucidatis, Larissam urbem nobilissimam cepit. Inde Thessaliam non magis amore victoriae* cett. Recte *Weiskius*, de hyp. P. I. p. 37: „Verbis ita iunctis exspectatur Illyriae urbs; unde Glareanus *Lissum* [„quae est prima Dalmatiae urbs post Dyrrhachium ad mare Adriaticum.“ *Glar.*] coniecit, errore vulgari ductus, quasi unquam Philippus ad mare usque Adriaticum sit dominatus [v. *Weisk.* P. III. p. 10 sq.]. Minus etiam ferri potest Schefferi *Issem* [quod Illyrici est oppidum]. Equidem primum suspicabar eiusmodi aliquid latere: *Larissam hinc caput Thessaliae . . . . expugnat;* sed tamen sanum arbitror locum. Larissam occupat, Aleuadarum sedem, quos tunc quidem contra Pheraeos tyrannos iuvit Ol. 105, 4. [v. Diodor. XVI, 14.]“ Bongarsius, assentiente Wetzelio: *Larissam in Thessalia*, ut Asulanus in Ald., deletis quidem vocabulis *capit hinc*, quae ab interpolatrice manu profecta esse non dubitabo, quando Bongarsium de suis codd. vere pronuntiasse constabit, legi ibi: *hic* vel *hinc in Thess.;* Orosio tamen, si probabitur interpolatio, antiquiorem esse apparet. Ceterum *Lariseam* codd. Bong.; Prag.: *Larisseam;* edd. vett.: *Larissaeam.*

§ 9. *fecit*] Sic codd. omnes praeter interpolatum istum coll. N., e quo in edd. receptum est: *facit;* falso; v. Cortt. ad Sallust. Cat. 57, 3 et nos supra. — Philippus Thessalos tum sibi ita devinxisse narratur, ut perpetuo et ipsi et filio fideles socii permanserint. Primam hanc fuisse Thessaliae invasionem scriptores consentiunt; sed Diodor. l. l. *οὗτος δ' ἐπ-*

Olympiadem, Neoptolemi, regis Molossorum, filiam, uxorem ducit, conciliante nuptias fratre patruele, altore virginis, Arruba, 11 rege Molossorum, qui sororem Olympiadis Troada in matrimonium habebat: quae causa illi exitii malorumque omnium fuit. Nam, dum 12 regni incrementa adfinitate Philippi adquisiturum se sperat, proprio regno ab eodem privatus in exsilio consenuit.

His ita gestis Philippus iam non contentus submovere bella 13

ανελθὼν εἰς τὴν Θεσσαλίαν cett., quod quo referendum sit nondum mihi constat.

§ 10. *Olympiadem*] Sic codd. et Bong.; Gronov. e Med. et Periz.: *Olympiada*. Goth.: *Olympiadam*.

fratre patruele] imo patruo; nam Arrhybas Neoptolemi regis ex Alceta patre frater erat. Quaedam hic turbata propter nominis huius in ea gente frequentiam. Bongarsius ad XVII, 3, § 9 *patruo* coniecit pro *fr. patr.*; sed vetustam lectionem esse ostendit etiam Orosius, qui: *Olympiadem, Arubae, regis Molossorum, sororem, duxit uxorem.* Perquam probabiliter *Weiskius, de hyp.* P. II. p. 38 not.: „*Patruele* additum videtur ab eo, qui non videret *fratrem* esse sororis maritum; nam Troadem, Olympiadis sororem, duxerat"; sed an recte V. d. eodem modo apud Plutarch. Alex. 2: *ἀδελφὸν αὐτῆς Ἀρύβαν* defendat, valde dubito. — *Patrueli* Mss. Bong., Goth., Prag.

altore] Codd. Bong. omnes, Goth., Crac.: *auctore*, unus *actore*, vulgari permutatione; sic etiam coll. C. C., Bodl.; *tutore* vett. edd. et e codd. coll. N. et Prag., probante Bong. l. l. Lectio *altore* nescio unde originem duxit; primum cernitur in marg. ed. Colon. 1539, fortasse e coniectura Georgii Maioris.

Arruba] Sic Bong.; codd. eius nescio quot: *Sarraba*, litt. *S* e superiore vocabulo adhaerescente. Goth.: *Arumba*, ut *Ἀρύμβας* cum *μ* epenthetico, de quo Lobeck. ad Phrynich. p. 428; (eam formam ut molliorem in Romanis praefert Weisk.) Crac., Prag.: *Aryba*, ut edd. fere vett. *Aruba* optimus Orosii; *Auruba* tres Flor. eiusdem. Vulgo: *Arryba*. Graecas nominis formas collectas habes ap. Wesseling. ad Diod. XVI, 72 et Siebelis. ad Pausan. T. I. p. 38.

Troada] ut in re dubia reliqui; Bong. et edd. vett.: *Troadam*; Goth.: *trocidam*.

in matrimonium] Sic Bong., quod testimonio est, plures ipsius et meliores ita exhibere; et seriores ex antiquitate hoc affectabant. Adde Goth., Crac., Prag. Vulgo: *in matrimonio*, ut 9 Gronovii.

exitii] „Ferri per se posset *exitii* oratorio usu excusatum, sed languidius addita *mal. omn.* et verba sqq. persuadent mihi corrigendum esse *exilii.*" *Weiske*, P. II. p. 38 not. Sed tum non recte dicetur: *malorum omnium* (sc. quae ante exitium perpessus est).

omnium fuit] Vulgo: *malorumque omnium initium fuit;* sed huius vocis in Bongarsianis, 9 Gronovii, Goth., Crac., vett. edd. nullum vestigium est. Modius e 2 membranis Fuldd. protraxit. Magl.: *malorumque omnium origo f.* Sed turbatum olim hoc loco esse efficitur e var. lect. Bong., cuius nonnulli: *illi exitium, malo. o. causa f.*, unus: *malorum omnium exicium f.*

§ 12. *se sperat*] *Se* deest in ed. Bong. et 4 Gronovii. — De re prudenter disseruit *Weiskius*, quem vide P. II. pag. 38. Adde VIII, 6, § 4—7.

14 ultro etiam quietos lacessit. Cum Mothonam urbem oppugnaret, in praetereuntem de muris sagitta iacta dextrum oculum regis effo-
15 dit. Quo vulnere nec segnior in bellum nec iracundior adversus
16 hostes factus est: adeo ut interiectis diebus pacem deprecantibus dederit, nec moderatus tantum, verum etiam mitis adversus victos fuerit.

---

§ 14. *Mothonam*] Sic vel *Mothanam* vett. codd. Bong., Goth. et multi alii, etiam aliorum scriptorum; v. Gronov. p. 824; accedit Vinc. Bellov. XV, 15, etiam ex *hist. Alex.* c. 18. Adde ad prolog. hui. l.

§ 16. Alii hic de immani crudelitate victoris Philippi; cognosce quid iudicet *Weiskius*, P. II. p. 45 sq. Idem not. 38: „Suspicio mihi nascitur, ante *pacem* fort. absorptum esse *paucis*, quod addi non tam loquendi usus flagitat, quam sententiae vis suadet, quae non est in intervallo temporis, sed in brevitate intervalli posita.“ Vere, si in accurato scriptore versaremur.

LIBER VIII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS VIII.*)

Octavo volumine continentur res gestae Philippi magni post captam urbem Mothonen [1]) a principio belli Phocensis, quod *sacrum* vocant, usque ad finem eius; interiectumque [2]) huic bellum, quod Philippus cum Chalcidicis [3]) urbibus gessit, quarum clarissimam delevit Olynthon. Ut Illyrici reges ab eo victi sunt [4]) et Thracia atque Thessalia subactae [5]): et rex

---

[1]) Bong., Gron.: *Methonem;* v. ad prol. VII. Crac.: *Mathonem.*

[2]) Sic Ms. Reg., 3 Romani, Periz. Reliqui depravate: *interfect.* Emendaverat Bong. Pro *huic* Periz., Leid. 1. 2: *hinc.*

[3]) Sic emendavit Freinshem., q. v. et infr. ad c. 3, § 6. Bong.: *Calchidoniis*, unde effecit *Chalcidoniis*, quomodo illae urbes non vocantur. Ortum vitium est, sicut pleraque in his prologis, ex minuta scriptura quam vulgo *cursivam* appellant. Animadvertit etiam alicubi ill. *Niebuhr.* Periz. et Leid. 4: *Calcidiois;* Thuan. a pr. m. *Calchidionis;* Leid. 1. 2. et Thuan. a sec.: *Aachidoniis.* Crac. ex interpolatione: *Lacedaemoniis;* at de Peloponnesia, quam illo tempore ferunt, expeditione Philippi meliora docebit Weiskius *de hyperb.* P. I. p. 35 not. 84 et p. 58.

[4]) Omisit Iustinus. Factum Ol. 109, 1. a. 344. coll. C. C.: *ut Thr.*

[5]) Sic Fuldenss. et 7 ap. Gron. et Crac. Apud Bong. legebatur: *a b e o sub.*

Epiro datus Alexander, eiecto[6]) Aryba[7]): et frustra Perinthos oppugnata[8]).

[6]) Ita emendavit Bong. Codd.: *electo*. Leid. 1: *erepto*. Longuerrius ex Diodoro malebat: *deleto*; sed v. c. 6, § 7 ibique notam.
[7]) Sic Bong.; 2 Gron.: *Arybba*; v. ad VII, 6, § 11.
[8]) Hoc de Perintho et a fine huius libri et a principio sequentis abesse voluit Iustinus.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Graeciae clades sub Philippo Macedone. Thebani et Phocenses belli civilis faces.*
2. *Thebani Philippum arcessunt contra Phocenses. Athenienses transitum Philippi in Graeciam impedire student.*
3. *Philippus civitates socias diripit; Cappadociam (?) Macedoniae adiungit; Olynthios delet; latrocinium exercet variis modis.*
4. *Atheniensibus, Thessalis, Boeotiis et Phocensibus callide imponens angustias Thermopylarum occupat.*
5. *Phocenses ad deditionem et reliquos Graecos cogit ad servile obsequium.*
6. *Monarchiam cum summa iniustitia constituit.*

I. Graeciae civitates, dum imperare singulae cupiunt, impe- 1
rium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium sine modo ruen- 2
tes omnibus perire quod singulae amitterent, non nisi oppressae
senserunt: siquidem Philippus, rex Macedoniae, velut e specula 3
quadam libertati omnium insidiatus, dum contentiones civitatium
alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresque subire
regiam servitutem coëgit. Causa et origo huius mali Thebani fuere: 4
qui, cum rerum potirentur, secundam fortunam imbecillo animo ferentes victos armis Lacedaemonios et Phocenses, quasi parva supplicia caedibus et rapinis luissent, apud commune Graeciae conci-

C. I. § 3. *e spec.*] Vinc. Bellov.: *a spec.*

§ 4. *Thebani*] *bellum sacrum* moventes, quod initium cepit Ol. 106, 1 exitu vel 2 init., 357 a. Chr. Vide de eius belli initio et per quot annos gestum fuerit *Weisk. de hyperb.* P. III. p. 19, interpp. ad Diodor. XVI, 59 et Siebelis. ad Pausan. Phoc. p. 153 sq.

caedibus] Lacedaemonii in pugnis ad Leuctra et Mantineam.

rapinis] Phocenses Thebanorum Phocidi dudum inhiantium; quarum disertior narratio interiit, quia scriptorum studia alteram partem sequebantur. — *Graeciae concilium*] Amphictyonas.

5 lium superbe accusaverunt. Lacedaemoniis crimini datum, quod
6 arcem Thebanam induciarum tempore occupassent; Phocensibus,
quod Boeotiam depopulati essent: prorsus quasi post arma et bel-
7 lum locum legibus reliquissent. Cum iudicium arbitrio victorum ex-
erceretur, tanta pecunia damnantur, quanta exsolvi non posset.
8 Igitur Phocenses, cum agris, liberis coniugibusque privarentur, de-
speratis rebus Philomelo quodam duce, velut deo irascentes, tem-
9 plum ipsum Apollinis Delphis occupavere. Inde auro et pecunia
10 divites conducto mercenario milite bellum Thebanis intulerunt. Fa-
ctum Phocensium, tametsi omnes exsecrarentur propter sacrilegium,
plus tamen invidiae Thebanis, a quibus ad hanc necessitatem com-
11 pulsi fuerant, quam ipsis intulit. Itaque auxilia his et ab Athenien-
12 sibus et a Lacedaemoniis missa. Prima igitur congressione Philo-
13 melus Thebanos castris exuit. Sequenti proelio primus inter con-
fertissimos dimicans cecidit et sacrilegii poenas impio sanguine luit.
14 In huius locum dux *Onomarchus** creatur.

1 II. Adversus quem Thebani Thessalique non ex civibus suis,
ne victoris potentiam ferre non possent, sed Philippum, Macedoniae
2 regem, ducem eligunt, et externae dominationi, quam in suis ti-
3 muerunt, sponte succedunt. Igitur Philippus, quasi sacrilegii, non

* *Oenomaus*

---

§ 5. *arcem Thebarum*] Cadmeam, a. 382 Spartanis probantibus per Phoebidam subito occupatam; Diod. XVI, 23. 29.

§ 6. *Boeotiam depopulati e.*] Ceteri scriptores omnes Cirrhae urbis agrum, Apollini sacrum, a Phocensibus aratum et profanatum fuisse narrant, cuius facinoris poenas bello sacro ab ipsis expetitas esse; v. Wessel. ad Diodor. XVI, 23, nr. 89; cui addenda est narratio *Duridis* Samii, quam cum nostra quodammodo conferre possis: *ὁ ἱερὸς καλούμενος (πόλεμος ἐγένετο) διὰ γαμετὴν Θηβαίαν γένος, ὄνομα Θεανώ, ἁρπασθεῖσαν ὑπὸ Φωκέως τινός* (Athen. XIII. p. 560. B).

§ 12. *Thebanos castris exuit*] ad Phaedriadas rupes, ubi Locros potissimum fudit, quorum auxilio Thebani utebantur. Insecuta sunt alia proelia, quorum hic mentio non fit; v. Diod. XVI, 30.

§ 13. *proelio*] ad Neonem; sed de mortis genere accuratius tradiderunt Pausanias et Diodorus c. 31, ubi v. Wessel.

cecidit] Goth.: *occidit.*

§ 14. *Onomarchus*] Philomeli frater. Vett. Bong.: *Oenomenaus* vel *Oenomaus;* sic alii quoque codd. et vett. edd.; Goth.: *Cenomaus;* Prag.: *Cenomenas.*

C. II. § 1. *Thebani*] V. Pausan. Phoc. 2, § 3.

Thessali] (Codd. Bong.: *Thessalia*, i. e. *Thessaliq.*) Philippum contra Lycophronem tyrannum in auxilium vocantes, qui cum Phocensibus societatem iniverat; v. Diodor. c. 35 (Ol. 106, 4).

timuerunt] Med., Leid. 2, coll. N., Prag.: *timuerant.*

§ 3. 4. Intelligi videtur proelium ad litus Magnesiae, quo Onomarchus periit, Ol. 107, 1, apud Diodorum c. 35. Eodem haec retulerunt *I. Gillies*, *history of ancient Grece*, cap. 34. *Leland*, *history of Phi-*

Thebanorum ultor esset, omnes milites coronas laureas sumere iu-
bet, atque ita veluti deo duce in proelium pergit. Phocenses insi- 4
gnibus dei conspectis conscientia delictorum territi, abiectis armis
fugam capessunt, poenasque violatae religionis sanguine et caedibus
suis pendunt. Incredibile quantum ea res apud omnes nationes 5
Philippo gloriae dedit: *illum vindicem sacrilegii, illum ultorem reli-* 6
gionum; quod orbis viribus expiari debuit, solum qui piacula exige-
ret, exstitisse. Dignum itaque qui a diis proximus habeatur, per 7
quem deorum maiestas vindicata sit. Sed Athenienses audito belli 8
eventu, ne in Graeciam Philippus transiret, angustias Thermopy-
larum pari ratione, sicuti antea advenientibus Persis, occupavere,
sed nequaquam simili aut virtute aut causa: siquidem tunc pro liber- 9
tate Graeciae, nunc pro sacrilegio publico; tunc a rapina hostium
templa vindicaturi, nunc adversus vindices templorum raptores de-
fensuri: aguntque propugnatores sceleris, cuius turpe erat alios 10
vindices fuisse: immemores prorsus, quod in dubiis rebus suis illo 11
deo etiam consiliorum auctore usi fuerant; quod illo duce tot bella
victores inierant, tot urbes auspicato condiderant, tantum imperium 12
terra marique quaesierant; quod nihil sine maiestate numinis eius
aut privatae umquam aut publicae rei gesserant. Tantum facinus

---

lipp Vol. I. p. 152. al.; sed sacri istius choragii nemo praeterea veterum mentionem facit. Iis, quae proxime sequuntur, deceptus Wesselingius Ol. 108, 3 significari putavit, quo res adversus Phalaecum Nicaeae gerebantur; vid. Diodor. XVI, 59. Haec cap. demum quinto Iustinus attingit.

§ 5 sqq. Haec tantum de fama, qua Philippus post tantam victoriam inter Graecos ferebatur; non de praemiis, quae profligato sacro bello ipsi contigerunt; v. Diodor. XVI, 60.

§ 7. *Dignum itaque* cett.] Usque ad edit. Oxoniensem a. 1674 male distinguebatur: *extitisse dignum. Itaque* cett. ut habetur in codd. Edd. vett. longe plurimae: *ext. dignum. Itaque diis proximus habetur, per quem* cett., quibus obtemperatum etiam est a Bongarsio, e codd. tamen vestigiis: *It. a diis pr.* scribente; at *habetur*, nisi omnia nos fallunt, e coniectura profectum est. Codd. Bong. pars: *Itaque creditum est quia diis prox. habeatur;* sic Goth., nisi quod *habebatur* scribit; verba *creditum est* sine dubio e glossa ad *exstitisse dignum* pedem huc tulerunt. Alii codd. Bong.: *Itaque quasi diis pr. habebatur;* alii denique: *Itaque quia diis pr. habeatur;* praeterea *habeatur* in codd. Med., Bodl., Leid. 2. 4, Prag.; *habebatur* in 3 interpolatis ap. Gronov. Vulgata lectio ab Anglis est: *D. itaque qui diis proximus haberetur, per q.* cett. Nos praepos. *a* tantis testimoniis firmatam (conf. Drakenb. ad Liv. XXXVII, 31) delere noluimus neque ex vulgari illo: *diis proximus* nostrae dictioni legem scribi oportet; v. cl. *Handii* Tursellin. T. I. pag. 43 sq. Deinde *habeatur* vel *habebatur* inde corruptum optimi codd. agnoscunt; vulgatum *haberetur* unde sit, nescio.

§ 8. Hoc primum factum Ol. 107, 1; v. Voemel. *de bello Amphipolitano* § 25.

admisisse ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus institutisque formata, ut, quid posthac succensere iure barbaris possent, non haberent!

1 2 III. Sed nec Philippus melioris fidei adversus socios fuit: quippe veluti timens, ne ab hostibus sacrilegii scelere vinceretur, civitates, quarum paullo ante dux fuerat, quae sub auspiciis eius militaverant, quae gratulatae illi sibique victoriam fuerant, hostiliter oc-
3 cupatas diripuit; coniuges liberosque omnium sub corona vendidit;
4 non deorum immortalium templis, non aedibus sacris, non diis penatibus publicis privatisque, ad quos paullo ante ingressus hospita-
5 liter fuerat, pepercit: prorsus ut non tam sacrilegii ultor exstitisse
6 quam sacrilegiorum licentiam quaesisse videretur. Inde veluti rebus egregie gestis in *Chalcidicam** traiicit: ubi bello pari perfidia gesto

* *Cappadociam*

C. III. § 1 — 5. *Thessaliam* male habitam significari nulla esse potest dubitatio; nam licet Diodorus XVI, 35 (ubi interpp. iusto prius de *tetrarchiis* loquuntur) contraria plane narret nec nisi saluberrima quaeque Thessalis a Philippo praestita esse affirmet, Demosthenes tamen hic illic perfidiae in Thessalos suspicionem movet; e. c. Phil. III, p. 113: *Φερὰς πρώην ὡς φίλος καὶ σύμμαχος εἰς Θετταλίαν ἐλθὼν ἔχει καταλαβών* (coll. de Haloneso p. 84); idem Olynth. II. (I.) c. 3 ibique *Mounten.* Sed ob studia sua singuli scriptores in temporibus occupatae Thessaliae vehementer discrepant; de qua re vide *Weiskium*, qui de nostro loco (P. II. pag. 16): „Graviora, inquit, cum ab oratoribus non modo cupide arripiantur, sed ad nauseam usque usurpentur, patet quod negligitur aut non magnum aut ne verum quidem esse . . . . . Sic de rei (a Iust. h. l. narratae) atrocitate cum aliorum tum Demosthenis silentium nonnihil derogat: quam rem tamen equidem nec omnino fictam nec a coeco quodam impetu profectam arbitror Philippi, Thermopylas scilicet clausas in innocentibus, ut Lelandus interpretatur, ulturi; sed potius regem illis claustris prohibitum tanto magis obtinenda sibi vidisse vicina iis Thessaliae loca, oppressis iis partibus, quae ante Onomarchi cladem Phocensibus faverant, vel etiam a Philippo bis victo ad eos transierant; cf. Diodorum XVI, 35.“

§ 6. *in Cappadociam*] At notum est, Philippum eo nunquam penetrasse; codd. tamen vel antiquissimi et antiquiores Orosius, Freculphus, chronographi eam lectionem sine ulla varietate agnoscunt. Franc. Asulanus in Aldina pro arbitrio correxit: *Thraciam*, quam tertio anno post invasit. Glareanus de *Euboea* cogitavit, errans ille de Chalcidensium urbibus, quas hoc anno Diodorus memorat. Bongarsius: *Chalcidem;* voluit, quod Gronovius et Faber intellexerunt: *Chalcidicam;* idem confirmari prologo Pompeii: *bellum quod Philippus cum Chalcidoniis* (aut potius *Chalcidicis*) *urbibus gessit*, Vorstius animadvertit, assentiente Weiskio *de hyperb.* P. I. p. 54. P. II. p. 17. Testes de invasione illa oppidorum Chalcidicensium, Ol. 107, 4, collegit Wesselingius ad Diodor. XVI, 52, nr. 71. — Ne quid neglexisse videar, addo Lipsium et Valesium (ad Harpocr. v. *δεκαδαρχία*, p. 38) emendare: *in Cassopiam*, nixos loco orationis de Haloneso p. 84: *ἐπὶ δ' Ἀμβρακίαν στρατεύεται, τὰς δ' ἐν Κασσωπίᾳ τρεῖς πόλεις, Πανδοσίαν καὶ Βούχεταν καὶ Ἐλάτειαν* (sive potius

captisque per dolum et occisis finitimis regibus universam provinciam imperio Macedoniae adiungit. Deinde ad abolendam invidiae fa- 7
mam, qua insignis praeter ceteros tunc temporis habebatur, per regna mittit et opulentissimas civitates, qui opinionem sererent re- 8
gem Philippum magna pecunia locare et muros per civitates et fana et templa facienda, et ut per praecones susceptores sollicitarent. Qui cum in Macedoniam venissent, variis dilationibus frustrati, vim 9
regiae maiestatis timentes taciti proficiscebantur. Post haec Olyn- 10
thios adgreditur: receperant enim per misericordiam post caedem unius duos fratres eius, quos Philippus ex noverca genitos veluti participes regni interficere gestiebat. Ob hanc igitur causam urbem 11
antiquam et nobilem exscindit et fratres olim destinato supplicio tradit, praedaque ingenti pariter et parricidii voto fruitur. Inde, quasi 12
omnia, quae agitasset animo, ei licerent, auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupat: et, ne quod ius vel fas inviola- 13
tum praetermitteret, piraticam quoque exercere instituit. His ita 14
gestis forte evenit, ut eum fratres duo, reges Thraciae, non con-

---

Ἐλάτρειαν), Ἠλείων ἀποικίας, κατακαύσας τὴν χώραν καὶ εἰς τὰς πόλεις βιασάμενος παρέδωκεν Ἀλεξάνδρῳ τῷ κηδεστῇ τῷ ἑαυτοῦ δουλεύειν; quae res in historia Philippi mire pendet neque cum aliis eiusdem gestis ex historiae fide iusta serie coniungi potest; I. Gillies, *history of Greece*, cap. 36 ponit Ol. 109, 1 seu a. 344; Weiskius (*de hyp.* P. II. p. 38) Ol. 109, 3 post mortem Arymbae. Lipsio etiam: *in Chaoniam* in mentem venerat, qua eandem rem significari voluit. Erat cum de *Cardia* cogitarem; sed iam dubitare noli, verum esse *Chalcidicam.* Regulos illic captos et occisos non novimus, nisi Thracicos intellexit, de quibus paullo post. — In Mss. Bong. quibusdam desunt verba *traiicit — per dolum*, scribis aberrantibus a voce *Cappadociam* ad *captis per dolum.*

§ 7. *invidiae famam*] „i. e. famam odiosarum rerum, quas commiserat, ut XII, 6, § 12.“ *Graev.* Wopkens. coniecit: *avariciae f.* Male coll. N. et ed. Rom.: *inopiae f.*

§ 8. *fana*] Coll. N. et C. C.: *fora*, quod tuebatur Scheff.; sed v. Oudendorp. ad Sueton. Iul. 54.

et ut per] Sic codd. omnes praeter Crac. et ed. Rom., unde Gronov. de Wopkensii mente part. *ut* delevit; inutiliter, v. Drakenb. ad Liv. XXXIX, 14, 9 al. Ceterum Mss. nescio quot Bong. et Goth.: *sollicitaret.*

§ 9. Cf. Weisk. *de hyp.* P. II. p. 16.

§ 10. *Post haec*] (Goth.: *hoc.*) Ol. 108, 1. Hanc causam Olynthi oppugnatae ceteri ignorant; aliam plane narrat Libanius in arg. Demosth. Olynth.

ex noverca] Gygaea, nominatos VII, 4, § 5.

§ 13. *piraticam*] Cf. Weisk. *de hyp.* P. I. p. 34.

§ 14. *fratres duo*] Cotyos filii, Amadocus et Berisades, nisi forte huius mature mortui filii; armatus autem tum advenit Philippus, quantum intelligi potest, ut Cersobleptem, tertium fratrem, oppida in illis regionibus assidue expugnantem compesceret (v. Diod. XVI, 71 c. nota Wessel.); imo ad hoc ipsum vocatus esse ab Amadoco narratur (v. Suidas v. Κερσοβλέπτης).

templatione iustitiae eius, sed invicem metuentes, ne alterius viri-
15 bus accederet, disceptationum suarum iudicem eligerent. Sed Phi-
lippus more ingenii sui ad iudicium veluti ad bellum inopinantibus
fratribus instructo exercitu supervenit, et regno utrumque non iudi-
cis more, sed fraude latronis ac scelere spoliavit.
1 IV. Dum haec aguntur, legati Atheniensium petentes pacem
2 ad eum venerunt. Quibus auditis et ipse legatos Athenas cum pacis
3 conditionibus misit: ibique ex commodo utrorumque pax facta. Ex
ceteris quoque Graeciae civitatibus non pacis amore, sed belli metu
4 legationes venere: siquidem crudescente ira Thessali Boeotiique
orant, *ut professum adversum Phocenses ducem Graeciae exhibeat;*
5 tanto odio Phocensium ardentes, ut obliti cladium suarum perire ipsi
quam non perdere eos praeoptarent, expertamque Philippi crudeli-
6 tatem pati quam parcere hostibus suis mallent. Contra Phocensium
legati adhibitis Lacedaemoniis et Atheniensibus bellum deprecaban-
7 tur, cuius ab eo dilationem ter iam emerant. Foedum prorsus mi-
serandumque spectaculum Graeciam etiam nunc et viribus et digni-
tate orbis terrarum principem, regum certe gentiumque semper vi-
ctricem et multarum adhuc urbium dominam alienis excubare sedi-
8 bus aut rogantem bellum aut deprecantem; in alterius ope omnem
spem posuisse orbis terrarum vindices, eoque discordia sua civilibus-
que bellis redactos, ut adulentur ultro sordidam paullo ante cliente-
9 lae suae partem; et haec potissimum facere Thebanos Lacedaemo-
niosque, antea inter se imperii, nunc gratiae imperantis aemulos.
10 Philippus venditatione gloriae suae tantarum urbium fastidium agi-

---

§ 15. Oros. et Freculph.: *inscios iuvenes vita regnoque privavit.*

C. IV. § 1 sqq. Ol. 108, 2.

§ 4. *Thessali*] Edd. vett.: *Thebani*, sed illud ex historiae fide est.

§ 5. *cladium suarum* ad Thessalos tantum referri posse recte observat Weiskius, *de hyp.* P. II. p. 17.

§ 6. *ter iam emerant*] Hoc ab aliis prodi non memini.

§ 8. *orbis terrarum vindices*] a Persarum imperio; male cod. Med.: *principes.*

eoque] Sic Bong., Goth., Prag. et al. plurimi; Gronovius e tribus suis (accedit Crac.) et vetustis edd.: *eo usque d.*

adulentur — sordidam — partem] Codd. Modii: *adulent — sordidae — parti*, ut inf. XII, 13, 2; *adulare* etiam Cic. de Off. I, 26.

§ 9. *gratiae imperantis*] Sic e praeclara emendatione Altingii primus edidit Graevius, probante I. Fr. Gronovio, Obss. IV, 10, aliisque. Codd. omnes: *Graeciae imperantis*, quod, quocunque te vertas, commode explicari nequit. Mutationis facilitatem ostendit Gronov. p. 827. Ad *imperantis* supplendum est *sibi:* erant ante imperii inter se aemuli, nunc gratiae hominis, qui ipsis imperaret; cuius de se imperium ferre parati erant.

§ 10. *Philippus venditatione* cett.] Sic nullo excepto codd. Bong. et Prag. Edd. vett. et Gronovius e suis melioribus sex: *Phil. inter haec venditat.*, quod et languet vehementer neque satis recte h. l. dicitur. De

tat atque utros potius dignetur, aestimat. Secreto igitur auditis 11
utrisque legationibus, his veniam belli pollicetur, iureiurando adactis
responsum nemini prodituros; illis contra venturum se auxiliumque
laturum: utrosque vetat parare bellum aut metuere. Sic variato 12
responso securis omnibus Thermopylarum angustias occupat.

V. Tunc primum Phocenses captos se fraude Philippi animad- 1
vertentes, trepidi ad arma confugiunt. Sed neque spatium erat in- 2
struendi belli nec tempus ad contrahenda auxilia; et Philippus exci-
dium minabatur, ni fieret deditio. Victi igitur necessitate pacta sa- 3
lute se dediderunt. Sed pactio eius fidei fuit, cuius antea fuerat 4
deprecati belli promissio. Igitur caeduntur passim rapiunturque; 5
non liberi parentibus, non coniuges maritis, non deorum simulacra
templis suis relinquuntur. Unum tantum miseris solatium fuit, quod, 6
cum Philippus portione praedae socios fraudasset, nihil rerum sua-
rum apud inimicos viderunt. Reversus in regnum, ut pecora pa- 7
stores nunc in hibernos, nunc in aestivos saltus traiiciunt, sic ille
populos et urbes, ut illi vel replenda vel derelinquenda quaeque loca
videbantur, ad libidinem suam transfert. Miseranda ubique facies 8
et excidio similis erat. Non quidem pavor ille hostilis nec discursus 9
per urbem militum erat; non tumultus armorum, non bonorum at-
que hominum rapina: sed tacitus maeror et luctus, verentibus, ne 10
ipsae lacrimae pro contumacia haberentur. Crescit dissimulatione 11
ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet. Nunc 12
sepulcra maiorum, nunc veteres penates, nunc tecta, in quibus ge-
niti erant in quibusque genuerant, considerabant: miserantes nunc 13
vicem suam, quod in eam diem vixissent, nunc filiorum, quod non
post eam diem nati essent.

---

proxime sequentibus lege insignem disputationem I. Fr. Gronovii, Obss. IV. cap. 10.

C. V. § 3. *se dediderunt*] Bongars.: *se dederunt*, e vitio typographico; nam aliter in v. l. non annotasset: „*Mss.* [3 Gronov. et Crac.] *dederunt. al. dederant.*“ Goth., ut 3 meliores Gron. et vett. edd.: *dedunt.* — Res facta est sub tertio eorum duce *Phalaeco* ad Nicaeam (Diod. XVI, 59), Ol. 108, 2 extr.; quod paullo post narratur excidium insecutum est a. 3 Maemactaerione mense; v. Weisk. *de hyp.* P. III. p. 18—20.

§ 4. *antea*] Sic Bong., Goth., Crac., Prag., vett. edd. Vulgo: *ante f.*

§ 5. Urbes Phocensium ex decreto Amphictyonum eversae; v. Diod. cum nota Wessel. p. 129.

§ 6. *socios fraudasset*] fortasse quia Philippus in Macedoniam abierat, Amphictyonum decreta non ab omni parte exsecutus; Diod. XVI, 60. Cf. Weisk. *de hyp.* P. II. p. 50. Cod. Goth.: *sol. fuit*, *qui*, *cum* — *viderent.*

§ 7. *populos et urb.*] Mss. aliquot Bongars.: *pop. ad urbes*, probante Scheffero; sed v. Wopkens.

§ 9 sqq. Ab Liviana descriptione Albae excisae I, 29 colorem huius loci ductum esse iam Modius animadvertit. — Goth.: *non discurs.*, pro *nec d.*

1 VI. Alios populos in finibus ipsis hostibus opponit; alios in extremis regni terminis statuit; quosdam bello captos in supplemen-
2 tis urbium dividit. Atque ita ex multis gentibus nationibusque unum
3 regnum populumque constituit. Compositis ordinatisque in Macedonia rebus Dardanos ceterosque finitimos fraude captos expugnat.
4 Sed nec a proximis manus abstinet: siquidem Arrubam, regem Epiri, uxori suae Olympiadi artissima cognatione iunctum, pellere
5 regno statuit; atque Alexandrum, privignum eius, uxoris Olympiadis fratrem, puerum honestae pulchritudinis, in Macedoniam no-
6 mine sororis arcessit, omnique studio sollicitatum spe regni, simulato amore ad stupri consuetudinem perpulit, maiora in eo obsequia
7 habiturus sive conscientiae pudore sive regni beneficio. Cum igitur ad viginti annos pervenisset, ereptum Arrubae regnum puero admo-
8 dum tradit, scelestus in utroque. Nam nec in eo ius cognationis servavit, cui ademit regnum, et eum, cui dedit, impudicum fecit ante quam regem.

C. VI. § 1. *Ὑπερβολικώτατα* haec de Phocensibus *μετοικισθεῖσι*. *terminis*] Goth.: *partibus*.

in supplementis] i. e. inter supplementa urbium receptos. Gronov. ex ed. Rom., Iunt. et Sarisb., qui verba de industria mutavit: *in supplementum;* sic cod. Goth., Crac. et Dorv. 1. Alii e coni. Freinsh.: *in supplementa*, ut Oros. et Freculph.

§ 3. *in Macedonia*] Sic Bongars. ex omnibus suis, nisi quod *in* a quibusdam abest, litera *M* facile absorptum, 2(?) Gronovii, Crac., Prag. Vulgo: *Macedoniae.*

Dardanos] Illyrios et Paeones. Factum est Ol. 109, 1. Huic ipsi expeditioni bellum contra Arrhybam Demosthenes quoque adiungit, Olynth. I, 5.

§ 4. *artissima cognatione*] quippe patruus eius; v. ad VII, 6, § 10.

§ 5. *Alexandrum*] Neoptolemi, Epiri regis, filium; idem cur *privignus Arrhybae* dicatur, aliam causam nescio, nisi quam Weiskius admodum verisimilem prodidit, P. II. not. 33: „Si Alexander Arymbae *privignus* de fratris filio non est intelligendus (quod malim, quam cum Bongars. [ad XVII, 3, § 9] *pupillus* scribere), fort. Arymbas ante Troadem duxerat Neoptolemi viduam."

§ 6. *spe regni*] 1 Bong., 5 Gronov., Crac., Prag., edd. vett.: *in spem regni;* sed recte alterum explicuit Wopk.; cf. Scheff.

§ 7. Aliter Diodor. XVI, 72; sed bene, si quid video, has res disposuit Weiskius *de hyp.* P. II. p. 38, q. v. additis iis, quae ex oratione de Haloneso commemoravimus ad c. 3, § 6.

LIBER IX.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS IX.*)

Nono volumine continentur haec. Ut Philippus a Perintho summotus. Byzantii [1]) origines: a cuius obsidione summotus Philippus Scythiae bellum intulit. Repetitae inde Scythicae res ab his temporibus, in quibus illa prius [2]) finierant, usque ad Philippi bellum, quod cum Athea [3]), Scythiae rege, gessit. Unde reversus Graeciae [4]) bellum intulit; victorque [5]) Chaeroneae, cum bella Persica moliretur, praemissa classe cum ducibus, a Pausania occupatis angustiis nuptiarum filiae die [6]) occisus est, priusquam bella Persica inchoaret. Repetitae res inde Persicae a Dario [7]) Notho, cui successit filius Artaxerxes cognomine Mnemon [8]): qui post fratrem Cyrum victum pulsaque Cnido [9]) per Conona classe Lacedaemoniorum bellum cum Evagora, rege Cyprio, gessit; originesque Cypri repetitae.

---

[1]) Bong.: *Byzanti.* Mod.: *Biz.*, ut Periz.

[2]) Supra II, 5. Modius e coni.: *in quibus illas prius finierat* (*illas* quidam eius cum Periz. praebuerant); sed vulg. Freinsh. recte defendit; adde Gron. p. 1001.

[3]) Codd. *Mathea;* nam librarii propter praecedens *m* in notius sibi nomen inciderant, ut infr. c. 2, § 1. Emendavit Bong., q. v. cum Vorstio.

[4]) „Lege: *Graecis.*" *Long.*, ob sequentia.

[5]) Codd.: *victusque.* Emendavit Bong., veteris scripturae probe gnarus, probante Modio. Longuerr.: *victisque*, sc. Graecis, ut Vat. 1. et Periz. E Crac. nihil enotatum est.

[6]) Sic Periz. In al. codd. deerat vox *die*, quam inserendam viderat Bong.

[7]) Leid. 4: *Dareo.* Quae hinc sequuntur Iustinus omisit omnia; sed num Pompeium tam multa e libris V et VI h. l. repetiisse credamus? Breviter haec perstrinxisse videtur, ut ad *Cyprum* sibi viam pararet.

[8]) Sic Bong. Codd.: *Nemone* vel *Nemon.*

[9]) Sic codd.; v. Vorst. ad prol. VI. Periz.: *Grado.* Crac.: *Cyndcrena a.* (pro *Cn. p. Conona.*)

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Philippus cogitat de Graecia subiuganda: ideo Byzantium, sed frustra, obsidet.*

2. *A Scytharum rege variis modis deluditur: unde pugna, et praeda abducta.*
3. *Triballi Philippum praeda spoliant. Athenienses et Thebani a Philippo proelio victi.*
4. *Philippus victoria moderate utitur; saevit in Thebanos, qui fortiter se gerunt.*
5. *Graeciae civitates Corinthum evocat et ad bellum Persicum se parat.*
6. *Dum nuptias filiae celebrat, a Pausania obtruncatur.*
7. *Idque Olympiade et Alexandro consciis.*
8. *Philippi elogium eiusdemque cum Alexandro filio et successore comparatio.*

---

1 I. In Graeciam Philippus cum venisset, sollicitatus paucarum civitatium direptione et ex praeda modicarum urbium, quantae opes universarum essent, animo prospiciens, bellum toti Graeciae inferre
2 statuit. Ad cuius emolumentum egregie pertinere ratus, si Byzantium, nobilem et maritimam urbem, receptaculum terra marique copiis suis futurum, in potestatem redegisset; eamdem claudentem
3 sibi portas obsidione cinxit. Haec namque urbs condita primo a

---

C. I. § 2. *Ad cuius emol.*] Codd. aliquot Bong., 3 Gronov.: *In cui.* De voce *emolumentum* v. Ruhnk. ad Vellei. II, 78, 1. Byzantium Philippus tentavit Ol. 109, 4. 110, 1, quod *Perinthiis* ab ipso obsessis auxilia misissent.

futurum] Quidam Bong., 4 Gronov., Crac., Prag.: *futuram.*

§ 3. Byzantii origines Trogus h. l. plenius tradiderat; sed vide quam misera et erroribus turpia sint, quae Iustini manus reliquit. Narrantur *Megarenses* annos septendecim post deductam Chalcedonem, Ol. 30, 3 a. C. 658, Byzantio urbi fundamenta iecisse (v. *Raoul-Rochett. histoire de l'établiss. des col. Gr.* V. III. p. 297 sq., Heynii *antiquitates Byzantinas* in Commentar. recentt. Soc. Gott. V. I. p. 65 sq.); quare Byzantios Doricis vitae institutis uti videmus (de quibus *Heynius* l. l. pag. 6 sqq.), nec est cur dubites alios quoque colonos ex ceteris Doriensibus Byzantii consedisse (cf. Heyn. l. l. p. 7 not. a). Sed urbs, primo Thracum vicinorum infestis incursionibus multum vexata, deinde a Megabyzo, Darii praefecto, post Scythicam expeditionem in Persarum ditionem redacta, paullo post (a. 503) ab Ionibus expugnata, inde ob classis Persicae terrorem ab incolis deserta et a Phoenicibus paene deleta (Herodot. VI, 33), denique impositis a Xerxe praesidiis obsessa tenebatur: tantis igitur malis oppressam urbem Lacedaemonii per Pausaniam in libertatem vindicaverunt, Ol. 75, 4. a. C. 478; sed coloniam tum simul deductam esse Byzantium a Lacedaemoniis nullus scriptorum vel verbo prodidit, licet confidenter narret Raoul-Rochettius l. l. Vol. IV. p. 6. Miseram vero urbis conditionem reputantibus probabile erit, Lacedaemoniorum copiam in subsidium eo se contulisse. Apertus tamen est error epitomatoris in his: *condita primo a Paus.*, ubi neque delendum quicquam esse neque excidisse, ut Heynius (l. l. p. 11) suspicatus fuerat, apparet ex Orosio III, 13 et Isidoro Origg. XV, 1. p. 1188 Gothofr.: „Haec (Constantinopolis) con-

Pausania, rege Spartanorum, et per septem annos possessa fuit;
deinde variante victoria nunc Lacedaemoniorum, nunc Atheniensium
iuris habita est: quae incerta possessio effecit, ut nemine quasi suam 4
auxiliis iuvante libertatem constantius tueretur. Igitur Philippus lon- 5
ga obsidionis mora exhaustus pecuniae commercium de piratica
mutuatur. Captis itaque centum septuaginta navibus mercium 6
et distractis anhelantem inopiam paululum recreavit. Deinde, 7
ne unius urbis oppugnatione tantus exercitus tereretur, profectus
cum fortissimis multas Chersonensium urbes expugnat; filiumque 8

---

dita primum a Pausina (sic!), rege Spartanorum, et vocata *Bizantium:* vel quod tantum pateat inter Adriaticum mare et Propontidem, vel quod sit *receptaculum terrae marisque copiis;*" qui haec ut nos hodie legerunt. Memorabile est, ex Hesychii Milesii, chronographi et rerum Byzantinarum scriptoris (v. Heyn. p. 55), computatione temporum ortum Byzantii ad eandem aetatem revocari; v. Heynium l. l. p. 6.

et per septem annos possessa f.] Ex eo quidem narrationis ordine, quem Diodorus instituit, integri *septem* anni efficiuntur a tempore, quo Byzantium cepit Pausanias (XI, 44 ad Ol. 75, 4) ad illam Cimonis expeditionem, qua ἐκ τοῦ Βυζαντίου βίᾳ ὑπ' Ἀθηναίων (sub Cimone, v. Plutarch. c. 6) ἐξεπολιορκήθη (ut verba sunt Thucydidis I, 131); apud Diod. XI, 60 ad Ol. 77, 3; sed recte ibi Wesselingius animadvertit, pro more Diodorum plurium annorum gesta ad unam rerum perpetuitatem referenda coniunxisse. Post Pausaniam, sine dubio intra biennium revocatum, Spartani alios duces Byzantium miserunt; sed privatus rediit et potentiam quandam adeptus ab Atheniensibus urbe eiicitur; quod factum Cimonis et expugnatam Eionem ad Strymonem si ad Ol. 77, 2 cum Dodwello Annales Thucyd. p. 61 et Corsinio F. A. Vol. III. p. 181 revocas, *septimus* sane annus post liberatam urbem efficitur et Iustini narratio stabit; sed quae hic dubitationes oboriantur, longum est persequi.

variante victoria cett.] Illustrat Heynius p. 12 sqq.

§ 4. *nemine — auxiliis iuvante*] tamen factum est ab Atheniensibus, Demosthene impellente, Chiis, Rhodiis al. v. Diodor. XVI, 77 ib. Wessel.

§ 5. Cf. *Weisk. de hyp.* P. I. p. 34.

§ 6. *mercium et distractis*] Sic Bong. et vett. aliquot edd.; ceterae: *mercium ex d.* Vulgatam: *mercibusque distractis* ex uno tantum suo noverat Bong.; sed mirum neminem praeterea e suis varietatis quicquam enotasse; Goth. quoque, Crac. et Prag. cum vulg. conspirant. Ex editoribus primus Franc. Asulanus in Ald.: *mercibusque d.* dedit. *Naves* h. l. dixit ut modum mensuramque mercium direptarum. Genuinam autem lectionem a nobis restitutam esse evincet Orosius, III, 13: *Captas itaque centum et septuaginta naves m e r c i b u s c o n f e r t a s distraxit et anhelanti inopiae parva recreatione subvenit.* Ceterum codd. nonnulli Oros.: *centum et octoginta*, unus Bong.: *c. et sexaginta.*

§ 7. *tereretur*] Sic codd. paene omnes; i. e. si atterendus esset oppugnando exercitus, ne in una urbe cingenda, sed maioribus rebus attereretur; digna rhetore scriptore sententia; in alio tamen quovis secuti essemus subtile iudicium Graevii reponentis: *teneretur*, quae vulgata lectio facta est. Ceterum pulchre et significanter Bodl. et coll. N.: *ne in unius u.* cett.

expugnat] Ceteri tamen non respondisse his coeptis eventum narrant; v. locc. ap. *Weisk. de hyp.* P. III. p. 12. Ol. 110, 1.

Alexandrum, decem et octo annos natum, ut sub militia patris tiro-
9 cinii rudimenta deponeret, ad se arcessit. In Scythiam quoque
praedandi causa profectus est, more negotiantium impensas belli
alio bello refecturus.

1 II. Erat eo tempore rex Scytharum Atheas, qui, cum bello
Istrianorum premeretur, auxilium a Philippo per Apollonienses petit,
2 in successionem eum regni Scythiae adoptaturus: cum interim Istria-
norum rex decedens et metu belli et auxiliorum necessitate Scythas
3 solvit. Itaque Atheas remissis Macedonibus renuntiari Philippo iu-
4 bet, *neque auxilium eius se petisse neque adoptionem mandasse: nam
neque vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent,*
5 *neque heredem sibi incolumi filio deesse.* His auditis Philippus lega-
tos ad Atheam mittit *impensae obsidionis portionem* petentes, *ne inopia*
6 *deserere bellum cogatur; quod eo promtius eum facere debere, quod
missis a se in auxilium eius militibus ne sumtum quidem viae, non*
7 *modo officii pretia dederit.* Atheas inclementiam caeli et terrae ste-
rilitatem causatus, quae non patrimoniis ditet Scythas, sed vix ali-
mentis exhibeat, respondit *nullas sibi opes esse, quibus tantum regem*
8 9 *expleat; et turpius putare parvo defungi quam totum abnuere: Scythas*
10 *autem virtute animi et duritia corporis, non opibus censeri.* Quibus
derisus Philippus soluta obsidione Byzantii Scythica bella adgreditur,
praemissis legatis, quo securiores faceret, qui nuntient Atheae:
11 *dum Byzantium obsidet, vovisse se statuam Herculi; ad quam in
ostio Istri ponendam se venire: pacatum accessum ad religionem dei*

---

§ 8. *Alexandrum, decem* cett.] His non satis respondent quae Plutarchus narrat cap. 9.

§ 9. *In Scythiam*] Eiusdem anni autumno; *Weisk. de hyp.* P. III. pag. 23.

C. II. § 1. *Atheas*] Hoc nomen in Iustini codd. fere corruptum habetur; v. Bong. et ad prol. hui. lib.; sed recte expressum est in Orosii ferme omnibus. Graeci: *Ἀτέας*, ut in Luciano etiam Iunt. et marg. A. 1, ubi vulgo *Ἀντέας*, quemadmodum codd. aliquot Clement. Al.

Istrianorum] qui coloni Milesiorum ad Pontum Euxinum erant, aliis *Istropolitani.* Codd. Bong., Goth., Crac., Prag.: *Histrian.;* iidem fere: *Apollinenses.*

§ 2. *decedens*] Codd. omnes Bong., Goth., Crac., Prag., al.: *recedens;* sed Orosius animadvertente Bong. vulgatum satis tuetur et in his verbis saepissime peccatur; cf. Drakenb. ad Liv. XXXV, 10, 2 et V. L. ad VII, 4, § 8.

§ 7. *exhibeat*] sustentet, alat; v. interpp.

§ 8. Goth.: *ut turpius putaret p.*

§ 9. Goth.: *ac dur.* pro *et.*

§ 10. *derisus*] Codd. nescio quot Bong. et 12 alii, in quibus tamen recentissimi quique: *irrisus.*

soluta obsid.] Nimirum acceperat Graecos quasi ex conspiratione ad Byzantium obsidione liberandum adpropinquare; v. ad 1, § 4.

vovisse se st.] Edd. vett. magno numero codd. Goth. et Prag.: *vovisse stat.*, quod h. l. mihi valde probatur.

petens, *amicus ipse Scythis venturus.* Ille, *si voto fungi vellet, sta-* 12
tuam sibi mitti iubet: *non modo ut ponatur, verum etiam ut inviolata*
maneat, pollicetur; *exercitum autem fines ingredi* negat *se passurum.*
Ac si invitis Scythis statuam ponat, eo digresso sublaturum versurum- 13
que aes statuae in aculeos sagittarum. His utrimque irritatis animis 14
proelium committitur. Cum virtute et animo praestarent Scythae,
astu Philippi vincuntur. Viginti millia puerorum ac feminarum ca- 15
pta; pecoris magna vis, auri argentique nihil. Ea primum fides
inopiae Scythicae fuit. Viginti millia nobilium equarum ad genus fa- 16
ciendum in Macedoniam missa.

III. Sed revertenti ab Scythia Triballi Philippo occurrunt; ne- 1
gant *se transitum daturos, ni portionem accipiant praedae.* Hinc 2
iurgium et mox proelium; in quo ita in femore vulneratus est Phi-
lippus, ut per corpus eius equus interficeretur. Cum omnes occi- 3
sum putarent, praeda amissa est. Ita Scythica, velut devota, spo-
lia paene luctuosa Macedonibus fuere. Ubi vero ex vulnere primum 4
convaluit, diu dissimulatum bellum Atheniensibus infert: quorum 5
causae Thebani se iunxere, metuentes, ne victis Atheniensibus veluti
vicinum incendium belli ad se transiret. Facta igitur inter duas 6
paullo ante infestissimas civitates societate legationibus Graeciam
fatigant; *communem hostem* putant *communibus viribus submovendum:*
neque enim cessaturum Philippum, si prospere prima successerint, nisi 7

---

§ 12. *iubet*] Goth., Crac.: *iubeat.*

§ 14. *et animo*] Sic Bong., Goth., Crac., Prag. et sine dubio codices omnes, ut vett. edd. ante Aldinam; ibi enim primus Fr. Asulanus: *virtute et numero*, puto ne idem bis dicatur et repetitio voc. *animus* elegantiam lectoris offenderet. *Virtute et animo* coniungit etiam Cic. ad Div. V, 2. In uno Bong.: *numero animo pr.* Vulgo: *et numero.*

§ 15. *puerorum ac fem.*] qui de more gentis viros in aciem prodeuntes comitabantur.

Ea primum f.] Sic etiam Goth. et Prag.; sed Bongars., Crac. et fort. plures: *Ea fides primum.*

§ 16. *XX mill. equarum*] „*which were destined to furnish the magnificent studs of Pella, where, we are informed by Strabo* (XVI. p. 752), *Philip kept no less than thirty thousand mares and three hundred stallions.*“ Leland *life of Philip* Vol. II. p. 210.

C. III. § 1. *accipiant praedae*] Pulchre, sed vereor ut vere: Bong. certe, Crac. et Goth.: *praedae accipiant.*

§ 4. *diu dissimulatum*] Bene explicat Weisk. *de hyp.* P. II. p. 41, ubi inter alia: „Philippi quidem ars maxime in eo posita erat, ut bellum nemine contra bellante re magis gereret quam nomine.“

§ 5. *veluti vicinum incendium belli*] Sic Bongars. et codd., ut videtur, omnes praeter Prag. et unum alterumve Oxoniensium, qui: *ne — bellum veluti vicinum incendium ad se* cett. quae lectio post Graevium vulgata facta est, cum aperte deterior sit et altera multo languidior; v. quae attulit Wopkens. — *Thebanis*] Oros. et Freculph. ex errore *Lacedaemonios* substituerunt; sed cf. Fabric. ad Oros.

§ 6. *legationibus Gr. fatigant*] v. Demosth. pro cor. p. 290 sq.

8 *omnem Graeciam domuerit.* Motae quaedam civitates Atheniensibus
9 se iungunt; quasdam autem ad Philippum belli metus traxit. Proelio
commisso, cum Athenienses longe maiore militum numero praesta-
10 rent, adsiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur; non ta-
men immemores pristinae gloriae cecidere: quippe adversis vulneri-
bus omnes loca, quae tuenda a ducibus acceperant, morientes cor-
11 poribus texerunt. Hic dies universae Graeciae et gloriam domina-
tionis et vetustissimam libertatem finivit.

1 IV. Huius victoriae callide dissimulata laetitia est. Denique
non solita sacra Philippus illa die fecit; non in convivio risit; non
ludos inter epulas adhibuit; non coronas aut unguenta sumsit; et,
2 quantum in illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo sentiret. Sed nec
3 *regem se Graeciae, sed ducem appellari* iussit. Atque ita inter taci-
tam laetitiam et dolorem hostium temperavit, ut neque apud suos
4 exsultasse neque apud victos insultasse videretur. Atheniensibus,
quos passus infestissimos fuerat, et captivos gratis remisit et bello
consumtorum corpora sepulturae reddidit, reliquiasque funerum ut
5 ad sepulcra maiorum deferrent, ultro hortatus est. Super haec
Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amici-
6 tiamque iungerent, Athenas misit. Thebanorum porro non solum
7 captivos, verum etiam interfectorum sepulturam vendidit. Principes
civitatis alios securi percussit; alios in exsilium redegit, bonaque
8 omnium occupavit. Pulsos deinde per iniuriam in patriam restituit.
Ex horum numero trecentos exsules iudices rectoresque civitati de-

---

§ 9. *Proelio*] „Ad *Chaeroneam*, quo victor Philippus κατέστη τῆς Ἑλλάδος κύριος.“ *Bong.* q. v. Ol. 110, 3, Metagitnionis die VII. Alii numero etiam militum Philippum praestitisse narrant.

§ 10. *omnes loca* cett.] Cod. Goth.: *omnes quae tuenda loca a ducib.* cett. Non quo assentiar, sed quod ab aliis omissum video, Casp. Barthium correxisse moneo: *quippe adv. vulneribus omnes, locaque, quae — acc., mor. c. texerunt* (ad Stat. Theb. IX, 676).

C. IV. § 1. *dissimulata*] Alii contrarium referunt ap. Diod. XVI, 87. Cf. *Weisk. de hyp.* P. II. pag. 45. n. 46. praesertim autem quae bene animadvertit *Eyssonius Wichers* ad Theopompi frag. 262. p. 259 sq.

§ 3. Acute Weiskius (*de hyp.* P. I. pag. 35) reponendum coniecit: *Atque ita inter Macedonum laetitiam et dolorem hostium temperavit*, cett. propter oppositionem; sed scriptorem, non scribas corrigere videtur. Nam satis recte hoc quoque dicitur: tanto inter suam laetitiam, quam tegebat, et dolorem hostium temperamento usus est, ut neque suis neque victis videretur lascivire.

§ 6 sqq. Non nimis haec de Thebanis exaggerata sunt; v. Aeschin. in Ctesiph. p. 453, B. Wolf. et al. locis. — Orosius et Freculph. p. 186 praeter Thebanos etiam *Lacedaemonios* huc referunt; sed v. *Weisk. de hyp.* P. II. p. 7.

§ 7. *redegit*] Sic codd. omnes, dictum ut *in servitutem redigere.* Vulgo e coll. N. et Oros.: *egit*, corrigente primum Fabro. Ita etiam Prag.

dit: apud quos cum potentissimi quique rei eius ipsius criminis postu- 9
larentur, quod per iniuriam se in exsilium egissent, huius constan-
tiae fuerunt, ut omnes *se auctores* faterentur, *meliusque cum repu-
blica actum, cum damnati essent, quam cum restituti*, contenderent.
Mira prorsus audacia: de iudicibus vitae necisque suae, quemad- 10
modum possunt, sententiam ferunt; contemnuntque absolutionem,
quam dare inimici possunt; et, quoniam rebus nequeunt ulcisci,
verbis usurpant libertatem.

V. Compositis in Graecia rebus Philippus omnium civitatium 1
legatos ad formandum rerum praesentium statum evocari Corinthum
iubet. Ibi pacis legem universae Graeciae pro meritis singularum 2
civitatium statuit; conciliumque omnium, veluti unum senatum, ex
omnibus legit. Soli Lacedaemonii et regem et leges contemserunt, 3
servitutem, non pacem rati, quae non ipsis civitatibus conveniret,
sed a victore ferretur. Auxilia deinde singularum civitatium descri- 4
buntur: sive adiuvandus ea manu rex oppugnante aliquo foret seu
duce illo bellum inferendum. Neque enim dubium erat imperium 5
Persarum his apparatibus peti. Summa auxiliorum ducenta millia 6
peditum fuere et equitum quindecim millia. Extra hanc summam et 7
Macedoniae exercitus erat et confinis domitarum gentium barbaries.
Initio veris tres duces in Asiam Persarum iuris praemittit, Parme- 8
nionem, Amyntam et Attalum, cuius sororem nuper expulsa Alex- 9
andri matre Olympiade propter stupri suspicionem in matrimonium
receperat.

VI. Interea, dum auxilia a Graecia coëunt, nuptias Cleopatrae 1
filiae et Alexandri, quem regem Epiri fecerat, celebrat. Dies erat 2
pro magnitudine duorum regum, et collocantis filiam et uxorem du-
centis, apparatibus insignis. Sed nec ludorum magnificentia dee- 3

---

§ 9. *apud quos*] Plures, ni fallor, Bong., Goth., Crac.: *et apud q.* Deinde Goth.: *meliusque reipublicae actum.*

§ 10. *quoniam*] Vett. edd.: *quam;* sic Goth., e compendio natum.

C. V. § 2. *legit*] Sic Mss. Bong. et multi, ut videtur, ceterorum; sed Bong. cum vett. edd.: *elegit;* sic Goth.

§ 3. *et regem et leges*] Sic Bong. e suis, 8 Gronov., Goth., Crac., nisi quod duo *legem.* Vulgo e Modii libris: *et legem et regem*, pueriliter. De re cf. Wessel. ad Diod. XVII, 3. n. 91.

§ 6 sq. Immanem esse hanc summam recte animadverterunt *Lelandus*, alii; sed fides penes hunc testem relinquenda est; Alexander certe vix sexta harum copiarum parte Asiam invasit; v. XI, 6, § 2.

§ 8. *Parmenionem*] Gronov. e duobus, qui *Parmenionam*, edidit *Parmeniona.* — *Amyntam* ceteri nesciunt; sed cf. ad XII, 6, § 14.

§ 9. *cuius sororem*] At Cleopatra Attali ἀδελφιδῆ erat (Pausan. Arcad. c. 7) sive Attalus eius ἀδελφιδοῦς, „pro quo forte Iustinus aut Trogus apud Graecum auctorem legerat ἀδελφόν.“ Sic Bongars., assentiente Wesseling. ad Diod. XVI, 93 et XVII, 2, ubi vide.

receperat] Goth.: *caeperat.*

rat: ad quorum spectaculum Philippus cum sine custodibus corporis
medius inter duos Alexandros, filium generumque, contenderet,
4 Pausanias, nobilis ex Macedonibus adolescens, nemini suspectus,
occupatis angustiis Philippum in transitu obtruncat, diemque laeti-
5 tiae destinatum foedum luctu funeris facit. Hic primis pubertatis
annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo fuerat; cuius indignitati
6 haec etiam foeditas accesserat: nam perductum in convivium solu-
tumque mero Attalus non suae tantum, verum et convivarum libidini
velut scortum vile subiecerat ludibriumque omnium inter aequales
7 reddiderat. Hanc rem aegre ferens Pausanias querelam Philippo
8 saepe detulerat. Cum variis frustrationibus non sine risu differre-
tur et honoratum insuper ducatu adversarium cerneret, iram in ipsum
Philippum vertit ultionemque, quam ab adversario non poterat, ab
iniquo iudice exegit.

1 VII. Creditum est etiam immissum ab Olympiade, matre Alex-
andri, fuisse; nec ipsum Alexandrum ignarum paternae caedis ex-
2 stitisse: quippe non minus Olympiadem repudium et praelatam sibi
3 Cleopatram quam stuprum Pausaniam doluisse. Alexandrum quoque
regni aemulum fratrem ex noverca susceptum timuisse; eoque fa-
ctum, ut in convivio antea primum cum Attalo, mox cum ipso patre
4 iurgaret: adeo ut etiam stricto gladio eum Philippus consectatus sit
5 aegreque a filii caede amicorum precibus exoratus. Quamobrem
Alexander ad avunculum se in Epirum cum matre, inde ad regem
6 Illyriorum contulerat; vixque revocanti mitigatus est patri precibus-
7 que cognatorum aegre redire compulsus. Olympias quoque fratrem
suum Alexandrum, Epiri regem, in bellum subornabat: pervicisset-
8 que, ni filiae nuptiis pater generum occupasset. His stimulis ira-
rum utrique Pausaniam de impunitate stupri sui querentem ad tan-

---

C. VI. § 6. *velut sc. vile*] Nonnulli codd. Bong.: *verum* (?) *scortorum iure.*

C. VII. § 2. *Olympiadem*] Sic codd. Vulgo: *Olympiada.* Goth.: *Olympiadam.*

§ 3. *Ex noverca*] „Haec usque ad verba *praeparatos habuit* [i. e. cum his ipsis verbis, ad finem § 9] absunt ab optimis libris; habentur tamen in uno Cuiacii codice, neque videntur reiicienda.“ *Bong.*, qui ea uncis inclusit; qua re quid significare soleat, dixi ad I, 4, § 12. „Eadem quoque absunt a cod. 1 Voss.“ *Gronov.*

fratrem ex noverca] Caranum ex Cleopatra, quem postmodum interfecit Alexander; Dicaearchus quidem in *βίῳ Ἑλλάδος* filium ex Cleopatra Philippi non noverat („*ἡ Κλεοπάτρα δὲ ἐγέννησε τῷ Φιλίππῳ θυγατέρα τὴν κληθεῖσαν Εὐρώπην*,“ Athen. XIII. p. 557, E), sed vide Diodorum XVII, 2 coll. Pausan. Arcad. 7, § 5 et infr. XI, 2, § 3.

eoque factum] Sic codd. Modii, 1 Bong., 7 Gronov., Goth., Prag., Crac.; et praecedente E litera F facile absorberi poterat. Bong.: *actum.*

§ 5. *regem*] 1 Bong., Goth., vett. edd.: *reges.*

§ 7. *Alexandrum*] Deest in 1 Bong. et Bodl.

tum facinus impulisse creduntur. Olympias certe fugienti percussori 9
equos quoque praeparatos habuit. Ipsa deinde audita regis nece 10
cum titulo officii ad exsequias cucurrisset, in cruce pendentis Pausa-
niae capiti eadem nocte, qua venit, coronam auream imposuit: quod
nemo alius audere, nisi haec, superstite Philippi filio potuisset.
Paucos deinde post dies refixum corpus interfectoris super reliquias 11
mariti cremavit et tumulum ei eodem fecit in loco, parentarique ei-
dem quotannis incussa populo superstitione curavit. Post haec 12
Cleopatram, a qua pulsa Philippi matrimonio fuerat, in gremio eius
prius filia interfecta, finire vitam suspendio coëgit; spectaculoque
pendentis ultionem potita est, ad quam per parricidium festinaverat.
Novissime gladium, quo rex percussus est, Apollini sub nomine 13
Myrtales consecravit: hoc enim nomen ante Olympiadis parvulae
fuit. Quae omnia ita palam facta sunt, ut timuisse videatur, ne 14
facinus ab ea commissum non probaretur.

VIII. Decessit Philippus quadraginta et septem annorum, cum 1
annis viginti et quinque regnasset. Genuit ex Larissaea saltatrice 2
filium Aridaeum, qui post Alexandrum regnavit. Habuit et alios mul- 3
tos ex variis matrimoniis regio more susceptos, qui partim fato,
partim ferro periere. Fuit rex armorum quam conviviorum appara- 4
tibus studiosior; cui maximae opes erant instrumenta bellorum: di- 5 6
vitiarum quaestu quam custodia sollertior. Itaque inter quotidianas
rapinas semper inops erat. Misericordia in eo et perfidia pari iure 7

---

§ 9. *praepar. habuit*] 1 Bong. et 3 Gronov.: *etiam equos habuit praeparatos.*

§ 10. *Pausaniae*] ab amicis regis in fuga reprehensi.

§ 12. *filia interfecta*] Europa; Pausanias quidem l. l. (ad § 3) *filium* eius ab Olympiade crudeliter necatum refert; sed nostro et Diodoro (XVII, 2) auctoribus *filium* Alexander occidit, non Olympias; quare Wesselingius ad Diodor. l. l. Vorstio hic corrigenti: *filio interfecto* assensum negare debebat.

ultionem] Sic Bong. et codd. plurimi; pauci iique recentes: *ultione.* Sic vulgo.

parricidium] mariti caedem.

§ 13. *Myrtales*] Codd. omnes praeter unum Medic. (Crac.?): *Myrtalis;* sed Graecum nomen est *Μυρτάλη*, unde I. Fr. Gronov. illud restituit; adde Abr. Gron.

§ 14. *ab ea*] Mss. quidam Bong.: *ab eo*, Pausania; male. Sententia, a qua interpp. fere aberrarunt, haec est: timuisse videbatur, ne non communi omnium consensu facinus ab ea potissimum, nemine alio commissum putaretur.

C. VIII. § 1. *viginti et quinque regnasset*] Agebat potius annum vigesimum quintum imperii, Ol. 110, 4.

§ 2. *Larissaea saltatrice*] Philinna; v. Gronov.

§ 6. *quaestu*] Sarisbar., aliquot codd. Bong., 2 Gron.: *quaestus.*

semper inops] *στρατιώτης γὰρ ὢν καὶ λογίζεσθαι τὰ προσιόντα καὶ τἀναλισκόμενα δι᾽ ἀσχολίαν οὐκ ἠδύνατο.* Theopompus fragm. 249. Wich.

8 dilectae. Nulla apud eum turpis ratio vincendi. Blandus pariter et
insidiosus alloquio: qui plura promitteret quam praestaret; in seria
9 et iocos artifex. Amicitias utilitate, non fide colebat. Gratiam
fingere in odio, [in gratia offensam simulare,] instruere inter con-
cordantes odia, apud utrumque gratiam quaerere solemnis illi con-
10 suetudo. Inter haec eloquentia et insignis oratio, acuminis et sol-
lertiae plena: ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum
11 deesset ornatus. Huic Alexander filius successit et virtute et vitiis
12 patre maior. Itaque vincendi ratio utrique diversa. Hic aperta vi,
ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic pa-
13 lam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior.
14 Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere: hic ubi exarsisset,
15 nec dilatio ultionis nec modus erat. Vini nimis uterque avidus: sed
ebrietatis diversa vitia. Patri mos erat etiam de convivio in hostem
procurrere, [manum conserere,] periculis se temere offerre: Alex-

---

§ 8. *Blandus* cett.] Cod. ap. Casp. Barthium in Claudian.: *blandus per iram et in gratia insid.*

in seria cett.] Mire corruptus Vinc. Bellov. V, 19: *miseriarum iocorumque artifex.*

§ 9. [*in gratia offensam simulare*]] Desunt haec verba in ed. Bong., codd. omnibus, Sarisbar., Bellov., edd. vett. ante Ald., quarum aliquot § 8 ante voc. *insidiosus* exprimunt; sed desiderari nullo modo possunt.

solemnis illi consuetudo] Omittuntur ap. Bellov., 3 Gron., 1 Bong.; sed agnoscit Sarisbar.

§ 10. *eloquentia et insignis* cett.] Sic Bong. codd., ut videtur, omnes, Sarisb., Bellov., edd. vett. Vulgo *et* omittunt.

inventionum] Sarisb. (et 4 codd. Wopk.?): *inventionis.* Bellov. plane omittit. Graevius e cod. uno Oxoniensium: *nec facilitati inventio, nec inventionibus deesset ornatus;* sed cf. Wopk.

§ 11. Cicero de Off. I, 26, 3: „*Philippum rebus gestis et gloria superatum video a filio, facilitate et humanitate fuisse superiorem.*"

§ 12. *Itaque vinc.*] Sic Bong., Sarisb. et codd. plerique omnes. In vulg. edd. *Itaque* desideratur.

aperta vi] Sic diserte 6 recentiores licet codd., quibus accedit Goth., et edd. vett. Sarisbar., Bellov. V, c. 22, codd. Bong., 2 meliores Gronov.: *aperta*, omissa voce *vi*, quae voc. seq. *ille* absorpta esse videtur; unde Bong., imo iam scribas antiquos e coniectura *aperte* effinxisse probabile est, quod in Crac. et Prag. legitur, si cum cura collati sunt.

§ 15. *Patri mos erat etiam de c.*] Sic codd. omnes cum Sarisb. et Bellov., uno excepto coll. N., qui correctricem manum quovis paene versu passus est; ex eo igitur post Graevium habetur in edd. omnibus: *Pater de convivio* cett. Theopompus fragm. 298: *Φίλιππος ἦν τὰ μὲν φύσει μανικὸς καὶ προπετὴς ἐπὶ τῶν κινδύνων, τὰ δὲ διὰ μέθην· ἦν γὰρ πολυπότης καὶ πολλάκις μεθύων ἐξεβοήθει.*

[*manum conserere*] Desunt in ed. Bong., utpote in duobus tantum codd. ab ipso inventa; ignorant etiam coll. C. C., Crac., Magl. et Sarisb., sed habentur in Bellov. Aperte languent.

ander non in hostes, sed in suos saeviebat. Quamobrem Philippum 16
saepe vulneratum proelia remisere: hic amicorum interfector convivio
frequenter excessit. Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos 17
regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Litterarum cultus 18
utrique similis. Sollertiae pater maioris, hic fidei. Verbis atque 19
oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio ani- 20
mus et promtior et honestior; [ille nec sociis abstinebat.] Frugali-
tati pater, luxuriae filius magis deditus erat. Quibus artibus or- 21
bis imperii fundamenta pater iecit, operis totius gloriam filius
consummavit.

---

in hostes] Sic Sarisb., Bellov., mss. plerique Gronov., ob varietatem suavius. Vulgo: *in hostem*, etiam Bong.

saeviebat] Sic Bong., Sarisb., Bellov., et codd., ni fallor, omnes praeter coll. N., unde edd. nostris illatum est: *saevire*.

§ 16. *interfector*] Codd. Bong. omnes, 7 Gronov., Goth., Prag., Sarisb.: *interfectorum*, proclivi lapsu.

§ 17. *cum amicis nolebat*] i. e. quando inter amicos esset, regem agere nolebat, sed comem se et affabilem praebebat; quare ἐσεμνύνετο τοῖς διὰ τῆς ὁμιλίας ἐπιτεύγμασιν, Diodor. XVI, 95. Cf. quae hic illic Aeschines orator. Similiter Vorstius. Splendidiore quidem ad speciem oppositione vulgo e Sebisii coni. legitur: *regn. ille cum amicis volebat* (v. Graevium), sed recte animadvertente Weiskio (*de hyp.* P. I. p. 20): „Philippum cum amicis regnum communicasse minus vere diceretur.“ Quod idem coniicit: *coram amicis*, id non necessarium esse videtur. *Volebat* tamen habes ap. Sarisbar., Goth. (Crac., Prag.), ed. Rom.

§ 18. Bellov.: *sollertior pater; maioris hic fidei.*

§ 19. *moderatior*] Hae sectiones si iunctim leguntur, non obscurum est, quomodo hic moderationem tribuat cui § 14 eandem abiudicavit. Hoc vult: in sermonibus Philippus sibi temperavit ab omni superbia et insolentia, factis idem non raro immodice crudelis; Alexander vero, quem dictis saepe insolentissimum fuisse novimus, factis fere tam moderatum se praebebat, ut vel hostibus ignosceret; vide modo Arrian. exp. I, 7, quod instar omnium esse testimoniorum potest. Quare non assentimur Weiskio sic scribenti (*de hyp.* P. I. p. 47): „Philippus vel in gloriandi magnificentia vel accusandi vehementia vel in pollicitandi libertate vel in minandi gravitate haud raro longe ultra veri terminos evagabatur. Quare ap. Iustinum legendum mihi videtur *immoderatior*, verbum Iustino non indignum, sensui restituendo necessarium. Factis scilicet Alexander, dictis Philippus minus temperabat.“

§ 20. *et promt.*] *et* omitt. Sarisb. et Bellov.

[*ille nec sociis abstinebat.*] Haec prima Aldina addidit; desunt in omnibus codd., edd. anno 1522 vetustioribus, Sarisb., Bellov. Sed eiusmodi aliquid excidisse necesse est.

§ 21. *totius*] Sarisb.: *tanti.*

LIBER X.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS X.*)

Decimo volumine continentur Persicae 1) res. Ut Artaxerxes Mnemon 2), pacificatus cum Evagora, rege Cyprio, bellum Aegyptium in urbe Acc 3) compararit: ipse in Cadusiis victor, defectores 4) in Asia purpuratos suos persecutus 5): primum *Datamem** 6) praefectum [*Paphlagoniae*] 7): Paphlagonon 8) origo repetita: dein praefectum Hellesponti Ariobarzanen 9): deinde in Syria praefectum Armeniae Orontem 10) omnibusque victis decesserit filio successore Ocho 11). Is deinde occisis optimatibus Sidona cepit 12): Aegypto bellum ter 13) intulit.

* *Dopanem*

---

1) Bong.: *Persiae.*
2) Sic Vatt. et Crac. Vett. libri: *Annemon.*
3) Nam ea urbe ἐχρῶντο ὁρμητηρίῳ πρὸς τὴν Αἴγυπτον οἱ Πέρσαι, ut Bong. h. l. ex Strabone docuit; quod tum quoque factum esse perspicue intelligitur e Corn. Nep. Datam. c. 5; prudenter autem dixit *compararit* (Crac.: *compareret*), quia ἀπέτυχε (Plutarch. c. 24), ut Diodori narratio ostendit. Quare non assequor, quid Grauerto acciderit, cum haec scriberet: „His verbis nec sententia nec historia constat. Emendandum censeo *bell. Aeg. in Arabia composuerit* ex Diod. XV, 92 extr.“ Sed hoc nunquam factum est. Longuerrii quidam codd.: *Accon*, in quo erunt qui *Tacho* regis nomen speciosius quam verius quaerant.
4) Sic cod. Maxim., Leid. 2, Periz., Crac. Ceteri: *effectores*, correctum a Bongarsio, quem vide.
5) Grauert.: [*sit.*]
6) *Dopanem* omnes codd. exhibent, sed emendarunt Freinshem. et Longuerr. Scriptorum locos habes ap. Grauert.
7) Sic Grauertus; similiter Bong. et Mod. *Paphlagonum* geminarunt; alii *eorum* vel *quorum* inserunt.
8) Bong., Periz., Crac.: *Paphlagonum.* Semel omnes.
9) V. Bong. supr. ad *effectores.*
10) Haec, etiam Grauerto iudice, integra non esse videntur. Longuerrius consensum cum Diodoro effecturus reponit: *Dein Syriae praefectum ac Mysiae Orontem.* 5 codd. ap. Gron.: *Oronti;* deinde fere omnes: *in omnibusque*, quod expolivit Bong.
11) *Artaxerxe Ocho.* Haec fere sola ex toto libro Iustinus servavit.
12) Sic Bong. emendavit, q. v. Codd.: *Sidon accepit.*
13) At semel tantum cum Nectanebo, Aegypti rege, bellavit, non ter; quare Freinsh.: „Forte numeris expressa fuit haec vox *III* et legi oportuit *tertium* vel *tertius*, nempe post Cambysen et Artaxerxen.“ Grauertus coni.: *iterum*, i. e. postea, ut prol. 3. Possis etiam: *feliciter.*

Ut post mortem Ochi regnarit Arses[14]): dein Darius[15]), qui cum Alexandro, Macedonum rege, bello conflixit.

---

[14]) Codd.: *Arsen.* Crac.: *Tarses.*
[15]) Sic Periz., Crac. Ceteri codd.: *deinde reus*, in quo iam Bong. invenit: *Dein Dareus.* Hoc et occisos ab Ocho regni optimates recepit Iustin., c. 3.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Artaxerxis Mnemonis filii in patrem conspirant; sed conspiratione detecta parricidii poenas dant.*
2. *Causa parricidii ex libidine nata.*
3. *Ochus, Artaxerxis successor, cognatorum principum strage regiam replet. Codomannus, Armeniis praefectus, rex Persarum constituitur.*

I. Artaxerxi, regi Persarum, ex pellicibus centum et quinde- 1
cim filii fuere, sed tres tantum iusto matrimonio suscepti, Darius,
Ariarates et Ochus. Ex his Darium contra morem Persarum, apud 2
quos rex non nisi morte mutatur, per indulgentiam pater regem vi-
vus fecit, nihil sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset, 3
sinceriusque gaudium ex procreatione capturus, si insignia maiesta-
tis suae vivus in filio conspexisset. Sed Darius post nova paternae 4
pietatis exempla interficiendi patris consilium cepit: sceleratus, si 5
solus parricidium cogitasset; tanto sceleratior, quod in societatem
facinoris adsumtos quinquaginta fratres fecit parricidas. Ostenti 6
prorsus genus, ubi in tanto populo non solum sociari, verum etiam
sileri parricidium potuit: ut ex quinquaginta liberis nemo inventus
sit, quem aut paterna maiestas aut veneratio senis aut indulgentia
patris a tanta immanitate revocaret. Adeone vile paternum nomen 7

C. I. § 1. *Artaxerxi*] cogn. *Mnemoni.*
centum quindecim] (Sic Goth. et Bellov.) Coll. N.: *centum duodecim.*
tres] Cf. Glarean. h. l.
Ariarates] Sic codd. aliquot recc., ut Goth., Crac.; vett. omnes: *Aralratus*, ut Bellov. Plutarchus c. 30 vocat *'Αριάσπην.* Paullo ante quidam Gronovii: *Darcus;* v. p. 836, praesertim Bong. ad XI, 15, § 13 et Freinshem. ad Curt. III, 1, § 7.
§ 4. *nova*] insolita. — *consilium*] Goth.: *consilia.*
§ 6. *tanta immanitate*] Gronovius e Magl., Dorv. 1 et 2 edd. vett. Wopkensii suasu dedit: *a t. s c e l e r i s imman.* Crac.: *imman. sceleris.* Paullo ante Goth. *solum* omittit ante *sociari.* — *populo*] filiorum.

apud tot numero filios fuit, ut, quorum praesidio tutus etiam adversus hostes esse debuerat, eorum insidiis circumventus tutior ab hostibus quam a filiis fuerit?

1 2 II. Causa parricidii sceleratior ipso parricidio fuit: occiso quippe Cyro fraterno bello, cuius mentio supra habita est, Aspasiam, pel-
3 licem eius, rex Artaxerxes in matrimonium receperat. Hanc patrem cedere sibi, sicuti regnum, Darius postulaverat: qui pro indulgentia
4 sua in liberos primo facturum se dixerat; mox poenitentia ductus, ut honeste negaret quod temere promiserat, Solis eam sacerdotio praefecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur.
5 Hinc exacerbatus iuvenis in iurgia primo patris erupit; mox facta cum fratribus coniuratione, dum patri insidias parat, deprehensus cum sociis poenas parricidii diis paternae maiestatis ultoribus dedit.
6 Coniuges quoque omnium cum liberis, ne quod vestigium tanti sce-
7 leris exstaret, interfectae. Post haec Artaxerxes morbo ex dolore contracto decedit, rex quam pater felicior.

1 III. Hereditas regni Ocho tradita, qui timens parem coniurationem regiam cognatorum caede et strage principum replet, nulla, non sanguinis, non sexus, non aetatis misericordia permotus: sci-
2 licet ne innocentior fratribus parricidis haberetur. Atque ita veluti
3 purificato regno bellum Cadusiis infert. In eo adversus provocatorem

---

§ 7. *debuerat*] Mss. Bong., Prag.: *debuerit.*

C. II. § 2. *supra*] V, c. 11.

Aspasiam] Codd. Bong., Goth., Bellov.: *Astatian* s. *Astasiam;* 1 Bong., Crac., Prag.: *Astaxiam.*

§ 3. *sicuti regnum*] Bong.: *sicut;* Bellov., Crac.: *regno*, quia nonnulli, ut Goth.: *Hac.*

postulaverat] ex lege Persarum; v. Plutarch. c. 26.

§ 4. *Solis sacerdotio*] At Plutarch. c. 27: *τῆς Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἐκβατάνοις, ἣν Ἀνεῖτιν καλοῦσιν, ἱέρειαν ἀνέδειξεν αὐτήν, ὅπως ἁγνὴ διάγῃ τὸν ἐπίλοιπον βίον.* Iustini narratio etiam eo suspecta redditur, quod nusquam alias, quantum scio, mulierum in sacerdotium Solis lectarum mentio fit; cf. Brisson. *de regno Pers.* II, c. 69.

§ 5. *in iurgia*] „Quidam Mss. *in iniuriam.*" *Bong.*

§ 7. *haec*] Bellov.: *hoc*, et *facilior*, ut Ald.

C. III. § 1. *Ocho*] Artaxerxi Ocho. — *parricidis*] Bong.: *parricidiis.*

§ 2. *purificato*] qualia pro more mutans Bellov. IV, 90: *pacificato*, quod frustra tuetur Heusingerus, Emendd. p. 201.

Cadusiis infert] imo patris erat istud bellum; v. prolog., Plutarch. c. 24 sq., Diodor. XVII, 6. *Cadusiis* unus tantum e codd. Bong., sine dubio recentior, quia ita Goth., Crac., Prag.; ceteri *Adusis* vel *adversis;* Bellov.: *susis.* Edd. vett. falso: *Armeniis.*

§ 3. Vulgo legitur: *In eo cum adv. p. h. C. q. omnium* cett. Nos expressimus codd. Bong. et Gronov. omnium et Vinc. Bell. lectionem, bene defensam a Wopkensio; coll. N. et Bell. *cum* pro praepos. habentes scripserunt: *processit*, ut Freinshem. coniecerat.

hostium Codomannus quidam cum omnium favore processisset, hoste caeso victoriam suis pariter et prope amissam gloriam restituit. Ob 4
haec decora idem Codomannus praeficitur Armeniis. Interiecto dein- 5
de tempore post mortem Ochi regis ob memoriam pristinae virtutis rex a populo constituitur, Darii nomine, ne quid regiae maiestati deesset, honoratus; bellumque cum Alexandro Magno diu variante 6
fortuna magna virtute gessit. Postremo victus ab Alexandro et a 7
cognatis occisus vitam pariter cum Persarum regno finivit.

Codomannus] filius Arsami, filii Ostani, qui Artaxerxis regis frater fuerat; v. Diodor. XVII, 5 cum nota Wessel. Secundum alios ἀστάνδης i. e. ἡμεροδρόμος fuerat, antequam rex (v. Plutarch. Alex. 18 et alibi ap. Bong.); quod erunt qui propter *quidam* Trogum secutum putent; sed respice certe VIII, 1, 8, Wopkens. et Ruhnkenium ad Vellei. II, 64 et infr. XLII, 1, § 3. 5, § 6.

et prope] 5 Gronov.: *et belli pr.*

§ 5. *post mortem Ochi*] non statim, sed intercessit *Arses*. Rectius haec in prolog., q. v. et Vorst. h. l.

LIBER XI.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS XI.*)

Undecimo volumine continentur res gestae Alexandri Magni usque ad interitum regis Persarum Darii. Dictaeque in excessu origines et reges Cariae *).

---

*) Res Cariae omisit Iustinus.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Occiso Philippo Alexander filius succedit et Macedones in officio continet.*
2. *Idem paternas exsequias curat, civitates Graeciae Corinthum evocat et ab illis dux constituitur.*
3. *Graecos defectionem molientes coërcet.*
4. *Thebas victis incolis evertit, ipsis quoque Atheniensibus infestus.*
5. *In novercae suae cognatos et in consanguineos suos saevit: deinde bellum Persicum adgreditur.*

6. *Disciplinam militarem ordinat. Persas proelio superat.*
7. *Vitatis insidiis nodum Gordium fatalem callide solvit.*
8. *Tauro monte transscenso in gravissimum morbum incidit et sanitati restituitur.*
9. *Ad alterum proelium apparatus. Atrox pugna. Strages Persarum et fuga Darii; cuius uxor, mater, filiae captivae ab Alexandro regie excipiuntur.*
10. *Persis superatis a Persarum luxu Alexander superatur. Novae victoriae. Tyrus expugnata.*
11. *Rhodo, Aegypto et Cilicia receptis pergit ad Iovis Hammonis oraculum.*
12. *Conditiones pacis a Dario oblatas non accipit et regnum eius totum postulat.*
13. *Tertium proelium quae praecesserint.*
14. *Eiusdem proelii descriptio. Persae fugantur, victores praeda ingenti potiuntur.*
15. *Darius a suis vinctus et multis vulneribus confossus salutem dicit Alexandro et in morte regium animum prodit. Alexander Darii obitum fletu et regia sepultura decorat.*

---

1 I. In exercitu Philippi sicuti variae gentes erant, ita eo occiso
2 diversi motus animorum fuere: alii quippe iniusta servitute oppressi
3 ad spem se libertatis erigebant; alii taedio longinquae militiae re-
4 missam sibi expeditionem gaudebant; nonnulli facem nuptiis filiae
5 accensam rogo patris subditam dolebant. Amicos quoque tam subita mutatione rerum haud mediocris metus ceperat, reputantes nunc
6 provocatam Asiam, nunc Europam nondum perdomitam, nunc Illyrios et Thracas et Dardanos ceterasque barbaras gentes fidei dubiae et mentis infidae: qui omnes populi si pariter deficiant, sisti nullo
7 modo posse. Quis rebus veluti medela quaedam interventus Alex-
8 andri fuit: qui pro concione ita vulgus omne consolatus hortatusque pro tempore est, ut et metum timentibus demeret et in spem omnes

---

C. I. § 6. *sisti*] Sic codd. nescio quot Bong., 3 Gronov., Goth., Crac.; ceteri ut edd. vett.: *resisti*, quod ex interpolatione esse, lectio Pragensis docet: *his nullo modo resisti posse.* Bong. tamen et ipse: *resisti.* V. I. Fr. Gronov. ad Liv. IV, 12, § 6 et intt. h. l.

§ 7. *Quis r.*] Sic etiam Bong.; recte; v. Cort. ad Sallust. Iugurth. c. 80, § 5 et Drakenb. ad Liv. multis locis; v. indic. Med., Bodl., Goth., Prag.: *His reb.*

§ 8. *in spem omnes imp.*] Sic Bong., 4 codd. Gronov. et Crac., cum vulgo e tribus Gronov. (adde Goth.) et edd. vett. legatur: *in spem sui omnes imp.*; sed et inutile est illud *sui*, nec comparet in altera lectione interpolata: *et spe omnes impleret*, quae est in 1 Bong. et Prag. Livius XXVII, 45: *Famam bella conficere et parva momenta in spem*

impelleret. Erat hic annos viginti natus: in qua aetate ita moderate 9
de se multa pollicitus est, ut appareret plura eum experimentis reservare. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum praeter mili- 10
tiae vacationem dedit: quo facto tantum sibi favorem omnium conciliavit, ut corpus hominis, non virtutem regis mutasse se dicerent.

II. Prima illi cura paternarum exsequiarum fuit; in quibus 1
ante omnia caedis conscios ad tumulum patris occidi iussit. Soli 2
Alexandro Lyncistarum, fratri, pepercit, servans in eo auspicium dignitatis suae: nam regem eum primus salutaverat. Aemulum quo- 3
que imperii, Caranum, fratrem ex noverca susceptum, interfici curavit. Inter initia multas gentes rebellantes compescuit; orientes 4
nonnullas seditiones exstinxit. Quibus rebus erectus citato gradu 5
in Graeciam contendit: ubi exemplo patris Corinthum evocatis civitatibus dux in locum eius substituitur. Inchoatum deinde a patre 6
Persicum bellum adgreditur: in cuius apparatu occupato nuntiatur 7
Athenienses et Thebanos * *ab eo ad Persas defecisse auctoremque*

* *Lacedaemonios*

---

metumque impellere animos. Saepe *spes* absolute, ut Caesar: *huius adventu spe illata militibus* cett.

§ 10. *favorem omnium conc.*] Sic non solum omnes codd., sed Vinc. etiam Bellov. V, 23. Ex uno tamen Med. et ed. Rom. Gronovius reposuit: *tantum sibi favoris apud omnes conciliavit*, quod exemplis etiam illustrat.

C. II. § 2. *Alexandro Lyncistarum*] Sic h. l., c. 7, § 1 et XII, 14, § 1 pleno consensu codd. mss. et edd. ante Ald.; h. l. etiam Vinc. Bell. V, 22. Appellatur quidem ille *Alexander*, Aëropi filius, *Lyncestes* apud Curtium VII, 1, § 5, saepius, et apud Diodor. XVII, 32 et 80 *Λυγκιστής*, a *Lyncestis* vel *Lyncistis*, natione superioris Macedoniae; v. Dukerum ad Thucyd. II, 99, paullo plenius expressum ap. *Popponem*, prolegg. in Thucyd. Vol. II. pag. 417 sq. et Muellerum *de Macedonia* p. 16 sq. In Romanorum scriptis frequentior est forma in *e*; h. l. tamen pauciores, unus Bong., nonnulli Gronov., Goth., Crac.: *Lyncestarum*. Primus Fr. Asulanus, deinde I. Fr. Gronov. et alii certatim *Alexandro Lyncistae* vel *Lyncestae* correxerunt; sed altera lectio et constans ubique est et recte dudum explicata a *Munckero* ad haec Hygini: *Tullia Romanorum super parentis corpus currum duxit*, fab. CCLV, 5. Praeterea se torserunt Faber et Vorstius in voc. *fratri*, quid sit *Alexandro Lyncestae fratri?* neque alii explicuerunt; intellige *fratri consciorum caedis*, e testimonio Arriani *exp.* I, 25: *Ἦν μὲν δὴ ὁ Ἀλέξανδρος οὗτος ἀδελφὸς Ἡρομένους τε καὶ Ἀῤῥαβαίου, τῶν ξυνεπιλαβόντων τῆς σφαγῆς τῆς Φιλίππου.*

servans in eo] Bong., coll. C., Prag.: *servans sane in.* Deinde non praeter morem Iustini mss. aliquot Bong., Dorv. 2, Crac., ed. Rom.: *auspicia*, sed nullus, ut videtur, Gronovii.

§ 3. *Caranum* seqq.] v. ad IX, 7, § 3. — *curavit*] Bell.: *imperavit.*

§ 7. *in cuius apparatu occupato*] imo in bellis contra *Thraces*, *Triballos*, *Illyrios*, *Getas*, *Agrianos*, *Paeones*.

Ath. et Thebanos] Sic prima Ald. ex historiae fide (v. Bong.), et ut voluit scriptor; codd. omnes, Bellov. V, 29, Gobel. Pers. Cosmodr. V,

eius defectionis magno auri pondere a Persis corruptum Demosthenem
8 *oratorem exstitisse: qui Macedonum deletas omnes cum rege copias a*
Triballis adfirmaverit producto in concionem auctore, qui in eo proelio,
9 *in quo rex ceciderit, se quoque vulneratum diceret. Qua opinione mu-*
tatos omnium ferme civitatium animos esse; praesidia Macedonum ob-
10 *sideri.* Quibus motibus occursurus tanta celeritate instructo parato-
que exercitu Graeciam oppressit, ut, quem venire non senserant,
videre se vix crederent.

1 III. In transitu hortatus Thessalos fuerat beneficiorumque Phi-
lippi patris maternaeque suae cum his ab Aeacidarum gente necessi-
2 tudinis admonuerat. Cupide haec Thessalis audientibus exemplo pa-
tris dux universae gentis creatus erat et vectigalia omnia reditusque
3 suos ei tradiderant. Sed Athenienses, sicuti primi defecerant, ita
4 primi poenitere coeperunt, contemtum hostis in admirationem ver-
tentes pueritiamque Alexandri spretam antea supra virtutem veterum
5 ducum extollentes. Missis itaque legatis bellum deprecantur: qui-
6 bus auditis et graviter increpatis Alexander bellum remisit. Inde

---

c. 9 al.: *Ath. et Lacedaemonios*, currentis lapsu calami, quia alibi saepe hi populi iunctim appellari consueverunt; similiter erratum vidimus ab Orosio ad IX, 3, § 5. Vett. edd. ante Ald.: *Ath., Thebanos et Lacedaemonios.*

§ 8. *a Trib.*] „Ms. *ad Trib.* Lego *ab Trib.*“ *Bong.*

in quo rex] Goth. omittit praep.

C. III. § 1. Probabilius alii haec facta esse narrant, cum primo Alexander Graeciam ingrederetur, c. 2, § 5. Sic etiam *S. C. Examen critique des hist. d'Alex.* p. 219.

beneficiorum Phil. patr.] v. Diodor. XVI, 35; sed adde quae nos ad VIII, 3, in.

maternaeque suae cett.] Maternum genus Alexander ab Achille et Aeaco derivavit; v. illud stemma cum alibi tum apud *Eyssonium Wichers* ad Theopompi fragg. p. 242 sq. *Aeacidae* autem a Peleo in Phthia Thessaliae regnaverant (Diod. IV, 72, al. plurimi); quare non assequor quid hic turbet Bong.; apud Diodorum quidem non Aeacidarum, sed *Herculis*, a quo paternum ducebat genus, commonet Thessalos; quod hic non est locus explicandi.

ab Aeacidarum] Sic 1 Bong., Goth., Crac., Prag., edd. vett. Gronovius de suis tacet. Bongars.: *sub Aeacidarum g.;* sed num exstincta erat cum Aeacidarum gente illa necessitudo? hoc enim diceret Alexander. Itaque verum tetigisse videtur Schefferus scribens: „Voculae *ab* adhaesit litera *s* a voce praecedenti. Ita natum *sub*.“

§ 2. *reditusque*] „Mss. *peditesque*, inepte; equitatu enim valebant Thessali, ut ex lib. VII [6, § 8] constat et Homero.“ *Bong.*

§ 3—5. Hoc ceteri post excidium Thebarum factum esse testantur, nisi forte ex Plutarch. Demosth. c. 23 defendere Iustinum velis, sed collatus Diodor. XVII, 4 quanto id errandi periculo facias docebit (cf. *S. C. examen critique*, p. 232); mature tamen satis Athenienses auxiliandi Thebanis consilium abiecerant; v. Diod. XVII, 8. — *S. C. examen critique* p. 233 sq.: „*Justin parle de cette députation comme ayant eu lieu avant le siége de Thèbes: ce qui est un anachronisme*“ cett.

Thebas exercitum convertit, eadem indulgentia usurus, si parem
poenitentiam invenisset. Sed Thebani armis, non precibus nec de- 7
precatione usi sunt. Itaque victi gravissima quaeque supplicia mi-
serrimae captivitatis experti sunt. In consilio cum de excidio urbis 8
deliberaretur, Phocenses et Plataeenses et Thespienses et Orchome-
nii, Alexandri socii victoriaeque participes, excidia urbium suarum
crudelitatemque Thebanorum referebant; studia in Persas non prae- 9
sentia tantum, verum et vetera adversus Graeciae libertatem incre-
pantes: *quamobrem odium eos omnium populorum esse: quod vel ex eo* 10
manifestari, quod iureiurando se omnes obstrinxerint, ut victis Persis
Thebas diruerent. Adiiciunt et scelerum priorum fabulas, quibus 11
omnes scenas repleverunt, ut non praesenti tantum perfidia, verum
et vetere infamia invisi forent.

IV. Tunc Cleadas, unus ex captivis, data potestate dicendi: 1
non a rege defecisse se, quem interfectum audierint, sed a regis heredi-
bus: quidquid in eo sit admissum, credulitatis, non perfidiae culpam 2
esse; cuius tamen iam magna se supplicia pependisse deleta iuventute:
nunc senum feminarumque sicuti infirmum, ita innoxium restare vul- 3
gus, quod ipsum stupris contumeliisque ita vexatum esse, ut nihil
amarius umquam sint passi; nec iam pro civibus se, qui tam pauci 4
remanserint, orare, sed pro innoxio patriae solo et pro urbe, quae non
viros tantum, verum et deos genuerit. Privata etiam regem super- 5
stitione deprecatur geniti apud ipsos Herculis, unde originem gens
Aeacidarum trahat, actaeque Thebis a patre eius Philippo pueritiae:

---

§ 9. *studia in Persas*] V. Herod. VII, 233. IX, 15. 86 sqq.

§ 11. *scelerum priorum f.*] Eadem piacula Callistratus Atheniensium legatus Thebanis obiicit: *Thebis Oedipum natum, qui cum patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasse* (Nep. Epam. 6).

repleverunt] Sic Bong. sine dubio ex melioribus suis; nam similiter edd. vetustae omnes: *repleverant.* Prag., Crac.: *replevere.* Gronovius de suis nihil narrat. Vulgo, ut alii Bong. et Goth.: *repleverint*, quod emendationis speciem prae se fert; nostrum rhetore dignius.

C. IV. § 1. *Cleadas*] 1 Bong.: *Cleades;* Crac.: *Cleandes;* al. Bong.: *Cliodas.* Prag.: *Chodas.* Goth.: *Deadas.* Vett. edd.: *Eleadas.* Ceteris hic ignotus.

defecisse se] Pronomen deest in ed. Bong.; excidit igitur e vetustis codd. ob similitudinem syllabae praecedentis. Vulgo: *se defecisse*, e 4 codd. Oxoniensium; sic Goth., Crac., Prag.; minus bene et e correctione manifesta.

§ 2. *credulitatis*] Codd. et edd. vett. Bong. omnes: *crudelitatis,* quod in textu quoque eius remansit.

§ 4. *deos*] Bacchum, Herculem; v. Voss.

§ 5. *gens Aeacidarum*] ad mythica delatus rhetor vel inepte regiam Macedoniae domum *Aeacidarum gentem* appellavit, vel inscienter hanc ab Hercule descendisse opinatus est. — Goth.: *trahit.*

actaeque — pueritiae] Bongars.: „Mss. *actaeque — pueritiae*, quomodo legendum omnino; al. *propueritiae.*" Eundem genitivum legis in 6 Gronov., Dorv. 1 Goth., coll. C. et Leid. Voss. et, teste Wopkens.,

6 rogat *urbi parcat, quae maiores eius partim apud se genitos deos ado-*
7 *ret, partim educatos summae maiestatis reges viderit.* Sed potentior
fuit ira quam preces. Itaque urbs diruitur; agri inter victores divi-
8 duntur; captivi sub corona venduntur; quorum pretium non ex emen-
9 tium commodo, sed ex inimicorum odio extenditur. Miseranda res
Atheniensibus visa: itaque portas refugiis profugorum contra inter-
10 dictum regis aperuere. Quam rem ita graviter tulit Alexander, ut
secunda legatione denuo bellum deprecantibus ita demum remiserit,
ut oratores et duces, quorum fiducia toties rebellent, sibi dedantur:
11 paratisque Atheniensibus, ne cogantur subire bellum, eo res de-
12 ducta est, ut retentis oratoribus duces in exsilium agerentur; qui ex
continenti ad Darium profecti non mediocre momentum Persarum
viribus accessere.

1 V. Proficiscens ad Persicum bellum omnes novercae suae co-
gnatos, quos Philippus in excelsiorem dignitatis locum provehens
2 imperiis praefecerat, interfecit. Sed nec suis, qui apti regno vi-
debantur, pepercit, ne qua materia seditionis procul se agente in
3 Macedonia remaneret; et reges stipendiarios conspectioris ingenii ad

---

edd. (vett.) c. Ald. Bongarsius tamen in edit.: *actaque — pueritia*, ut Crac., Prag. et edd. vett. ap. Fisch. et quas ego vidi, Venett. 1497. 1507, sed correxisse se e codd. suis videtur. Veram interpretationem iam Wopkensius dedit: „Metum incutere regi conabatur Cleadas, ne, si Thebas dirueret, impius etiam in Manes patris sui foret, qui ibi pueritiam suam exegisset.“

§ 6. *apud se gen.*] Mire mss. Bong. et Goth. *se* omittunt.

§ 10. *toties*] Goth., ut mss. Bong.: *totiens.*

§ 11. *ne cogantur*] I. Fr. Gronovius ex 1 Bong., Med., ed. Rom.: *paratisque Ath., ne haec cogantur, subire b.;* sed historia repugnat.

duces] Pro hoc vocabulo Gobelinus Persona in suo libro videtur habuisse: *CCC* (an *ducēs?* i. e. *ducentos*, deinde negligenter scriptum?); v. Cosmodr. V, 9. — Quae hic et § 12 de *ducibus* narrantur, ex aliorum testimoniis in unum *Charidemum* cadunt. Cf. Wessel. ad Diod. XVII, 30. n. 6 et *S. C. examen critique* p. 234. Non ab re tamen Wetzelius duo ista millia Atheniensium militum memorat, inter Persas ad Granicum capta; Arrian. I fin.

C. V. § 1. *novercae suae cognatos*] Cleopatrae; in his novimus *Attalum*, patruelem eius, cui statim a principio regni insidias fecerat; Diodor. XVII, 2.

§ 2. Huius rei fides penes nostrum esto, quam tali tamen iudicio nolim impugnari, quale habes in *S. C. examen critique* p. 235 sq.: „*Une précaution aussi barbare n'étoit ni dans le coeur ni dans l'ésprit de ce jeune prince . . . . Alexandre fut plus sage; il confia le gouvernement de la Macédoine et de la Grèce à Antipatre, général habile et ami fidèle, avec* 12000 *hommes de pied et* 1500 *de cavalerie.*“

§ 3. *reges stipendiarios*] Recte hoc explicuit Berneccerus e Frontin. strateg. II, 11, § 3: *Alexander devicta perdomitaque Thracia petens Asiam, veritus, ne post ipsius discessum sumerent arma, reges eorum praefectosque et omnes, quibus videbatur inesse cura detractae libertatis, secum velut honoris causa traxit; ignobilibus autem relictis plebeios prae-*

commilitium secum trahit, segniores ad tutelam regni relinquit. Ad- 4
ornato deinde exercitu naves onerat; unde conspecta Asia incredibili
ardore mentis accensus duodecim aras deorum in belli vota statuit.
Patrimonium omne suum, quod in Macedonia Europaque habebat, 5
amicis dividit, *sibi Asiam sufficere* praefatus. Priusquam ulla navis 6
litore excederet, hostias caedit, petens *victoriam bello, quo toties a*
Persis petitae Graeciae ultor electus sit: quibus longa iam satis et 7
matura imperia contigisse quorumque tempus esse vices excipere melius
acturos. Sed nec exercitus eius alia quam regis animorum praesum- 8
tio fuit: quippe obliti omnes coniugum liberorumque et longinquae 9
domo militiae Persicum aurum et totius Orientis opes iam quasi
suam praedam ducebant; nec belli periculorumque, sed divitiarum
meminerant. Cum delati in continentem essent, primus Alexander 10
iaculum velut in hostilem terram iecit, armatusque de navi tripu-
dianti similis prosiluit; atque ita hostias caedit, precatus, *ne se re-* 11
gem illae terrae invitae accipiant. In Ilio quoque ad tumulos eorum, 12
qui Troiano bello ceciderant, parentavit.

VI. Inde hostem petens milites a populatione Asiae prohibuit, 1
parcendum suis rebus praefatus, *nec perdenda ea, quae possessuri ve-*
nerint. In exercitu eius fuere peditum triginta duo millia, equitum 2

---

fecit. Ed. Bong.: *regis*, qui ex uno tantum ms. et quibusdam impressis: *reges* protraxit; al. edd. vett. et Magl. eadem sententia: *regios stip.*, falsa verborum collocatione; nam *regis* est i. q. *patris*, quo ipso vocabulo usus fuisset Iustinus, si Philippi duces significare vellet.

commilitium] Goth.: *comitatum.*

§ 4. *Adornato d.*] Sic Bong., Prag. et coll. C. Vulgo, ut 1 Bong., Goth. al. et vett. edd.: *Adunato.*

duodecim aras deorum] Arrian. *exp.* I, 11, § 11: λέγουσι δὲ καὶ πρῶτον ἐκ τῆς νεὼς σὺν τοῖς ὅπλοις ἐκβῆναι αὐτὸν ἐς γῆν τὴν Ἀσίαν καὶ βωμοὺς ἱδρύσασθαι, ὅθεν τε ἐστάλη ἐκ τῆς Εὐρώπης καὶ ὅπου ἐξέβη τῆς Ἀσίας, Διὸς ἀποβατηρίου καὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ἡρακλέους. Numerus igitur ad *aras* referendus esse videtur, non ad *deos*, ut interpp. Similiter Arrian. V, 29: δώδεκα βωμοὺς κατασκευάζειν προςτάττει, terminum expeditionis significaturos, non τῶν δώδεκα θεῶν βωμούς, ut Diodorus XVII, 95; vide copiosas VV. DD. disputationes ibi laudatas ab Wesseling. nr. 21.

§ 9. *longinquae domo*] Sic Bong., quod non assequor cur dici nequeat. Vulgo: *long. a domo*, quod praeter edd. et 1 Bong. recentissimi tantum codd. habere videntur.

§ 10. *prosiluit*] Mss. Bong., Goth., Prag : *prosilivit.* Alias Bong. et codd.: *desiliit.*

§ 12. *eorum*] Sic codd. ad unum omnes, nec video quare damnari debeat, licet magnificentius sonet vulgatum: *heroum*, quod e Sebisii correctione receptum est; Arrianus quoque, Diodorus, Plutarchus: ἡρώων.

C. VI. § 1. *milites*] Mss. Bong., Franecq., Dorv. 2, Prag.: *militem*, quod commendari non debebat, propter praecedens *hostem.*

§ 2. De numero copiarum v. Bongars., Wessel. ad Diod. XVII, 17, Gronov. p. 839, *S. C. examen crit.* p. 236 sq.

3 quatuor millia quingenti, naves centum octoginta duae. Hac tam
parva manu universum terrarum orbem utrum admirabilius vicerit an
4 adgredi ausus fuerit, incertum est. Cum ad tam periculosum bel-
lum exercitum legeret, non iuvenes robustos nec primum florem ae-
tatis, sed veteranos, plerosque etiam emeritae militiae, qui cum
5 patre patruisque militaverant, elegit: ut non tam milites quam ma-
6 gistros militiae electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexage-
narius duxit: ut, si principia castrorum cerneres, senatum te ali-
7 cuius priscae reipublicae videre diceres. Itaque nemo in proelio fu-
gam, sed victoriam cogitavit; nec in pedibus cuiquam spes, sed in
8 lacertis fuit. Contra rex Persarum Darius fiducia virium nil astu
agere, adfirmans suis *occulta consilia victoriae furtivae convenire:*
9 nec hostem regni finibus arcere, sed in intimum regnum accipere,
10 gloriosius ratus repellere bellum quam non admittere. Prima igi-
11 tur congressio in campis Adrastiis fuit. In acie Persarum sexcen-
ta millia militum fuere; quae non minus arte Alexandri quam
virtute Macedonum superata terga verterunt. Magna itaque cae-
12 des Persarum fuit. De exercitu Alexandri novem pedites, cen-
13 tum viginti equites cecidere: quos rex impense ad ceterorum ex-
emplum humatos statuis equestribus donavit cognatisque eorum im-
14 munitates dedit. Post victoriam maior pars Asiae ad eum defecit.

---

§ 3. *utrum admirabilius vicerit* cett.] plane dictum ut V, 4, § 13. Sed Bong., codd. Gronovii praeter Med. et Leid. 3, Goth., Crac., Prag., edd. vett. ante Ald. et Iunt., confirmantibus Orosio et Freculpho: *utrum sit admirabilius* cett. quod defendere non audeo; sed alia videtur quam facili ista vel levi potius medicina egere.

§ 4 sqq. *S. C. examen critique* p. 237: *Tout cela manque d'exactitude. Sans doute il y avoit bien de vieux capitaines; mais il s'en trouvoit aussi beaucoup de jeunes: de ce nombre étoient Philotas, Nicanor, Philippe, Coenus, Perdiccas, Cratère, Calas et autres* cett.

patruisque] Alexandro et Perdicca contra Illyrios; v. VII, 5.

§ 6. *te alic.*] *te* deest in Goth. et Bellov.

§ 8 sq. Explicatur hoc iis, quae narrat Diodor. XVII, 18.

convenire] Sic mss. Bong., Goth. al.; sed Bong., Prag., vett. aliquot edd.: *non convenire*, quod sententiam perdit; v. Bernecc.

§ 10. *in campis Adrastiis*] „Ἀδραστείας πεδίον, per quod fluit Granicus fluvius, a quo hoc proelium dicitur *ad Granicum.*" *Bong.*, qui recte *Adrastiis* edidit; sic enim Romani regionum nomina mutabant; codd. eius aliquot: *Adrestis;* al. eiusd., Prag., Goth.: *Adrasteis.* Vulgo ex ed. Ald.: *Adrastiae.*

§ 11. *sexcenta millia mil.*] quod veritatis modum excedit; v. Glarean., Bong., al. h. l. et *S. C. examen critique* p. 239: „*Ce calcul choque toute vraisemblance.*" Diodorus: 100,000 peditum, 10,000 equitum.

§ 12. *novem* cett.] V. Bong. et *S. C.* l. l. p. 240 sq.

§ 13. *quos rex — statuis equestribus* cett.] nimirum viginti quinque equites e turma Socratis, qui primo impetu ceciderant; v. Freinsh. ad Suppl. Curt. II, 6. *S. C. examen critique* p. 241.

§ 14. *maior pars Asiae*] i. e. πᾶσα ἡ ἐντὸς τοῦ Ταύρου καὶ τοῦ Εὐφράτου, Strabo XII. p. 404, 29. Casaub.

Gessit et plura bella cum praefectis Darii, quos iam non tam armis 15
quam terrore nominis sui vicit.

VII. Dum haec aguntur, interim indicio captivi ad eum defertur 1
insidias ei ab Alexandro Lyncistarum, genero Antipatri, qui praepositus Macedoniae erat, *parari*. Ob quam causam timens, ne quis 2
interfecto eo in Macedonia motus oriretur, in vinculis eum habuit.
Post haec *Gordion** urbem petit, quae posita est inter Phrygiam 3
maiorem et minorem: cuius urbis potiundae non tam propter prae- 4
dam cupido eum cepit, sed quod audierat in ea urbe in templo Iovis iugum Gordii positum; *cuius nexum si quis solvisset, eum tota Asia regnaturum* antiqua oracula cecinisse. Huius rei causa et origo 5
illa fuit. Gordius cum in his regionibus bubus conductis araret, aves eum omnis generis circumvolare coeperunt. Profectus ad consulen- 6
dos augures vicinae urbis obviam in porta habuit virginem eximiae pulchritudinis; percontatus eam, *quem potissimum augurem consuleret:* illa audita causa consulendi, gnara artis ex disciplina paren- 7
tum, *regnum ei portendi* respondit; polliceturque *se et matrimonii et spei sociam*. Tam pulchra conditio prima regni felicitas videbatur. Post 8 9
nuptias inter Phrygas orta seditio est. Consulentibus de fine discor- 10

* *Gordien*

---

§ 15. V. Arrian. *exp.* I, 17 sqq. al.

C. VII. § 1. *Alex. Lyncistarum*] Vide ad 2, § 2. Ald.: *Lyncesta.* Vulgo: *Lyncista.*

§ 3. *Gordien*] Sic codd. omnes Bong., Gronov., Goth., Prag., Crac., Oros. et Freculph., unde Bongars. probabiliter restituit *Gordion* (*Γόρδιον*), quod ob sequens *urbem quae* a vetustis librariis in femininam formam mutatum esse non absimile vero est. Vett. edd. *Gordin*, post Asulanum *Gordieum* (*Γορδίειον*). Vulgo: *Gordium.*

inter Phrygiam mai. et min.] imo ulterius in Orientem, in maiore Phrygia ad Cappadociae fines; v. Voss. h. l.

§ 4. *iugum Gordii* quid sit, satis intelligitur; cf. Curt. III, 1, 15; ita autem omnes codd. Bong. (Gronov.), Crac., Prag., Goth. Ex solis edd. vett. et recentissimo cod. Dorv. 3 vulgo legitur: *iugum plaustri Gordii.*

§ 6. *vicinae urbis*] erat urbs *Telmessus*, quam Plinius *religiosissimam* vocat; *εἶναι γὰρ τοὺς Τελμισσέας σοφοὺς τὰ θεῖα ἐξηγεῖσθαι καί σφισιν ἀπὸ γένους δεδόσθαι αὐτοῖς καὶ γυναιξὶ καὶ παισὶ τὴν μαντείαν* (Arrian. II, 3); sed cum in extrema Lycia ad mare sita Gordio propinqua non esset, Vossius reposuit: *Telmissinae urbis*, probante Baylio *Dictionaire* v. *Telmessus*, not. B, vel Blancardus: *Telmissi u.* Iustinus tamen, harum rerum fere ignarus, opinionem suam secutus est, propinquos consultos esse a paupere viro. Cf. I. Fr. Gronov. ad Arrian. l. l.

habuit virginem] Mss. Bong.: *habita virgine.*

percontatus eam] Sic Bong. et vett. libri omnes, nominativo ab antecedentibus suspenso; v. Bremium ad Nep. Epam. 9. Cortt. ad Sallust. Iug. 1. p. 409. Vulgo ex Med., 3 Leidd., Dorv. 3 et edd. vett.: *percontatusque est eam.* Bestius et Wopkens. coniecerant: *Percontatur eam* cett.

§ 7. *respondit*] Goth.: *ostendit.*

L 2

11 diarum oracula responderunt *regem discordiis opus esse.* Iterato quae-
rentibus de persona regis, iubentur eum regem observare, quem re-
12 versi primum in templum Iovis euntem plaustro reperissent. Obvius
13 illis Gordius fuit, statimque eum regem consalutant. Ille plaustrum,
quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Iovis positum Maiestati
14 regiae consecravit. Post hunc filius Mida regnavit, qui ab Orpheo
sacrorum solemnibus initiatus Phrygiam religionibus implevit: qui-
15 bus tutior omni vita quam armis fuit. Igitur Alexander capta urbe
16 cum in templum Iovis venisset, iugum plaustri requisivit: quo exhi-
bito cum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non
posset, violentius oraculo usus gladio loramenta caedit: atque ita
resolutis nexibus latentia in nodis capita invenit.

1 VIII. Haec illi agenti nuntiatur Darium cum ingenti exercitu
2 adventare. Itaque timens angustias magna celeritate Taurum tran-
3 scendit; in qua festinatione quingenta stadia cursu fecit. Cum Tar-
sum venisset, captus Cydni fluminis amoenitate per mediam urbem
influentis, proiectis armis, plenus pulveris ac sudoris in praefrigidam
4 undam se proiecit. Tum repente tantus nervos eius occupavit rigor,
ut interclusa voce non spes modo remedii, sed nec dilatio periculi
5 inveniretur. Unus erat ex medicis, nomine Philippus, qui solus re-
medium polliceretur; sed et ipsum Parmenionis pridie a Cappadocia
6 missae epistolae suspectum faciebant: qui ignarus infirmitatis Alex-
andri scripserat, *a Philippo medico caveret: nam corruptum illum a*
7 *Dario ingenti pecunia esse.* Tutius tamen ratus dubiae se fidei me-
8 dici credere quam indubitato morbo perire. Accepto igitur poculo
epistolas medico tradidit; atque ita inter bibendum oculos in vultum
9 legentis intendit. Ut securum conspexit, laetior factus est sanita-
temque quarta die recepit.

---

§ 12. *Gordius*] Apud Arrianum *Midas* filius.
§ 13. *Maiestati regiae*] τῷ Διὶ βασιλεῖ, Arrian.
§ 14. Supra VII, 1; § 11 Pompeius alios auctores secutus est.
§ 15. *plaustri requis.*] Sic Bong., Goth., edd. vett. Ex recentt. codd., quibus accedunt Crac., Prag., vulgo editur: *plaustri* **Gordii** *requis.*, quo lubenter caremus.
§ 16. Goth.: *resolutis nodis latentia in nexibus cap.*

C. VIII. § 2. *quingenta stadia*] Vinc. Bell. V, c. 30 addit: *uno die*, ut in vita Terentii: *Eunuchus bis* [*die*] *acta est.*
§ 3. *influentis*] Sic Bong., Bellov. et ceteri codd., praeter coll. N. et Dorv. 3, unde Gronovius edidit: *fluentis.*
§ 4. *Tum*] Bellov.: *Tunc.* Mss. Bong.: *cum.*
§ 5. *polliceretur*] Bong. et Bodl.: *pollicetur*, aeque recte, sed ortasse pro compendio illius haberi debet.
§ 7. *tamen ratus*] Sic omnes codd. Bong., Goth., Prag., Dorv. 2. 3, edd. vett., paullo concitatius. Edd.: *tamen* **est** *ratus.* Crac.: *r. est.*
indubitato morbo] i. e. certo, dum perfidia medici tamen esset incerta et dubia. Quare non opus est Sebisii emendatione: *indubitata morte.*

IX. Interea Darius cum quadringentis millibus peditum ac cen- 1
tum millibus equitum in aciem procedit. Movebat haec multitudo 2
hostium respectu paucitatis suae Alexandrum: sed interdum reputa-
bat, quantas res cum ista paucitate gessisset quantosque populos
fudisset. Itaque cum spes metum vinceret, periculosius differre 3
bellum ratus, ne desperatio suis cresceret, circumvectus suos singu-
las gentes diversa oratione adloquitur: Illyrios et Thracas opum ac 4
divitiarum ostentatione, Graecos veterum bellorum memoria inter-
necivique cum Persis odii accendebat; Macedones autem nunc Eu- 5
ropae victae admonet, nunc Asiae expetitae; nec inventos illis toto
orbe pares viros gloriatur: ceterum et laborum finem hunc et gloriae 6
cumulum fore. Atque inter haec idemtidem consistere aciem iubet, 7
ut hac mora consuescant oculis turbam hostium sustinere. Nec Darii 8
segnis opera in ordinanda acie fuit: quippe omissis ducum officiis
ipse omnia circumire, singulos hortari, veteris gloriae Persarum
imperiique perpetuae a diis immortalibus datae possessionis admo-
nere. Post haec proelium ingentibus animis committitur. In eo 9
uterque rex vulneratur. Tamdiu certamen anceps fuit, quoad fu-
geret Darius. Exinde caedes Persarum secuta est. Caesa sunt pe- 10
ditum unum et sexaginta millia, equitum decem millia; capta qua-

---

C. IX. § 1. *quadringentis*] Sic codd. Bong. et Gronov. praeter unum, Prag., Crac., Vinc. Bell. V, c. 30. Matth. Aet. V, c. 8. Consentit Diodorus XVII, 31. Sed Periz., Goth., edd. vett., Oros., Freculph.: *cum trecentis*. Arrian. I, 8, § 12: ἐλέγετο γὰρ ἡ πᾶσα ξὺν Δαρείῳ στρατιὰ μάλιστα ἐς ἑξήκοντα μυριάδας μαχίμους εἶναι. — Narratur pugna ad *Issum* Ciliciae.

§ 3. *suis cresceret*] Schefferus probante Graevio: *succresceret*, ut Leidd. 2. 5. Sed desperatio iamiam incipiens et adspectu hostium ingruens intelligitur.

§ 5. *Macedones*] Vulgo: *Macedonas*, e paucis iisque non antiquis codicibus.

inventos — viros] Ita codd. ad unum omnes; vulgo tamen ex edd. vett. commendante etiam I. Fr. Gronovio legitur *inventas — vires*, quod durissimum certe est, quia *vires* absolute dicuntur neque, quaenam sint aut cuiusnam, additur, ut in reliquis quae laudantur exemplis.

§ 8. *Darii segnis — fuit*] In libris Bongars., qui maiusculis fere exarati erant, aliquot ex DARISEḠIS aberraverant in DARIREGIS; ex hac corruptione subnata est in uno cod. emendatio *defuit;* quam recipere non debebant Bernecc. et Ign. Seibt.

§ 9. *uterque rex*] *S. C. examen critique* p. 251: „*Justin prétend que Darius reçut également une blessure; ce qu'aucun autre historien n'a rapporté.*"

§ 10. *unum et sexag. m.*] Mss. Bong., Goth., Crac., 4 Gronov.: *sex. unum;* Bellov. V, 30: *sex. et unum.* Oros. et Freculph., coll. N.: *octoginta millia.* Gronov. ad Arrian. II, 11: *sex et nonaginta m.* Freinshem.: *centum et sexaginta.* Cf. Bong. et *St. Cr. ex. cr.* p. 252.

draginta millia. Ex Macedonibus cecidere pedestres centum triginta,
11 equites centum quinquaginta. In castris Persarum multum auri ce-
12 terarumque opum inventum. Inter captivos castrorum mater et uxor
13 eademque soror et filiae duae Darii fuere. Ad quas visendas hor-
tandasque cum Alexander venisset, conspectis armatis invicem se
14 amplexae, velut statim moriturae, complorationem ediderunt. Pro-
volutae deinde genibus Alexandri non mortem, sed, dum Darii cor-
15 pus sepeliant, dilationem mortis deprecantur. Motus tanta mulierum
pietate Alexander et Darium vivere dixit et timentibus mortis metum
16 demsit, easque haberi ut reginas praecepit; filias quoque non sor-
didius dignitate patris sperare matrimonium iussit.

1 X. Post haec opes Darii divitiarumque apparatum contemplatus
2 admiratione tantarum rerum capitur. Tunc primum luxuriosa con-
vivia et magnificentiam epularum sectari; tunc Barsinen captivam
3 diligere propter formae pulchritudinem coepit: a qua postea susce-
4 ptum puerum Herculem vocavit. Memor tamen adhuc Darium vivere
Parmenionem ad occupandam Persicam classem aliosque amicos ad
5 recipiendas Asiae civitates misit: quae statim audita fama victoriae
ipsis Darii praefectis cum auri magno pondere tradentibus se in po-
6 testatem victorum venerunt. Tunc in Syriam proficiscitur: ubi ob-
7 vios cum infulis multos Orientis reges habuit. Ex his pro meritis

---

centum triginta] nimirum τῶν οὐκ ἠμελημένων Μακεδόνων, Arrian. *exp.* II, 10 extr.

§ 13. *hortandasque cum*] Mss. aliquot Bong.: *hortandasque in communi* (ceterorum calamitate? an belli sorte?) *positas cum;* deinde *veniret.*

conspectis armatis] An *consp. armis patris?* Lege Arrian. *exp.* II, 12, § 5 sqq. Plutarch. c. 21.

§ 15. *haberi ut r.*] Sic Bong., cuius unus tantum cod., ut vulgo: *haberi et salutari ut r.;* praeterea 8 codd. ap. Gronov., Goth., Prag., Crac. cum vett. edd. inutile istud et languidum additamentum praebent.

C. X. § 2. *epularum*] Omitt. Bellov. V, c. 31.

Barsinen] Βαρσίνην, ut codd. in XIII, 2, § 8 habere videntur. Hoc loco Bong.: *Barsenen*, ut Bellov., Prag. al. Vett. edd. et coll. N.: *Barsinen.* Goth.: *Barsanen*, ut 1 Bong. altero loco. Ceterum *Aristobulum* h. l. sequitur Trogus, qui Barsinen post hanc pugnam Damasci captam Artabazi ex regis filia natam et Memnonis ducis viduam fuisse narravit; v. Plutarch. c. 21. Eumen. 1. Cf. Curt. III, 13, § 14.

§ 3. *Herculem*] v. Curt. X, 6, § 11 ibique Freinsh.

§ 4. *Parmenionem*] Vulgo contra codd.: *Parmeniona.* Rem apud ceteros non inveni.

§ 5. *Darii praefectis*] ut praefectus Damasco; Curt. III, ult.

§ 6. *multos Orientis reges*] Insigne, ni fallor, magniloquentiae rhetoricae exemplum. Recte Vossius: „Puto respicere Iustinum ad memorabilem illam historiam, quam Iosephus (Antiq. XI, 8) de Iaddo, summo Iudaeorum sacerdote, narrat.“ Idem iudicium est Sancto-Crucii, *examen critique*, p. 557, ubi hanc rem tractat copiosissime. Adde Arrian. *exp.* II, 13, § 9 sqq. Plutarch. c. 24: *Κύπρον μὲν οὖν εὐθὺς οἱ βασιλεῖς ἧκον ἐγχειρίζοντες αὐτῷ καὶ Φοινίκην πλὴν Τύρου.* Diodor. XVII, 40 de urbibus tantum sponte dedentibus se loquitur.

singulorum alios in societatem recepit, aliis regnum ademit suffectis in loca eorum novis regibus. Insignis praeter ceteros fuit Abdalo- 8
nimus, rex ab Alexandro Sidoniae constitutus: quem Alexander, cum 9
operas oblocare ad puteos exhauriendos hortosque irrigandos solitus esset, misere vitam exhibentem regem fecerat, spretis nobilibus, ne generis id, non dantis beneficium putarent. Tyriorum civitas cum 10
coronam auream magni ponderis per legatos in titulum gratulationis Alexandro misisset, grate munere accepto *Tyrum se ire velle ad vota Herculi reddenda* dixit. Cum legati *rectius id eum Tyro vetere et* 11
antiquiore templo facturum dicerent, deprecantes eius introitum: ita exarsit, ut urbi excidium minaretur; confestimque exercitu insu- 12
lae applicato, non minus animosis Tyriis fiducia Carthaginiensium, bello excipitur. Augebat enim Tyriis animos Didonis exemplum, 13
quae Carthagine condita tertiam partem orbis quaesisset: turpe ducentes, si feminis suis plus animi fuisset in imperio quaerendo quam sibi in tuenda libertate. Amota igitur imbelli aetate Carthaginem et 14
arcessitis mox auxiliis non magno post tempore per proditionem capiuntur.

XI. Inde Rhodum Alexander, Aegyptum Ciliciamque sine cer- 1

---

§ 7. V. Arrian. l. l.

§ 8. *Abdalonimus*] Sic etiam Bong., qui tamen vett. suos mire variare dicit: unus *Abdatominus*, ut Actor apud Bellov. V, 25; Goth. et Crac.: *Abdatonius;* 1 Bong. et Bodl.: *Abactonimus.* Edd. vett.: *Abartomius;* aliae conspirant in *Abdolominus.* V. omnino Freinsh. ad Curt. IV, 1, 19, qui: *Abdolonimus* praefert et Wessel. ad Diod. XVII, 46, n. 6, qui narrationis quoque varietatem expendit et nostro Curtioque accedit. Cf. *S. C. examen crit.* p. 275.

Sidoniae] Sic Bong., cuius nonnulli *Sidonae*, unus *Sidone*, quod probabat I. Fr. Gronov. ad Senec. Quaest. N. VI, 4; *Sidone* etiam Actor l. l.

§ 9. *operas*] Sic Bong., Goth., Prag. al., optime; v. Ernesti clav. Cic. v. *operae.* Vulgo: *operam;* at sic unus tantum Bong.

§ 11. *id eum Tyro*] Verissima coniectura Bong., confirmata recc. codicibus; ipsius enim vett. praeter unum: *deum* vel *dm̃ T.;* sed quam contra libros inseruit praepositionem, *in Tyro*, eam recte delevit Wopk., q. v.

deprecantes] Sic Bong., 8 Gronov., Goth., Crac., recte probantibus Wopkensio et Gronovio. Vulgo: *in deprec. ei. intr. ita exarsit.*

§ 13. *turpe ducentes*] Praeter necessitatem I. Fr. Gronov.: *t. ducentibus;* v. Cortt. ad Sallust. Iugurth. 33, § 2 al.

§ 14. *non magno tempore*] imo septem mensium, per quos urbs obsessa est.

per proditionem] Etiam hoc falsum; v. *S. C. examen crit.* p. 271 sqq.

C. XI. § 1. *Inde Rhodam Al.*] Sic recentt. certe codd. sine varietate, confirmati ab Orosio III, 16. 17. Bongarsius quidem: „Haec lectio, inquit, mihi propter Mss. varietatem suspecta est; eorum plerique habent: *Inter haec dum Alex. . . . recipit, ad I.*“ Sed sic solent etiam in optimis libris nomina propria levi mutatione in continuum sermonem converti.

Ciliciamque] Antiquus error, Orosii duplici testimonio (III, 16 et 17)

2 tamine recipit. Ad Iovem deinde Hammonem pergit consulturus et
3 de eventu futurorum et de origine sua. Namque mater eius Olympias confessa viro suo Philippo fuerat: *Alexandrum non ex eo se, sed*
4 *ex serpente ingentis magnitudinis concepisse.* Denique Philippus ultimo prope vitae suae tempore *filium suum non esse* palam praedica-
5 verat. Qua ex causa Olympiadem, velut stupri compertam, repu-
6 dio dimiserat. Igitur Alexander cupiens originem divinitatis adquirere, simul et matrem infamia liberare, per praemissos subornat
7 antistites, quid sibi responderi vellet. Ingredientem templum sta-
8 tim antistites ut Hammonis filium salutant. Ille laetus dei adoptione
9 hoc se patre censeri iubet. Rogat deinde, *an omnes interfectores parentis sui sit ultus?* Respondetur *patrem eius nec posse interfici,*
10 *nec mori: regis Philippi peractam plene ultionem esse.* Tertia interrogatione poscenti *victoriam omnium bellorum possessionemque terra-*
11 *rum, dari* respondetur. Comitibus quoque suis responsum, *ut*
12 *Alexandrum pro deo, non pro rege colerent.* Hinc illi aucta insolentia mirusque animo increvit tumor exemta comitate, quam et Grae-
13 corum litteris et Macedonum institutis didicerat. Reversus ab Hammone Alexandriam condidit et coloniam Macedoniam caput esse Aegypti iubet.

---

confirmatus, ab Iustino, ut equidem suspicor, commissus. Dudum enim Alexander Ciliciam tenebat. Freinshemio in mentem venit *Cyrenen*, cui coniecturae nihil repugnat; v. Diodor. XVII, 49. Curt. IV, 7, § 9, ubi vide Rader., quos non videtur inspexisse Vorstius. Minus bene Vossius: *Syriamque.* Cod. Thuan.: *Litiamque*, unde elicit Gronov: *Libyamque* coll. Arrian. III, 2 et Curt. IV, 8, § 5. Cod. Goth.: *Siciliamque.*

recipit] Mss. Bong., Bodl., coll. C., Crac.: *recepit.*

§ 2. *deinde*] omittunt plerique mss. Bong.; Bellov. non habet *Iovem.*

§ 5. *Olympiadem*] Vulgo: *Olympiada.* Goth.: *Olympiadam.*

stupri compertam] Mss. aliquot Bong., Dorv. 2: *stupro c.*, quod longe aliud esse recte animadvertit Vorstius, q. v. ad Sulpic. Sever. H. S. I, 38; neque tueri debebat Wopkens., conferens alienum locum Suetonii, Tib. 35: *ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret.*

§ 6. *vellet*] Sic Bong. sine v. l. et Prag., recte probante Wetzelio coll. XXXIV, 3 in. Vulgo: *velit*, ut Goth., ob praecedens *subornat.*

§ 8. *laetus*] Bellov.: *laetatus.*

§ 9. *peractam plene*] Bong. ed.: *peractam pene;* in mss. eius et Prag.: *paene pera. ult.*, omisso *esse*, quod in Goth. quoque et Crac. deest; Goth. etiam *plene* omisit.

§ 10. *Tertia interrogatione p.*] Sic 1 Bong., Med., Bodl., Leid. 5, coll. N., Dorv. 1, Crac., uti ipsa sententia legendum praecipit; v. Schefferum, qui unus hic audiendus est. Bong. et ceteri libri: *tertiam interrogationem posc.*, scriba de intellectu loci aberrante.

dari] Mss. Bong.: *sibi dari.*

§ 13. *Alexandriam*] De tempore conditae Al. v. *S. C. examen crit.* p. 626 sqq.

coloniam Macedoniam] Sic codd. Bong. uno excepto omnes, sed 2 tantum (?) Gronov., Leid. 3 et 4. Vinc. Bellov.: *et ad coloniam Mace-*

XII. Darius, cum Babyloniam profugisset, per epistolas Alexandrum precatur, *redimendarum sibi captivarum potestatem faciat,* 1
inque eam rem magnam pecuniam pollicetur. Sed Alexander in pretium captivarum regnum omne, non pecuniam petit. Interiecto 2 3
tempore aliae epistolae Darii Alexandro redduntur, quibus filiae matrimonium et regni portio offertur. Sed Alexander *sua sibi dari* rescripsit; iussitque *supplicem venire et regni arbitria victori permittere.* 4
Tum spe pacis amissa bellum Darius reparat; cum quadringentis 5
millibus peditum et centum millibus equitum obviam vadit Alexandro.
In itinere nuntiatur *uxorem eius ex collisione abiecti partus decessisse,* 6
eiusque mortem illacrimatum Alexandrum exsequiasque benigne prosecutum, idque eum non amoris, sed humanitatis causa fecisse. Nam 7
semel tantum eam Alexandro visam esse, cum matrem filiasque eius parvulas frequenter consolaretur. Tunc se ratus vere victum, cum 8
post tot proelia etiam beneficiis ab hoste superaretur, gratumque

---

donicam c. *Aeg. e. i.* Sed *Macedonius* h. l. pro adiectivo haberi debet, ut Ovid. Metam. XII, 466: *Macedoniaque sarissa;* Plaut. Pseud. I, 3, 112: *militi Macedonio*, quod tamen idem Douza Fil. falso reposuit eiusd. fab. IV, 7, 112, ubi etiam versus evincit legendum esse: *Macedonis militis.* Fortasse Gellii quoque illud (IX, 3) huc referri potest: *Philippus, Amyntae filius, terrae Macedoniae rex;* sic *Graecia gens*, *civitas*, *Asia myrtus*, *mulier Gallia;* in quae inquirere non est huius loci; sed plurima eiusmodi collecta habes in *Vechneri* Hellenolex. p. 186 sqq. c. nott. *Heusingeri*, ubi maior tamen pars ad appositionem pertinet. Vulgo: *colon. Macedonum*, ut mss. recentt. et edd. vett.

C. XII. § 1. *profugisset*] i. e. Babylonem versus ab Isso profugus factus esset; s. antequam Babylone advenisset. Sic Curtius voluisse videtur et Arrian. II, 14. Nonnulli Bong. et Goth.: *perfugisset*, ut Diodor.: *διανύσας εἰς Βαβυλῶνα*, c. 39.

precatur] Sic Bong. mss. praeter 1, 9 Gronov., Goth., Prag., Vincent. V, 34. Tamen vulgo in edd. habetur: *deprecatur*.

§ 2. *in pretium*] Sic Bong. codd. praeter 1, Prag., mss. Gronov. praeter 4. Vulgo suasu I. Fr. Gronovii praep. omittitur; sed v. Duker. ad Flor. I, 26, Wopkens. supr. ad VII, 3, 2.

§ 5. *cum quadring.* cett.] Dissentiunt scriptores in his numeris; v. Bernecc., adde Diodor. XVII, 39 et 53. Arrian. III, 8. *S. C. examen critique* p. 297 sq. De errore Orosii III, 17 in. v. Fabric. ad ipsum et Gronov. p. 844.

§ 7. *parvulas*] at iam nubiles erant, vid. c. 9 extr. Quare Gisb. Cuperus emendavit: *matrem, filias filiumque eius parvulum fr.* c., sex annorum, simul captum; Iac. Gronov.: *pavidas*, quod cum voce *frequenter* commode iungi non posse vidit Wetzel. Sed versamur in scriptore rhetore, talia non anxie expendente, dum animos commoveat auditorum. Ceterum in codd. Bong. omnibus vere legi: *filiasque eius parvulas*, inde apparere videtur, quod cod. Prag. v. l. non praebet; minus bene mss. Gronov. omnes, Crac., Goth., Bellov., vett. edd.: *parvulasque filias eius.*

§ 8. *Tunc se*] Sic Bong., 9 Gronov., Goth., Crac., Prag. Vulgo: *Tunc Darius se.*

post tot proel.] Sic Bong. Deest quidem voc. *tot* in eiusdem nescio

sibi esse, si vincere nequeat, quod a tali potissimum vinceretur.
9 Scribit itaque et tertias epistolas et gratias agit, quod nihil in suos
10 hostile fecerit. Offert deinde maiorem partem regni usque flumen
Euphraten et alteram filiam uxorem; pro reliquis captivis triginta
11 millia talentûm. Ad haec Alexander *gratiarum actionem ab hoste su-*
12 *pervacaneam esse* respondit; *nec a se quidquam factum in hostis adu-*
lationem, nec quod in dubios belli exitus aut in leges pacis sibi leno-
13 *cinia quaereret; sed animi magnitudine, qua didicerit adversus vires*
14 *hostium, non adversus calamitates contendere;* polliceturque *praesta-*
15 *turum se ea Dario, si secundus sibi, non par haberi velit. Ceterum*
neque mundum posse duobus solibus regi, neque orbem summa duo re-
16 *gna salvo statu terrarum habere: proinde aut deditionem ea die aut in*
posteram aciem paret; nec polliceatur sibi aliam, quam sit expertus,
victoriam.

1 XIII. Postera die aciem producunt: cum repente ante proelium
2 confectum curis Alexandrum somnus arripuit. Cum ad pugnam so-
lus rex deesset, a Parmenione aegre excitatus, quaerentibus somni
causas omnibus inter pericula, cuius etiam in otio semper parcior
3 fuerit: *magno se aestu liberatum* ait, *somnumque sibi a repentina se-*
curitate datum, quod liceat cum omnibus Darii copiis confligere; veri-
4 *tum se longam belli moram, si Persae exercitum divisissent.* Ante
5 proelium utraque acies hostibus spectaculo fuit. Macedones multi-
tudinem hominum, corporum magnitudinem armorumque pulchritu-
dinem mirabantur: Persae a tam paucis victa suorum tot millia stu-

---

quot codd., 9 Gron., Goth., Prag. (et sic vulgo legitur); sed ut propter praecedentes litteras facile praeteriri poterat, ita sententiam apprime adiuvat et auget.

§ 10. *flum. Euphr.*] Bellov., Goth., Crac.: *Euph. fl.*
triginta m.] v. Glarean.

§ 11. *supervacaneam*] Bong.: *supervacuaneam:* „quod est in optimo ms., ut supra III, 6, § 3: *supervacuaneos.*" Goth.: *actiones — supervacaneas.*

§ 13. *qua*] Ms. Bong.: *quia;* multi eius fere ubique: *adversum.*

§ 15. *posse duobus*] Mss. Bong.: *sibi* (an *sub?*) *duob.* Crac.: *posse sub duob.*

§ 16. *victoriam*] cum amara irrisione; Hottingerus tamen „hoc militis gloriosi, non viri fortis responsum" iudicans reposuit e Curtio IV, 11, § 23: *fortunam.* His ipse fruatur!

C. XIII. § 1. *cum rep.*] Sic mss. Bong., 3 ap. Wopk., Goth., Prag.; quod recto iudicio Schefferus praestare h. l. dixit. Edd. ceteri, etiam Bong.: *tum.*

§ 2. *cuius etiam*] Recepimus coniecturam Bong. et Fr. Asulani, cum codd. omnium lectio: *cum etiam* ad iungendas sententias nullo modo sufficiat. Lectio *cuius* ex uno Magliab. affertur, a correctoribus multum tractato; sed vocabula *cuius* et *etiam* compendiis fere scribi solebant, a quibus vitium exortum videri potest.

§ 3. *veritum se*] *se* omitt. Bellov.

pebant. Sed nec duces circumire suos cessabant: Darius *vix denis* 6 7
Armeniis singulos hostes, si divisio fieret, evenire dicebat; Alexander 8
Macedonas monebat, *ne multitudine hostium, ne corporis magnitudine*
vel coloris novitate moverentur: tantum meminisse iubet, *cum iisdem* 9
se tertio pugnare; nec meliores factos putarent fuga, cum in aciem
secum tam tristem memoriam caedium suarum et tantum sanguinis
duobus proeliis fusi ferrent; et quemadmodum Dario maiorem turbam 10
hominum esse, sic virorum sibi. Hortatur, *spernant illam aciem auro* 11
et argento fulgentem, in qua plus praedae quam periculi sit; cum victoria non armorum decore, sed ferri virtute quaeratur.

XIV. Post haec proelium committitur. Macedones in ferrum 1
cum contemtu toties a se victi hostis ruebant: contra Persae mori
quam vinci praeoptabant. Raro ullo proelio tantum sanguinis fusum 2
est. Darius cum vinci suos videret, mori voluit et ipse; sed a pro- 3
ximis fugere compulsus est. Suadentibus deinde quibusdam, ut pons 4
Cydni fluminis ad iter hostium impediendum intercluderetur: *non ita*

---

§ 7. *denis Armeniis*] Sic codd. omnes Bong., Goth., Crac. (Prag.: *armigeris*); erant autem *Armeniorum* copiae sub Oronte et Mithrauste ducibus in exercitu Darii; v. Arrian. III, 8, § 9. 11, § 9. Curt. IV, 12, § 10. Universae Darii copiae Graecis testibus *millenorum millium* numerum superabant (v. laudd. ad 12, § 5), quibus Alexander *quadraginta* tantum *quatuor millia* opponebat (v. Arrian. III, 12, licet non recte habere hunc numerum de *Guischardi* rationibus iudicet *S. C. exam. crit.* p. 298); noster ergo locus *quadringenta* ferme Armeniorum *millia*, sive amplius tertiam partem copiarum Darii Armenios fuisse significaret: quod nimium quidem est, non ita tamen ab omni probabilitate abhorret, quin securas aures fallere possit. Et ipsa sententia rhetorem egregie decet; at quid illud est: *vix denis armatis singulos hostes evenire?* quibus quaeso *armatis?* dicendum erat: *suis.* Hoc tamen omnes, quotquot novi, editiones tacentibus criticis exhibent.

§ 8. *ne corp.*] Sic Bong., 2 Leidd., Goth. Vulgo: *nec corp.*, sicut unus tantum e Bong.

§ 9. *ferrent*] Mss. Bong., 5 Gronov., in quibus Thuan., Crac., Prag.: *perferrent.*

§ 11. *armorum*] Quod I. Fr. Gronovius malebat: *ornamentorum*, praeter vett. edd. plurr. est in 4 recc. Gronov., Dorv. 1, Goth.

C. XIV. § 1. *proelium*] Apud *Gaugamela* vicum, qui sexcentis stadiis abest ab *Arbela* urbe, a qua et ipsa hoc proelium denominatur.

§ 2. *Raro ullo*] Sic Bong., melius vulgato: *raro in ullo*, quod quidam Bong. habent et 11 alii, sed omnes recentiores, tum exscriptores, qui talia inserere solent.

§ 3. *voluit et ipse*] Goth., Crac., Bellov.: *et ipse voluit.*

§ 4. *Cydni*] Alii *Lycum* habent; ei tamen propinquus Cydnus, et ipse in Tigridem undas exonerans; v. Voss.

intercluderetur] Reliqui Bong., Vinc. Bell. et bonorum omnium codd. lectionem; nam *pons Cydni intercluditur* dici posse puto tanquam *transitus trans pontem C. intercluditur;* id enim cogitatur in verbis *pons Cydni; iter* est i. q. reditus. Vulgo ex emend. Acidalii: *intercideretur;* sed ita iam Fr. Asulanus in Ald. et codd. recentissimi Dorv. 1. 3. Leid. 3.

se saluti suae velle consultum ait, *ut tot millia sociorum hosti obiiciat:*
5 *debere et aliis fugae viam patere, quae patuerit sibi.* Alexander au-
tem periculosissima quaeque adgrediebatur; et, ubi confertissimos
hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper immergebat,
6 periculaque sua esse, non militis volebat. Hoc proelio Asiae impe-
7 rium rapuit, quinto post acceptum regnum anno: cuius tanta felici-
tas fuit, ut post hoc nemo rebellare ausus sit, patienterque Persae
8 post imperium tot annorum iugum servitutis acceperint. Donatis
9 refectisque militibus triginta quatuor diebus praedam recognovit. In
10 urbe deinde Susa quadraginta millia talentûm invenit. Expugnat et
Persepolin, caput Persici regni, urbem multis annis illustrem refer-
tamque orbis terrarum spoliis, quae interitu eius primum apparuere.
11 Inter haec octingenti admodum Graeci occurrunt Alexandro, qui
poenam captivitatis truncata corporis parte tulerant; rogantes, *ut,*
12 *sicuti Graeciam, se quoque ab hostium crudelitate vindicaret.* Data
potestate redeundi agros accipere maluerunt, ne non tam gaudium
parentibus quam detestandum sui conspectum reportarent.
1 XV. Interea Darius in gratiam victoris a cognatis suis aureis
2 compedibus catenisque in vico Parthorum Thara vincitur: credo ita
diis immortalibus iudicantibus, ut in terra eorum, qui successuri
3 imperio erant, Persarum regnum finiretur. Alexander quoque citato
cursu postera die supervenit; ibique cognovit Darium clauso vehiculo

---

§ 5. *militis*] Sic mss. nescio quot Bong., Prag., 9 Gronov.; sed Bong., Goth., Crac.: *militum*, quod non displicet.

§ 6. *quinto*] Bellov.: *quinto vel sexto.* Recte *sexto*, ab Ol. 111, 1 ad 112, 2, a. C. 336 — 331.

§ 8. *triginta quatuor*] Multae hic varietates; vid. Gronov. p. 847. „*Πλείους δὲ τῶν τριάκοντα ἡμερῶν ἐνδιέτριψε τῇ πόλει*", *Babylone*, ubi haec facta sunt, Diodor. XVII, 64.

recognovit] Sic Bong., sed idem in v. l.: „*Ms. recognovit.*" An retinere in textu voluit quod vett. edd. habent: *recognoscit?*

§ 9. *Susa*] coniectura Bongarsii; codd. vetustiores: *clusa*, recentt. et Bellov.: *clausa;* Magl.: *Tharso.* Ald.: *Susis*, quod non necessarium esse monuit Faber. Apuleius etiam *Susa*, *sae*, et al.

C. XV. § 1. *Thara*] Sic, quantum sciri potest, codicum consensus; edd. vett.: *Tanea* (Goth.: *Thari*). Vossius *Dara* scripsit ex Etym. M. v. *Δάρας* (cf. Salmas. Exercc. Plin. p. 982); pro alia autem *Dara* habere videtur, quae XL, 5, 2 a Theodoto conditur in monte Zapaorteno; vid. ibi. Plinius: *Darieum.* Curtius V, 12 in. *Tabas* habet, „oppidum in Paraetacene", ubi v. Cellar. Arriani *Rhagae* (III, 20) huc referri non possunt. Diodor. c. 73 alios secutus: *Bactra;* eo Bessum confugisse tandem Curtius auctor est.

§ 2. *iudicantibus*] Sic omnes Bong. et aliorum fere; (edd. vett.: *vindicantibus*, ut Goth.) i. e. decreto deorum, ut recte Graev. et Wopk. — *Parthorum* magnum et potens imperium brevi post Alexandrum, a. 256 a. C., ab *Arsace* incepit, qui a Syris defecerat; v. infr. XLI, 4.

§ 3. *ibique*] 1 Bong., Crac., Goth.: *ibi;* deinde ad *exportatum* antiqua manus in Goth. adpinxit: *inter coria animalium per Bessum et Narbazanem.*

per noctem exportatum. Iusso itaque exercitu subsequi cum sex mil- 4
libus equitum fugientem insequitur; in itinere multa et periculosa
proelia facit. Emensus deinde multa millia passuum cum nullum Da- 5
rii indicium reperisset, respirandi equis data potestate unus ex mili-
tibus, dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium multis
quidem vulneribus confossum, sed spirantem adhuc invenit: qui, 6
applicito captivo, cum civem ex voce cognovisset, *id saltem praesen-
tis fortunae solatium habere se* dixit, *quod apud intellecturum locutu-
rus esset, nec incassum postremas voces emissurus.* Perferri haec 7
Alexandro iubet: *se nullis in eum meritorum officiis maximorum illi
debitorem mori, quod in matre liberisque suis regium eius, non hosti-
lem animum expertus felicius hostem quam cognatos propinquosque sor-
titus sit: quippe matri et liberis suis ab eodem hoste vitam datam, sibi* 8
a cognatis ereptam, quibus et vitam et regna dederit. Quamobrem 9
gratiam illis eam futuram, quam ipse victor volet. Alexandro referre 10
*se, quam solam moriens potest, gratiam: precari superûm inferûmque
numina et regales deos, uti illi terrarum omnium victori contingat im-
perium. Pro se iustam magis quam gravem sepulturae veniam orare.* 11
Quod ad ultionem pertineat, iam non suam, sed exempli communem- 12
*que omnium regum esse causam, quam negligere illi et indecorum et
periculosum esse: quippe cum in altero iustitiae eius, in altero etiam
utilitatis causa versetur. In quam rem unicum pignus fidei regiae,* 13
dexteram se ferendam Alexandro dare. Post haec porrecta manu ex-

---

§ 5. *multa*] Sic Bong., Goth., Crac.; cuius cum in codd. nonnullis (et Prag.) sit: *plura mill.*, id a Scheffero repositum est, sed correctoris manum prodit, eo offensi, quod idem verbum saepius repetitur.

§ 6. *qui* (Darius), *applicito* (ei a milite Macedonico, qui eum invenerat) *captivo* (Persa tanquam interprete), *cum civem* (Persam) *ex voce* cett.

§ 7. *cognatos propinquosque sortitus*] Sic unus tantum Bong., qui: *cogn. propinquosve sort.*, ut 4 Gronov.; Prag., Crac., Goth. et 8 Gronov., ex edd. vero sola Aldina: *cogn. propinquosque sort.* Bong. et vett. edd.: *cognatos sortitus*. Sequimur quidem ubique quos antiquiores ac maxime genuinos cognovimus codices; sed quod in seq. § *propinqui* non respiciuntur, inde suspecta potius redditur quam commendatur Bong. lectio; sed eandem, si totum legas, meliorem esse cognosces.

§ 11. *iustam — gravem sep.*] Sic codd. rectissime; conf. Wopkens. Gronov. ex Is. Vossii coniectura: *iustae — gravis sep.* Periz. et Goth. mire: *sepulturam veniae.*

§ 13. *dexteram ferendam*] Plutarch. c. 43: ᾧ ταύτην δίδωμι τὴν δεξιὰν διὰ σοῦ. De hoc Persarum more praeter interpp. ad hunc l. v. omnino Gebhardum ad Nep. Datam. 10, § 1: — *fidem de ea re, more Persarum, dextra dedisset. Hanc ut accepit a rege missam*, cett. Adde Xenoph. Anab. II, 4, § 1: καὶ δεξιὰς παρὰ βασιλέως φέροντες — ubi Schneider. confert ex Dionis oratt.: οὐχὶ καὶ τοὺς βασιλείους θεοὺς (deos regum tutelares sacramento invocatos; cf. supr. § 10) καὶ τὴν δεξιὰν ἀπέστειλε; et eiusd. Ages. c. 3 § 4: βασιλεῖ μὲν οὐχ ὑπήκουε δεξιὰν πέμποντι.

porrecta manu exsp.] „Mss. *porrexit manum exspiravitque. Ubi Al.*

14 spiravit. Quae ubi Alexandro nuntiata sunt, viso corpore defuncti
15 tam indignam illo fastigio mortem lacrimis prosecutus est; corpusque regio more sepeliri et reliquias eius maiorum tumulis inferri iussit.

[Sic Prag., Crac., coll. C. C.] Al. *porrexitque m. exsp.* Al. *porrexit m. et exspiravit.*" *Bong.*

LIBER XII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS XII.*)

Duodecimo volumine continentur Alexandri Magni bella Bactriana et Indica usque ad interitum eius. Dictaeque in excessu res a praefecto eius Antipatro in Graecia gestae, et ab Archidamo, rege Lacedaemoniorum[1]), Molossoque[2]) Alexandro in Italia, quorum ibi est uterque[3]) cum exercitu deletus. Additae his origines Italicae Apulorum[4]), Lucanorum[5]), Samnitum, Sabinorum: et ut Zopyrion in Ponto cum exercitu periit.

---

[1]) V. Diodor. XVI, 62. 63. Omittit Iustinus.
[2]) Sic correxit Bongars.; codd.: *Molossaque.* Est Epiri ille rex Alexander; v. Vorst. h. l.
[3]) Sic etiam Crac. Bong.: *ubi est cum e. d.*, quod recte Freinshem. reiicit.
[4]) Depravate multi: *Italiae populorum.* Ex his pauca Iustinus c. 2.
[5]) Recte addidit Modius e suis tribus, q. v.; habent etiam Colbertt. ap. Long. et alii ap. Gronov. p. 1002.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Alexandri in retinendo milite sollertia. Graeci bellum absente Alexandro reparant.*
2. *Alexandri, regis Epiri, in Italiam expeditio et eiusdem interitus. Scythae Zopyriona, Alexandri praefectum, et exercitum internecione delent.*
3. *Alexandri simulatio, ambitio, cum Thalestri concubitus, libido et luxuria.*

I. Alexander in persequendo Dario amissos milites magnis funerum impensis extulit; reliquis expeditionis eius sociis tredecim millia talentûm divisit. 1 Equorum maior pars aestu amissa, inutilesque etiam, qui superfuerant, facti. 2 Pecunia omnis, centum nonaginta millia talentûm, Ecbatana congesta eique Parmenio praepositus. 3

Dum haec aguntur, epistolae Antipatri Macedonia ei redduntur, quibus bellum Agidis, regis Spartanorum, in Graecia; bellum 4

C. I. § 1. *amissos milites — equorum maior pars amissa*] Arrian. III, 20: *καὶ αὐτῷ κατὰ τὴν ὁδὸν σπουδῇ γιγνομένην τῶν τε στρατιωτῶν πολλοὶ κάμνοντες ὑπελείποντο καὶ ἵπποι ἀπέθνησκον.* — Pro *Dario* Vinc. Bellov. V, 38 et Goth.: *Darium.*

tredecim] Bellov.: *X.*

§ 3. *Ecbatana congesta*] Sic editur e felici Bongarsii coniectura, confirmata Fuldensibus Modii; ceteri, ut fit in nominibus propriis, h. l. turbant. Maior codd. numerus et Vinc.: *nuper cong.*, sed *nuper* neque in iis est, quibus maximam fidem Bong. habet, neque in Fuldd.

§ 4. *Macedonia*] Sic Bong. (v. exempla apud *Ramsh.* gramm. lat. p. 277.) Vulgo: *e Maced.* Goth. et Crac., ut vett. edd.: *a Maced.*

Alexandri, regis Epiri, in Italia; bellum *Zopyrionis* *, praefecti eius
5 in Scythia, continebatur. Quibus varie adfectus plus tamen laeti-
tiae cognitis mortibus duorum aemulorum regum quam doloris amissi
6 cum Zopyrione exercitus suscepit. Namque post profectionem
Alexandri Graecia ferme omnis in occasionem reciperandae libertatis
7 ad arma concurrerat, auctoritatem Lacedaemoniorum secuta: qui
Philippi Alexandrique et pacem soli spreverant et leges respuerant.
8 Dux huius belli Agis, rex Lacedaemoniorum, fuit: quem motum
9 Antipater contractis militibus in ipso ortu oppressit. Magna tamen
10 utrimque caedes fuit. Agis rex, cum suos terga dantes videret, di-
missis satellitibus, ut Alexandro felicitate, non virtute inferior vi-
deretur, tantam stragem hostium edidit, ut agmina interdum fu-
11 garet. Ad postremum, etsi a multitudine victus, gloria tamen
omnes vicit.

1 II. Porro Alexander, rex Epiri, in Italiam a Tarentinis auxilia
adversus Bruttios deprecantibus sollicitatus, ita cupide profectus
fuerat, veluti in divisione orbis terrarum Alexandro Olympiadis, so-
2 roris suae, filio Oriens, sibi Occidens sorte contigisset: non mi-
norem rerum materiam in Italia, Africa Siciliaque, quam ille in Asia
3 et in Persis, habiturus. Huc accedebat, quod, sicut Alexandro
Magno Delphica oracula insidias in Macedonia, ita huic responsum

* *Sopyrionis*

Sopyrionis] Literam *S* agnoscunt quicquid est codicum; in reliquis aberrant, ut *Sophorionis* (sic Goth.); recentissimi tantum cum edd. vett.: *Zopyrionis*, *Ζωπυρίωνος*, vel *Zophirionis*. Confer *Ζάκυνθος*, *Saguntum*, *Ζῆθος*, *Sethus*; v. *Schneideri* gramm. lat. I. p. 41. 380. 384.

§ 5. *suscepit*] Sic codd. Bong. praeter unum illum, qui cum Pragensi fere consentit. *Suscipere* quidem *dolorem* dici solet, qui sponte eundem capit et volens succedit animi labori, ut Cic. de Finib. I, 24. Tusc. quaest. I, 46; sed nonnunquam *suscipere* in eadem locutione explicari debet *animo concipere*, ut Cic. or. in Vatin. 8, § 19: *ut, quicunque te adspexisset, duplicem dolorem gemitumque susciperet, et ex desiderio clarissimi et fortissimi civis et ex honore turpissimi atque improbissimi.* Gronovius e tabula Pisana profert: *nondum quieto luctu, quem ex decessu L. Caesaris universa colonia susceperat.* Frustra igitur ex 8 recc. codd. (adde Goth., Crac., 1 Bong., Prag.) ediderunt: *cepit.*

§ 6. *post profect.*] septem quidem annis post; Ol. 112, 3. a. C. 330. (*S. C. examen critique* p. 621 sqq.)

§ 7. *et pacem*] Bong.: *pacem;* sed illud eiusdem mss. et 11 Gron. c. aliis et melius est.

§ 9. *tamen*] Goth.: *itaque.*

C. II. § 1. *Alexander, rex Epiri*] Livio teste (VIII, 3) classem in Italiam appulit a. U. 415, a. C. 339, biennio ante nuptias cum Cleopatra Philippi; quod parum verisimile est. Sancto-Crucius, nescio quas rationes secutus, eum transitum ponit Ol. 111, 3. a. C. 334.

§ 3. *in Macedonia*] Margo cod. Periz.: „immo in *Babylonia*"; quod huc vocari non potest. Res nobis ignota.

Dodonaei Iovis urbem Pandosiam amnemque Acherusium [cavendum]
praedixerat. Quae utraque cum in Epiro essent, ignarus eadem et 4
in Italia esse, ad declinanda fatorum pericula peregrinam militiam
cupidius elegerat. Igitur, cum in Italiam venisset, primum illi 5
bellum cum Apulis fuit: quorum cognito urbis fato brevi post tem- 6
pore pacem et amicitiam cum rege eorum fecit. Erat namque tunc 7
temporis urbs Apulis Brundisium, quam Aetoli secuti tum fama re-
rum in Troia gestarum clarissimum et nobilissimum ducem Diome-
dem condiderant: sed pulsi ab Apulis consulentes oracula responsum 8
acceperant, *locum, quem repetissent, perpetuo possessuros.* Hac igi- 9
tur ex causa per legatos cum belli comminatione restitui sibi ab Apu-
lis urbem postulaverant; sed ubi Apulis oraculum innotuit, interfe- 10
ctos legatos in urbe sepelierant, perpetuam ibi sedem habituros.
Atque ita defuncti responso diu urbem possederunt. Quod factum 11
cum cognovisset Alexander, antiquitatis fata veneratus bello Apulo-

---

urbem Pandos. a. Ach. [*cavendum*] *pr.*] Sic scripsimus e codd.; *cavendum* praebuit unus ms. Ioan. Pelerini apud Bong.; et sic Livius VIII, 24: *Accito ab Tarentinis in Italiam data dictio erat: „caveret Acherusiam aquam Pandosiamque urbem: ibi fatis eius terminum dari;“* et oraculum ipsum, quod nescio unde Modius produxerit:

Αἰακίδη, προφύλαξο μολεῖν Ἀχερούσιον ὕδωρ
Πανδοσίαν τε, ὅτι [l. *ὅθι*] *τοι θάνατος πεπρωμένος ἐστί.*

Respicitur autem a Strabone VI. pag. 176 extr. Casaub.: *ἐξηπάτησε δὲ καὶ τοῦτον ὁ ἐν Δωδώνῃ χρησμὸς φυλάττεσθαι κελεύων τὸν Ἀχέροντα καὶ τὴν Πανδοσίαν.* A vetusto tamen critico vocem illatam esse ne dubita. Vulgo de Fabri consilio legunt: *circa urbem P.* cett. quod Oxonienses postea in codd. se invenisse simulaverunt.

§ 5. *Apulis*] Bong.: *Appulis*, ut maior pars codd.; sed in poëtis est *ăpulia.*

§ 7. *Aetoli*] „In Mss. legitur *Aesculi*, aut *Estuli*, aut etiam *Eteoli.*“ *Bong.* Goth.: *Etholi*, ut Isidor. Origg. XIV, 4. pag. 1170 Gothofr.: *„Apulia est, ubi Brundusium situm est, quam Etholi secuti Diomedem ducem condiderunt.“* Vulgo quidem Brundusium Gnossiorum *Cretensium* colonia esse narratur (v. Raoul-Rochett. *hist. de l'établiss.* V. II. p. 178 sq.), sed plurimae Apulorum urbes ad Diomedem auctorem referebantur; v. Heynii exc. I ad Virg. Aen. XI. p. 412 et Creuzeri *Symbol.* Vol. III. p. 45 sq. Quomodo hoc intelligi oporteat et quis hic *Aetolis* locus sit cognosce ex Niebuhrii *hist. Rom.* Tom. I. p. 157 sq. ed. 2.

tum] Sic Bong.; secuti eum potissimum fuerant, quia rerum ad Troiam gestarum fama tum cum maxime florebat. „Ms. et Edd.: *dudum;* al. *dum*, cui suprascripto additum *du;* unde apparet nostram lectionem rectam esse. Al. *sequuti fama* [sic Prag. et Goth. et Edd. multae vett.].“ *Bong.* Vulgo auctore Fabro: *dudum*, ut Ald., Iunt.; deinde: *Diomeden.*

§ 8. *quem rep.*] Mss. Bong.: *qui rep.*

§ 10. *sepelierant*] Sic codd. Bong. (etiam Goth.) praeter 1, qui *sepelierunt*, ut e tribus Gronov. vulgo editur; at iunctas perlege sectt. 6—11, et quid voluerit scriptor cognosces.

12 rum abstinuit. Gessit et cum Bruttiis Lucanisque bellum, multas-
que urbes cepit; tum et cum Metapontinis et Poediculis et Romanis
13 foedus amicitiamque fecit. Sed Bruttii Lucanique, cum auxilia a
14 finitimis contraxissent, acrius bellum repetivere. Ibi rex iuxta urbem
Pandosiam et flumen Acheronta, non prius fatalis loci cognito no-
mine quam occideret, interficitur; moriensque non in patria fuisse
sibi periculosam mortem, propter quam patriam fugerat, intellexit.
15 Corpus eius Thurii publice redemtum sepulturae tradiderunt.
16 Dum haec aguntur in Italia, Zopyrion quoque, praefectus
Ponti ab Alexandro Magno relictus, otiosum se ratus, si nihil et
ipse gessisset, adunato triginta millium exercitu Scythis bellum in-
17 tulit; caesusque cum omnibus copiis poenas temere illati belli genti
innoxiae luit.
1 III. Haec cum nuntiata in Parthis Alexandro essent, simulato
moerore propter Alexandri cognationem exercitui suo triduum luctum
2 indixit. Omnibus deinde velut perpetrato bello reditum in patriam
exspectantibus coniugesque ac liberos suos animo iam quodammodo
3 complectentibus ad concionem exercitum vocat: ibi *nihil actum tot
egregiis proeliis* ait, *si incolumis orientalis barbaria relinquatur; nec
se corpus, sed regnum Darii petisse; persequendosque esse eos, qui a
4 regno defecerint.* Hac oratione velut ex integro incitatis militum ani-
5 mis Hyrcaniam Mardosque subegit. Ibi ei occurrit Thalestris sive

---

§ 12. *Lucanisque*] Lucanis aliquamdiu etiam Samnites se adiunxerant; Liv. VIII, 17.

multas urbes] quas refert Liv. VIII, 24.

Metapontinis] Livius tamen l. l.: *ossaque Metapontum ad hostes remissa.*

Poediculis] Codd.: *Peditulis;* sed vid. Bong. et Bernecc.

§ 14. *interficitur*] a Lucanis; v. XXIII, 1, § 15; disertius Liv. l. l.

periculosam mortem] Subtiliter quidem Graevius *sortem* h. l. legendum esse docuit (v. praeclaram eius notam c. additam. Wopk. et Gron.), sed subtilius etiam et argutius verbis usus est Iustinus: moriens intellexit mortem, quam in patria metuebat, ibi discrimen et periculum ipsi allaturam non fuisse sive mortem in patria ipsum in periculum vel certe in tantum periculum (mortis) adducturam non fuisse.

§ 15. *Thurii*] fortasse propter inimicitias cum Lucanis, a quibus tandem subacti sunt.

§ 16. *Scythis*] in quibus *Getis;* Curt. X, 1, § 44.

C. III. § 1. *Parthis*] 3 codd.: *Parthia.* Goth.: *Persia.*

triduum] Sic Bongarsiani codd., ut II, 10, § 12: *Igitur Xerxes bellum a patre coeptum adversus Graeciam quinquennium instruxit;* ubi v. Bong. Vulgo e coni. Sebisii: *tridui*, ut Leid. 3. Plerique Gronov., 4 Wopk., 1 Bong., Goth., Prag.: *triduo*, de quo v. Vorst.

§ 2. *exspectantibus*] Sic codd. Bong. praeter 1 et maior copia Gronovianorum; recte, cum sequentia: *coniuges — animo iam quodammodo complectentibus* ostendant hic dici debere, quod significantissimum est. Vulgo exquisitius, sed debilius ex 1 Bong. et 3 Gronov.: *spectantibus*, quod Oudendorpio etiam placuit ad Caes. B. G. II, 20.

§ 4. Gotfrid. Viterb. pag. 224: *Hircanos et Brutos et Mandros*, ex

Minithya *, Amazonum regina, cum trecentis mulieribus viginti quinque dierum inter confertissimas gentes itinere confecto, ex rege liberos quaesitura: cuius conspectus adventusque admirationi omnibus 6
fuit et propter insolitum feminis habitum et propter expetitum concubitum. Ob hoc tredecim diebus otio a rege datis, ut visa est 7
uterum implesse, discessit.

Post haec Alexander habitum regum Persarum et diadema in- 8
solitum antea regibus Macedonicis, velut in leges eorum, quos vicerat, transiret, adsumit. Quae ne invidiosius in se uno conspice- 9
rentur, amicos quoque suos longam vestem auratam purpureamque sumere iubet. Ut luxum quoque, sicuti cultum, Persarum imitare- 10
tur, inter pellicum regiarum greges electae pulchritudinis nobilitatisque noctium vices dividit. His rebus ingentes epularum apparatus 11
adiicit, ne ieiuna et destructa luxuria videretur, conviviumque iuxta regiam magnificentiam ludis exornat: immemor prorsus tantas opes 12
amitti his moribus, non quaeri solere.

IV. Inter haec indignatio omnium totis castris erat, a Philippo 1
illum patre tantum degenerasse, ut etiam patriae nomen eiuraret moresque Persarum adsumeret, quos propter tales mores vicerat. Sed ne solus vitiis eorum, quos armis subegerat, succubuisse vide- 2
retur, militibus quoque suis permisit, si quarum captivarum consuetudine tenerentur, ducere uxores: existimans minorem in pa- 3
triam reditus cupiditatem futuram habentibus in castris imaginem quamdam larum ac domesticae sedis; simul et laborem militiae mol- 4

* *Minithaea*

---

praecedente historia Alexandri Epirotae illatis Brutiis; omittit Otto Frising. II, c. 25.

§ 5. *Minithya*] (Sic Prag., Crac.) Bong. h. l. ut Oros.: *Minithaea*, at supra II, 4, § 33: *Minithyia*. Goth.: *Minithea*.

trecentis mul.] Sic Bong. in uno tantum suo invenit, in ceteris, ut videtur, *CCC millibus mul.*, quod Gronov. (errans opinor) ex solo Periz. producit; sic etiam Goth. V. Bong. et Mod.

viginti quinque] Mss. Bong., 5 Gronov., Goth., Prag.: *XXXV;* et sic Chronicon Abbatis Ursperg. p. 11 ex h. l.

confertissimas] Sic omnes codd. Edd. vett. e correctione: *infestissimas*, ut hodie etiam edunt; nimirum non sufficiebat criticis istis, mulierum manum per ingentem populorum nationumque *frequentiam* penetrare; per hostes illi transitum desiderabant, ut satis magnum ipsis facinus esset. — De tempore et auctoribus rei v. *S. C. examen critique* p. 332 sqq.

§ 10. *Ut lux.*] I. Fr. Gronov.: *iubet, et ut* cett.

§ 11. *destructa lux.*] Acute Graevius: *restricta* i. e. parca; vel Heinsius: *adstricta;* sed interpretare: ne luxuria illa, quam imitabatur, Persarum apud se ieiuna et de fastigio suo, quo sub Persis splendebat, deiecta esse videretur cett.

C. IV. § 1. *degenerasse*] Bong.: *degeneravisse*.

§ 3. *larum*] Sic omnes libri Bong.; recte; v. laudd. ap. Schneider. *gramm. lat.* II, 1, p. 256. Bong. in v. l.: „Ita *mensum* pro *mensium* in

5 liorem fore dulcedine uxorum. In supplementa quoque militum mi-
nus exhauriri posse Macedoniam, si veteranis patribus tirones filii
6 succederent, militaturi in vallo, in quo essent nati, constantiores-
que futuri, si non solum tirocinia, verum et incunabula in ipsis ca-
7 stris posuissent. Quae consuetudo in successoribus quoque Alexandri
8 mansit. Igitur et alimenta pueris statuta et instrumenta armorum
equorumque iuvenibus data; et patribus pro numero filiorum prae-
9 mia statuta. Si quorum patres occidissent, nihilominus pupilli sti-
pendia patrum trahebant: quorum pueritia inter varias expeditiones
10 militia erat. Itaque a parvula aetate laboribus periculisque indurati
invictus exercitus fuere: neque castra aliter quam patriam neque
11 pugnam aliud umquam quam victoriam duxere. Haec suboles no-
men habuit *Epigoni*.
12 Parthis deinde domitis, praefectus his statuitur ex nobilibus
Persarum Andragoras; inde postea originem Parthorum reges ha-
buere.
1 V. Interea Alexander non regio, sed hostili odio saevire in
2 suos coepit. Maxime indignabatur carpi se sermonibus suorum Phi-
3 lippi patris patriaeque mores subvertisse. Propter quae crimina
Parmenio quoque senex, dignitate regi proximus, cum Philota filio,

---

Pandectis Florentinis et Ovidio [Metam. VIII, 500, ubi v. laudd. in nova ed. Gierig.] et *sedum* pro *sedium* apud Cic. [pro Sext. 20] et Priscian. VII. [p. 344 Kr. et Consent. p. 2039 Pu.]" Cf. Gronov.

§ 7. *in successoribus*] 1 Bong. et dimidia fere pars Gronov.: *in successores;* sed v. Wopkens.

§ 8. *pueris statuta*] Sic omnes ad unum codd. praeter coll. N. et Dorv. 1, quibus auctoribus Gronov. voc. *statuta* delevit, ob repetitionem, quae primum displicuerat Burmanno ad Val. Flacc. II, 488. Ridiculum est narrari *alimenta pueris data esse;* sed *statuta* sunt, quae robur iis parerent.

§ 10. *laboribus periculisque*] Sic plerique Gronov., Goth., Crac.; sed vetustae edd. et Bong. sine v. l. et Prag.: *periculis laboribusque*, quod mihi quidem verum esse videtur et optimis illis libris Bong. dignum est; nam *pericula* rariora et in tempus tantum, sed *labores* in bello continui, vix unquam intermissi; quare *laboribus* pro graviore voce habenda alteram recte sequitur.

§ 12. *Andragoras*] Arrian. *exp.* III, 22: *Σατράπην δὲ ἀπέδειξε Παρθυαίων καὶ Ὑρκανίων Ἀμμινάπην Παρθυαῖον.* — 3 Gron., Prag.: *Andragora.*

inde] Sic Bong., Goth.; unus tantum Bong., Crac., Prag. cum edd. vett.: *unde*, ut vulgo legitur. — Vide infr. ad XLI, 4.

C. V. § 1. *non regio, sed hostili odio*] Hanc codd. paene omnium et Vinc. Bellov. V, c. 42 lectionem retineri posse puto; *regium odium* est superba illa importunitas et molestum fastidium, quo subiectos tractant reges (vid. laudd. Ruhnken. ad Terent. Hecyr. I, 2, 48. pag. 215 al.); sed in Alexandro hoc *odium* in *hostile odium* amplificatum est. Vulgo: — *hostili more*, ut Anglorum cod. W., 3 Gronov., Goth. Ed. Rom. cum 2 Dorv. et Crac.: *non regio more, sed h. odio.*

§ 3. *Parmenio*] Sic solent Romani, v. Vorst. et Gronov. p. 851 sq.

de utroque prius quaestionibus habitis, interficitur. Fremere itaque 4
omnes universis castris coepere innoxii senis filiique casum miserantes;
interdum *se quoque non debere melius sperare* dicentes. Quae cum 5
nuntiata Alexandro essent, verens, ne haec opinio etiam in Macedoniam divulgaretur et ne victoriae gloria saevitiae macula infuscaretur, simulat se ex amicis quosdam in patriam victoriae nuntios missurum. Hortatur milites suis scribere, rariorem habituros occasio- 6
nem propter militiam remotiorem. Datos fasces epistolarum tacite 7
ad se deferri iubet; ex quibus cognito de se singulorum iudicio in 8
unam cohortem eos, qui de rege durius opinati fuerant, contribuit, aut consumturus eos aut in ultimis terris in colonias distributurus.

Inde Drancas, *Euergetas Arimaspos*, *Paropamisadas*, *Arios** 9
ceterosque populos, qui in radice Caucasi morabantur, subegit.
Interea unus ex amicis Darii, Bessus, vinctus perducitur, qui regem 10
non solum prodiderat, verum et interfecerat. Quem in ultionem 11
perfidiae excruciandum fratri Darii tradidit, reputans non tam hostem suum fuisse Darium quam amicum eius, a quo esset occisus. Et, 12
ut his terris nomen relinqueret, urbem Alexandriam super amnem Tanaim condidit, intra diem septimum decimum muro sex millium passuum consummato, translatis eo trium civitatium populis, quas

* *Euergetas*, *Parymas*, *Parapammenos*, *Adaspios*

Schneid. *gramm. lat.* II, 1, p. 275 sqq.; sed Iustinus nescio an malebat *Parmenion*, ut Nepos; ita certe codd. vetustorum maior numerus et Vinc. Bell., Goth. — Res facta Ol. 112, 4; v. Gronov. l. l.

§ 9. *Drancas*] Δράγγας, ut Ald.: *Drangas*.

Euergetas] (Mss. Bong., Goth., Prag., Bellov.: *Euergitas*.) Ita vel potius Persico nomine *Orosangae* (Herod. VIII, 85) vocabantur *Ariaspae* (ut Blancardus, al. ap. Vorst. h. l. et Freinsh. ad Curt. VII, 3, 2, q. v.) sive *Agriaspae* vel *Arimaspae* (ut alii assentante Wesselingio ad Diodor. XVII, 81). V. Bernecc.

Parymas] (Oros., Freculph., Bellov., 1 Bong., 3 Gronov., Goth., Crac.: *Parimas*. Prag.: *Paripas*.) Hos alibi non invenimus. Glarean.: *Arios;* Bernecc.: *Euergetas Arimaspos*. An *P* ortum ex *ł* (*vel*) aut simili signo, ut fuerit: *Euerg. vel Arimaspos*, sive de scriptoris manu sive de glossa?

Parapammenos, *Adaspios*] („Ms. *Parimpammoenos;* al. *Parispasmaras;* al. *Parimas. Parapecimmenos.* Quidam impr.: *Parymas Paropamisadas* [sic Ald.]." *Bong.* Prag.: *Paramenos*. Crac.: *Parepemenos*.) Felici coniectura Bongarsius: *Paropamisadas*, *Arios*. V. Bong. et Vorst. Edd. quaedam, in quibus Ald.: *Caspios*, aliae *Hydaspios*. Antiqua tamen horum nominum corruptela et ante Orosium facta, q. v. III, 18; similem in eodem nomine infra habes XIII, 4, § 21.

radice Caucasi] nam τὰ ὄρη Μακεδόνες ἅπαντα τὰ ἐφεξῆς ἀπὸ Ἀρίων Καύκασον ἐκάλεσαν; Strabo XI. p. 352 coll. 348 Casaub.

§ 12. *his*] Bell.: *in his*.

urbem Al.] Bellov. V, c. 44: *turrim Al.*

Tanaim] Gronov.: *Tanain*.

eo trium] Mss. Bong., 3 Gron., Crac.: *earum;* Vinc. Bell.: *eo illa-*

13 Cyrus condiderat. In Bactrianis quoque Sogdianisque duodecim
urbes condidit, distributis his, quoscunque in exercitu seditiosos
habebat.

1 VI. His ita gestis solemni die amicos in convivium vocat.
2 Ubi orta inter ebrios rerum a Philippo gestarum mentione praeferre
se patri ipse rerumque suarum magnitudinem extollere caelo tenus
3 coepit, adsentante maiore convivarum parte. Itaque cum unus e
senibus, Clitos, fiducia amicitiae regiae, cuius palmam tenebat,
memoriam Philippi tueretur laudaretque eius res gestas, adeo regem
offendit, ut telo a satellite rapto eumdem in convivio trucidaverit.
4 Qua caede exsultans mortuo patrocinium Philippi laudemque pater-
5 nae militiae obiectabat. Postquam satiatus caede animus conquievit
et in irae locum successit aestimatio, modo personam occisi, modo
6 causam occidendi considerans, pigere eum facti coepit: quippe pa-
ternas laudes tam iracunde accepisse se quam nec convicia debuisset;
amicumque senem et innoxium a se occisum inter epulas et pocula
7 dolebat. Eodem igitur furore in poenitentiam, quo pridem in iram,
8 versus mori voluit. Primum in fletus progressus amplecti mortuum,
vulnera tractare et quasi audienti confiteri dementiam; arreptum te-
lum in se vertit: peregissetque facinus, nisi amici intervenissent.
9 10 Mansit haec voluntas moriendi etiam sequentibus diebus. Acces-
serat enim poenitentiae nutricis suae, sororis Cliti, recordatio, cu-
11 ius absentis eum maxime pudebat: tam foedam illi alimentorum suo-
rum mercedem redditam, ut, in cuius manibus pueritiam egerat,
12 huic iuvenis et victor pro beneficiis funera remitteret. Reputabat
deinde, quantum in exercitu suo, quantum apud devictas gentes

---

rum. Intelligit prae ceteris *Cyropolim*, quam Cyrus condidisse ferebatur; eidem sex minora oppida simul capta addit Arrianus IV, 2. 3.

§ 13. *duodecim urbes*] Diodor. XVII, 83: (Post Alexandriam) ὁ Ἀλέξανδρος καὶ ἄλλας πόλεις ἔκτισεν, ἡμέρας ὁδὸν ἀπεχούσας τῆς Ἀλεξανδρείας· κατῴκισε δ᾽ εἰς αὐτὰς τῶν μὲν βαρβάρων ἑπτακισχιλίους cett., in quo si nostri memor fuisset Wesselingius, paullo fortasse aliter de loci corruptione, quam et ipse statuo, pronunciasset.

C. VI. § 3. *Clitos* Gronov. edidit e mss. nescio quot Bong. et 6 suis; v. p. 852 sq. Bong.: *Clitus.*

res gestas] Goth.: *gesta.*

§ 5. *aestimatio*] Bong. quidem: *existimatio;* sed in v. l.: „Mss. o. *estimatio*, et ita reponendum.“

pigere eum f. c.] faciliore etiam anacolutho quam Hygin. fab. LXXXIV: *poenitere eum coepit, regis crudelitatem timens;* et Sulpic. Sever. H. S. I, 38: *huius eum facti mox piguit poenituitque, veniam a domino petens* cett., quos locos Wopkensio debeo; sed eodem auctore Gronovius vocab. *eum* tacitus nec monito lectore delevit.

§ 7. *pridem*] 1 Bong.: *pridie;* sed v. Wopk.

§ 10. *nutricis suae, sororis Cl.*] Sic cod. Goth. (Crac.), ut Faber et Graevius reposuerunt. Bong. et codd., ni fallor, plurimi, vett. edd. omnes: *nutr. s. et sororis Cl.*, quod servari potuisse arbitror.

fabularum atque invidiae, quantum apud ceteros amicos metum et odium sui fecerit; quam amarum et triste reddiderit convivium suum, 13
non armatus in acie quam in convivio terribilior. Tunc Parmenio et 14
Philotas, tunc Amyntas consobrinus, tunc noverca fratresque interfecti; tunc Attalus, Eurylochus, Pausanias aliique Macedoniae exstincti principes occurrebant. Ob haec illi quatriduo perseverata 15
inedia est, donec exercitus universi precibus exoratus est, precantis, *ne ita mortem unius doleat, ut universos perdat, quos in ultimam de-* 16
ductos barbariam inter infestas et irritatas bello gentes destituat. Mul- 17
tum profuere Callisthenis philosophi preces, condiscipulatu apud Aristotelem familiaris illi et tunc ab ipso rege ad prodenda memoriae acta eius accitus. Revocato igitur ad bella animo Chorasmos et 18
Dahas in deditionem accepit.

VII. Deinde, quod in primo ex Persico superbiae regiae more 1
distulerat, ne omnia pariter invidiosiora essent, non salutari, sed

---

§ 13. *non arm.*] Mss. Bong.: *non tam armatus*, quod confer ad *praef.* § 5.

§ 14. *Parmenio*] Bong.: *—nion*, ut Goth. al.

Amyntas consobrinus] i. e. patruelis, Perdiccae regis filius, qui sub tutela Philippi patrui fuerat (v. VII, 5, § 8); sed adultus insidiarum adversus Alexandrum structarum poenas luit; idem est, nisi me fallit coniectura, quem Philippus cum Parmenione et Attalo in Asiam praemiserat. Praeclare de his exponitur a Freinshem. ad Curt. VI, 9, § 17. Corrupte Vinc. Bell. V, c. 45: *amitam.*

noverca] Cleopatra; *fratres*] Caranum, et adde XI, 5, 1. 2, ubi etiam de *Attalo.*

Eurylochus] Hunc praeter codd. agnoscunt etiam Oros. et Freculph.; sed res incomperta est; nam puer ille ap. Curt. VIII, 6, § 20 sqq., Hermolai coniurationis proditor, intelligi non videtur (sic Freinshem. ad § 26), nisi forte postea est occisus et a rhetore nostro huc relatus.

Pausanias] Hinc cognosce horum scriptorum immodica, quando exarserunt, studia! Nam ut ab eo discedam, quam inepte Philippi occisores inter eos proferantur, quorum caedis eum poenitet: quod *caedis conscios ad tumulum patris occidi iusserat* (XI, 2, § 1), Pausanias quoque, maxime sane regiae caedis conscius, non praeteritur, ne ab Alexandro quidem, sed a Perdicca in fuga interfectus, Diod. XVI, 94.

occurrebant] Mss. Bong., Goth., Prag., Crac.: *occurrerunt.*

§ 17. *Aristotelem*] Gronov.: *Aristotelen.*

prodenda memoriae cett.] De his scriptis vide *S. C. examen critique* p. 34 sqq.

accitus] Faber: *acciti.* Anacoluthon est.

§ 18. *Chorasmos*] Sic Bong., cuius alii: *Carasmos*, ut coll. C. C. et Bellov.; 1 eiusd.: *Carosmos.* Ceteri scriptores omnes et Graeci et Romani: *Chorasmii*, ut Ald.

Dahas] 1 Bong., Prag.: *Dachas.* Edd. vett.: *Dracas.*

C. VII. § 1. *in primo*] Sic mss. aliquot Bong., 5 Gronov., defendentibus I. Fr. Gronovio ad Liv. X, 14, intt. ad h. l. et Cortio ad Sallust. Iug. c. 68, § 4. Bong. et reliqui codd. *primo*, quod vulgatum est. — Bellov.: *non sal. tantum, sed a.*

2 adorari se iubet. Acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit. Quae
res et illi et multis principibus Macedonum exitio fuit: siquidem sub
3 specie insidiarum omnes interfecti. Retentus tamen est a Macedo-
nibus mos salutandi regis explosa adoratione.
4 . Post haec Indiam petit, ut Oceano ultimoque Oriente finiret
5 imperium. Cui gloriae ut etiam exercitus ornamenta convenirent,
phaleras equorum et arma militum argento inducit; exercitumque
6 suum ab argenteis clypeis *Argyraspidas* appellavit. Cum ad Nysam
urbem venisset, oppidanis non repugnantibus fiducia religionis Li-
beri patris, a quo condita urbs erat, parci iussit: laetus non mili-
7 tiam tantum, verum et vestigia se dei secutum. Tunc ad spectacu-
lum sacri montis duxit exercitum, naturalibus bonis, vite hederaque,
non aliter vestiti, quam si manu cultus colentiumque industria exor-
8 natus esset: sed exercitus eius, ubi ad montem accessit, repentino
impetu mentis in sacros dei ululatus instinctus cum stupore regis sine
noxa discurrit; ut intelligeret non tam oppido se parcendo quam ex-
9 ercitui suo consuluisse. Inde montes Daedalos regnaque Cleophidis
reginae petit: quae cum se dedidisset ei, concubitu redemtum re-
gnum ab Alexandro recepit, illecebris consecuta, quod virtute non
10 potuerat; filiumque ab eo genitum Alexandrum nominavit, qui post-
11 ea regnum Indorum potitus est. Cleophis regina propter prostra-
12 tam pudicitiam *scortum regium* ab Indis exinde appellata est. Pera-
grata India cum ad saxum mirae asperitatis et altitudinis, in quod
multi populi confugerant, pervenisset, cognoscit Herculem ab ex-

---

§ 2. *sub specie insidiarum*] Hermolai potissimum insidias spectare videtur (Plutarch. c. 55. Curt. VIII, 6 sqq. al.), quas ceteri vere structas esse in Alexandrum narrant.

§ 3. *mos*] Mss. Bong., Bellov. V, 46, Prag., Periz.: *modus*.

§ 5. *Argyraspidas*] de quorum praestantia v. Plutarch. Eum. c. 16.

§ 7. *sacri montis*] qui *Meros* vocabatur; v. Bernecc.

colentiumque] „Mss. *colorumque; fort. colonorumque*." *Bong.*

§ 8. *oppido se*] Haec genuina esse manus Iustini videtur, quam Bong. repraesentavit; in aliquot codd. ei., 5 Gronov., Goth., Crac.: *oppidanis*, quod multi praetulerunt (v. Gronov. p. 854) ob § 6 opinor: *oppidanis — parci iussit*, quod cautiorem non movebit.

§ 9. *montes Daedalos*] Daedala regio trans Indum est; v. ad Curt. VIII, 10, § 19.

regna Cleophidis] quorum *Massaca* urbs caput (*Μασόγα* Strabonis); vel populus vocabatur *Mazagae;* v. Curt. VIII, 10, § 22 c. intt. Urbem tamen post multa demum certamina captam esse refert Arrian. IV, 26 sq. Bong.: *Cleofidis*, et § 11: *Cleofis.*

potuerat] Aliquot Bong., Leid 4, Crac., Goth.: *poterat;* iidem fere, 8 Gronov., Prag.: *armis* pro *virtute*. Bellov.: *vi.*

§ 10. *regnum*] Sic Bongarsiani libri praeter unum et Gronoviani praeter 5; confirmante etiam lectione Goth.: *regno Medorum.* Vulgo ex recentibus libris: *regno;* v. Gronov. ad VI, 4, § 8. — Ceterum ex his paucissima apud ceteros invenias; v. collata ad Curt. VIII, 10, 23.

§ 12. *saxum*] Aornon.

pugnatione eiusdem saxi terrae motu prohibitum. Captus itaque cu- 13
pidine Herculis acta superare cum summo labore ac periculo potitus
saxo eius omnes loci gentes in deditionem accipit.

VIII. Unus ex regibus Indorum fuit, Porus nomine, viribus 1
corporis et animi magnitudine pariter insignis, qui bellum iampridem 2
audita Alexandri opinione in adventum eius parabat. Commisso ita- 3
que proelio exercitum suum Macedonas invadere iubet; sibi regem
eorum privatum hostem deposcit. Nec Alexander pugnae moram 4
fecit: sed prima congressione vulnerato equo cum praeceps ad
terram decidisset, concursu satellitum servatur. Porus multis vul- 5
neribus obrutus capitur. Qui victum se adeo doluit, ut, cum ve- 6
niam ab hoste accepisset, neque cibum sumere voluerit neque vul-
nera curari passus sit; aegreque sit ab eo obtentum, ut vellet
vivere. Quem Alexander ob honorem virtutis incolumem in re- 7
gnum remisit. Duas ibi urbes condidit: unam Nicaeam, alteram 8
ex nomine equi Bucephalen vocavit. Inde Adrestas, *Cathaeos* *, 9

* *Gesteanos*

---

§ 13. *eius omnes loci*] Sic Bong. et vett. edd. rectissime; interpp. de suis libris tacent, insoliti tamen h. l. aliquid esse ostendunt lectt. Goth., qui *eius*, et Crac., qui voc. *omnes* omittit.

C. VIII. § 4. *ad terram*] Sic Bong., Goth., Prag. et ceteri fort. omnes. Vulgo ex edd. vett.: *in terr.* — De certamine singulari inter Alexandrum et Porum error est, quem sic aperit *S. C. examen critique* p. 395: „*L'abréviateur de Troque-Pompée prend Porus pour son fils* [sed v. Diodor. XVII, 91 c. n. Wessel.] *et confond le passage de l'Hydaspe avec la bataille, qui en fut la suite. D'ailleurs, ce combat singulier est démenti par les mémoires de Ptolemée* (*Arrien.* V, 14).“

§ 6. *accepisset*] Sic codd. ad unum omnes, praeter interpolatissimum coll. N.; nam qua fide Fischerus Bodl. addat et Anglorum W. equidem ignoro. Vulgo ex edd. vett. ferme omnibus et coll. N.: *invenisset*, quod „propter elegantiam“, si diis placet, praelatum est. Actor apud Vinc. Bellov.: *recepisset*.

§ 7. *remisit*] Goth.: *reliquit*.

§ 8. *Bucephalen*] Sic etiam Bong., Oros., Freculph. Sed Actor l. l.: *Bucephalam*, ut Bodl., Prag.; Ald. et Iunt. ex Plutarch.: *Bucephaliam*. De formarum in hoc nomine diversitate v. h. l. Graev., Gronov. p. 855 sq. et Wessel. ad Diodor. XVII, 95, nr. 49.

§ 9. *Adrestas*] Ἀδρηστὰς Diodori, Ἀδραιστὰς Arriani. Sic edidit Bong. cum Oros., Freculph., vett. edd.; et quantum ex v. l. intelligi potest, idem exhibent omnes eius codd. praeter duos; adde Periz., Goth., Crac.; in nota tamen scribit: „Mss. plerique *Arestas*;“ unde mala fide Vossius: „Mss. omnes *Arestas*.“ Sic tamen Lucanus. Quaedam vett. edd. Bong. et Ald.: *Andrestas*.

Gesteanos] Ita etiam Bong., qui in nota: „Mss. habent *Gesteami* aut *Gestani* [ut Magl. et Crac.].“ Al. ei.: *Satenos*; Bodl., coll. N.: *Sateanos*; Prag.: *Sasteanos*; Goth.: *Septeanos*; 1 Bong.: *Gesteanas*, supra scripto *Cathenos*; sic autem vetusti omnes Orosii III, 19 et Freculphi: *Cathenos*, quibus h. l. fides habenda est; Iustini codd. posterius corrumpebantur; intelliguntur *Cathaei*, *Κάθαιοι*, ut perspexit Fabricius ad

10 Praesidas, Gangaridas caesis eorum exercitibus expugnat. Cum ad Cuphites venisset, ubi eum hostium ducenta millia equitum opperiebantur, exercitus omnis non minus victoriarum numero quam laboribus fessus lacrimis eum deprecatur, *finem tandem belli faceret;*
11 *aliquando patriae reditusque meminisset; respiceret militum annos, qui-*
12 *bus vix aetas ad reditum sufficeret.* Ostendere alius canitiem, alius vulnera, alius aetate consumta corpora, alius cicatricibus exhausta:
13 *solos se esse, qui duorum regum, Philippi Alexandrique, continuam*
14 *militiam pertulerint.* Tandem orare, *ut reliquias saltem suas pater-*
15 *nis sepulcris reddat, quorum non studiis deficiatur quam annis: ac, si*

Oros. l. l.; v. omnino Wesseling. ad Diodor. XVII, 91. n. 1. Male coniecit Fr. Asulanus: *Assacenos;* horum enim ad Cleophidem reginam mentionem factam oportuit.

Praesidas] Sic Bong., cuius codd. inter *Praesidas* et *Praesidias* variant; *Praesidias* 6 Gronov. Cod. Orosii: *Praesidas*, quod aliae etiam licet ex parte corruptae lectiones firmant. Diodor.: *Πραίσιοι;* v. Wessel. ad XVII, 93. n. 68. Curtius: *Parrhasii*, sed dudum Salmas. ad Solin. p. 994 correxit: *Prasii.*

Gangaridas] „Sic hic edidi ex Mss. Graecis." *Bong.;* sic etiam Goth. et al. ap. Gronov. p. 856 et codd. Curtii; Prag.: *Cantaridas*, ut 1 Bong. De his omnia habes apud Salmas. Exerc. Plinn. pag. 992—94. *Gangaridas* tamen non aggressus est Alexander, testibus Diod. XVII, 93, Curt. IX, 2, sed intactos reliquit.

§ 10. *Cuphites*] Sic omnes libri Bong. et ceteri fere; codd. Oros. et Freculph.: *Cophites;* unus *Confides*, ut adscriptum erat cuidam Bong. Coll. N.: *Cosites.* Edd. vett.: *Euphites.* Crac.: *Creuffites.* Vinc. Bell.: *Aphites.* Quid hic sibi velint, ex ceteris non apparet; sed quae ibi facta narrantur, Diodor. (c. 94) et Curt. (IX, 2 sq.) in *Gangaridum* modo commemoratorum finibus gesta esse referunt; Arrianum autem si contuleris (V, c. 25 sqq.), in *Cuphitis* illis *Hyphasin* corruptum latere tibi coniectura subnascetur; nam de accolis fluvii *Cophes* (apud Ptolemaeum) vel *Cophen*, qui infra Taxilam in Indum illabitur, cogitari non potest. Fabricii (ad Oros.) sententiam refutavit Bong., sed recte Haverkampus (ad eundem p. 190): „De omnibus hisce, inquit, populis puto agere Curtium, scribentem, obsedisse vias regem eorum (Gangaridum) Agrammen *viginti millibus equitum ducentisque peditum.* Equidem numerus in Orosio forte excidit, ut et in Iustino, ex quo sua hausit."

hostium ducenta millia eq.] Sic Bong. sine v. l., Crac., Goth. et nescio an ceteri omnes, licet Gronov. ex uno tantum Periz. hoc adducat nec e Prag. Seibtius quicquam annotet. Sed corrupta lectio est, quam ita equidem emendarim: *ubi eum hostes cum* (permutatis HOSTISCV̄ et HOSTIVM) *ducentis millibus* (*peditum et viginti millibus*) *equitum opp.* Vulgo ex Ald.: *ubi eum ducentis millibus equitum hostes opp.* Antiquum esse mendum prodit Orosius: *ibi contra ducenta millia equitum hostium pugnam conseruerunt.* Vinc. Bell.: *ubi eum CC millia equitum opperiebantur hostium.*

belli fac.] Sic Bong.; cuius unus, Prag., 3 Dorv., 9 Gron., Goth., Crac.: *bellis*, quod recepit Gronov., manifestam emendationem.

§ 12. Nonnulli Bong.: *canicie* et *vulnere.*

§ 14. *non studiis — quam annis*] Sic codd. consensus; v. interpp. h. l., licet aliqua contulerint, quae huc non pertinent et Cortium ad illa

non militibus, vel ipse sibi parcat, ne fortunam suam nimis onerando fatiget. Motus his tam iustis precibus, velut in finem victoriae, ca- 16
stra solito magnificentiora fieri iussit, quorum molitionibus et hostis terreretur et posteris admiratio sui relinqueretur. Nullum opus mi- 17
lites laetius fecere. Itaque caesis hostibus cum gratulatione in eadem reverterunt.

IX. Inde Alexander ad amnem Acesinem pergit: per hunc in 1
Oceanum devehitur. Ibi *Acesinas Sibosque* *, quos Hercules condi- 2
dit, in deditionem accepit. Hinc in *Mallos et Oxydracas* ** navigat: 3

* *Hiacensanas Sileosque* ** *Ambros et Sucambros*

Sallust. Iug. 100, § 4: *vigilias ipse circumire, non diffidentia futuri, quae imperavisset, quam uti militibus exaequatus cum imperatore labos esset.*

§ 17. *caesis hostibus*] Quamquam nullus scriptorum de proelio tum illic facto narrat, tangenda tamen haec non sunt, ut recte ostendit Graevius. Multi probarunt speciosam Sebisii coniecturam: *caesis hostiis*, quam cod. Bodl. exhibet. Duodecim aras in hoc termino expeditionum exstructas Iustinus omittit.

C. IX. § 1. *Acesinem*] Multi vetusti *Agesinem* vel *Agisinem*. Gronov.: *Accsinen*.

devehitur] i. e. devectionem incipit.

§ 2. *Hiacensanas Sileosque*] Lectio codicum a Bongarsio expressa. Vincent.: *Biacens*. Unus Bong.: *Gacensanos; al. censones*, adscripto *gesonas;* alius vero: *Agesinas*, unde recte arbitror Bongarsium restituisse: *Acesinas* „ut sint fluvii Acesinis accolae;" quam coniecturam egregie puto confirmari ex Orosio, qui: *ibi Gesonas* vel *Gesones*, unde litera *A* periit. Idem praebent edd. vett. Iustini, ad Orosium, ut videntur, recensitae. 5 codd. Gronov.: *Agesinas*, ut unus ille Bong., quem ex recentioribus esse ostendit Prag., qui: *Agesinos*. Goth.: *Accensonas*. Neque male Glareanus coniecit *Agalassas* ex Diodor. XVII, 96 (Ἀγαλασσεῖς).

Sileosque] Sic Bong. et Vinc. 1 Bongars. et 3 Gronov.: *Syrosque*. Edd. vett.: *Asyrosque*. Legendum est *Sibosque*, quod recte restituit Bongarsius, q. v. et Wessel. XVII, 96. n. 60. Ita iam Orosius, 3 codd. Gronov., Goth. (Crac.: *Sibeosq.*; Prag.: *Sineosq.*) Quaedam edd.: *Sibasque*.

Hercules condidit] sive potius exercitus eius, quocum Aornon oppugnaverat, reliquiae.

§ 3. *in Ambros*] Prag.: *in Andros*. 1 Bong., cod. Oros., Bodl., Leid. 2: *Mandros*. Goth., Leid. 5: *in Mandros*. Freculph. et 1 Oros.: *Hinc Ambros;* sed Fr. Fabricius edidit: *Hinc ad Mallos*, cum hac nota: „Ita emendavimus secuti vestigia depravatae lectionis antiquae in Orosii et Iustini libris;" sed lectiones non indicat, neque Haverkampus. Scribendum esse *in Mallos* historia evincit; v. Bernecc. Infeliciter Vossius *Ambritas* sive potius *Arbitas* infert ex Diod. XVII, 104.

et Sucambros] Vinc. Bellov., Prag.: *Sicambros*. Crac.: *Sagambros*. Edd. vett.: *Sabracas*. Freculph. et Oros. ms. apud Bong. et Flor. apud Gron.: *Subagras*. Fabricius se e vestigiis codd. *Oxydracas* restituisse narrat; neque dubium est intelligi *Oxydracas*, quorum nomen in Romanis scriptoribus ubique fere depravatum est; codd. Plinii omnes teste

N 2

quae gentes eum armatis octoginta millibus peditum et sexaginta
4 millibus equitum excipiunt. Cum proelio victor esset, exercitum ad
5 urbem eorum ducit. Quam desertam a defensoribus cum de muro,
quem primus ceperat, animadvertisset, in urbis planitiem sine ullo
6 satellite desiliit. Itaque cum eum hostes solum conspexissent, cla-
more edito undique concurrunt, si possint in uno capite orbis bella
7 finire et ultionem tot gentibus dare. Nec minus Alexander constan-
8 ter restitit et unus adversus tot millia proeliatur. Incredibile dictu
est, ut eum non multitudo hostium, non vis magna telorum, non
tantus lacessentium clamor terruerit: solus tot millia ceciderit ac fu-
9 gaverit. Ubi vero obrui multitudine se vidit, trunco se, qui tum
10 propter murum stabat, applicuit: cuius auxilio tutus cum diu agmen
sustinuisset, tandem cognito periculo eius amici ad eum desiliunt:
11 ex quibus multi caesi, proeliumque tamdiu anceps fuit, quoad omnis
12 exercitus muris deiectis in auxilium veniret. In eo proelio sagitta
sub mamma traiectus, cum sanguinis fluxu deficeret, genu posito
tam diu proeliatus est, donec eum, a quo vulneratus fuerat, occi-
13 deret. Curatio vulneris gravior ipso vulnere fuit.

1 X. Itaque ex magna desperatione tandem saluti redditus Poly-
perchonta cum exercitu Babyloniam mittit: ipse cum lectissima manu

---

Harduino (XII, 6 (12)): *in Sydracis*, ubi hic populus vocatur *expeditionum Alexandri terminus;* idem VI, 23 (25): *Syndraci.* Codd. Curtii: *Sudracae* (Freinsh. ad IX, 4, 1); ap. Diodorum adeo *Συρακοῦσαι*, c. 98; alii recte *Oxydracae*, quos laudat Pitiscus ad Curt. IX, 4. not. 42; adde Lucian. D. Mort. 14, § 5.

§ 4. *urbem eorum*] Mallorum; v. Freinshem. ad Curt. IX, 4, § 26.

§ 5. *desertam a defensoribus* cett.] Refugisse enim incolae videntur, cum hostium vis de muro ingrueret; animadvertentes autem non adeo periculosam pugnam fore ex latebris provenerunt. Frustra igitur „absurditatis“ nostrum insimulare videntur Glareanus et Freinshemius ad Curt. IX, 5, 2. Mire mss. Bong. et coll. C. C.: *desertam diebus tribus.*

desiliit] Sic Bong. et codicum copia maior. Gronov.: *desiluit*, q. v. pag. 857.

§ 7. *restitit*] Sic codd. omnes et edd. ante Ald.; rectissime; nam narrantis hoc est et res gesta ad historiam pertinens; inde autem scriptor ad picturam pugnantis Alexandri progressus apte subiungit praesens *proeliatur.* Vulgo auctore Fabro: *resistit*, quod Graevius ex „*optima*“ Iuntina sua commendat.

§ 8. *ceciderit*] Bong.: *caeciderit.*

§ 9. *qui tum propter m.*] Sic Bong. e suis, 3 Anglorum et sine dubio plures; neque scias, cur recentt. deleverint, cum sententiam apprime adiuvet et definiat. Iam in codd. Bodl., Goth., Crac., Prag. omissum video; in edd. autem omnibus desideratur.

§ 11. *muris deiectis*] „Dolabris perfregere murum“ Curt. IX, 5, § 19. Graevius tamen ex Iunt.: *deiectus*, cum se deiecisset (Ald. retinet *deiectis*); sic non solum Magl., sed Med. quoque.

C. X. § 1. *Polyperchonta*] De hac missione alibi non legi; sed vera esse videtur; nam hoc ipso tempore *τὴν Πολυπέρχοντος τάξιν — Κρατερῷ ἄγειν προςέταξε;* Arrian. VI, 5, § 11.

navibus conscensis Oceani litora peragrat. Cum venisset ad urbem 2
Ambigeri regis, oppidani invictum ferro audientes sagittas veneno armant; atque ita gemino mortis vulnere hostem a muris submoventes plurimos interficiunt. Cum inter multos vulneratus etiam Ptole- 3
maeus esset moriturusque iamiam videretur, per quietem regi monstrata in remedia veneni herba est: qua in potu accepta statim periculo liberatus est; maiorque pars exercitus hoc remedio servata.
Expugnata deinde urbe reversus in naves Oceano libamenta dedit, 4
prosperum in patriam reditum precatus: ac veluti curru circa metam 5
acto, positis imperii terminis, quatenus aut terrarum solitudines prodire passae sunt aut mare navigabile fuit, secundo aestu ostio fluminis Indi invehitur. Ibi in monumenta rerum a se gestarum ur- 6
bem Barcen condidit; arasque statuit, relicto ex numero amicorum litoralibus Indis praefecto. Inde iter terrestre facturus, cum arida 7
loca medii itineris dicerentur, puteos opportunis locis fieri praecipit: quibus ingenti dulci aqua inventa Babyloniam redit. Ibi multae de- 8
victae gentes praefectos suos accusaverunt, quos sine respectu amicitiae Alexander in conspectu legatorum necari iussit. Filiam 9

---

§ 2. *urbem Ambigeri regis*] Harmatelia, teste Diodoro XVII, 103, vel Ἅρματα, ut multi codd. Wessel.; extremam urbem Brachmanum; regem autem appellant *Sambum* vel *Sabum;* Plutarchus *Sabbam;* v. ad Curt. IX, 8, § 13. Hoc loco 1 Bong.: *Ambigari;* alius et Bodl.: *Ambiregis.* Veram puto Vorstii sententiam, *Ambi* esse pro *Sambi* (v. nos ad I, 6, § 2 et intt. ad XV, 4, § 13) et *geri* syllabam corruptam e seq. voce: *regis.* Ita etiam Blancardus ad Arrian. exp. p. 409. Idem iam, teste Gronovio, in codd. Med., Bodl., Leidd. 2. 5 illatum est. Orosius: *ad urbem quandam, cui Ambira rex praeerat.* Edd. vett.: *Ambiani regis.* Vossius *Abisarem* vel *Ambisarem* regem ex Arrian. V, 29 restituere maluit, sed refragante variis modis historia.

§ 3. Goth.: *vulneratos* et *moriturus iamiamque vid.*

§ 5. En corruptelarum facilem ortum! Bong. omnes praeter unum: *curru certamine iam acto*, vel similiter.

quatenus aut] Certa emendatio Freinshemii, primum recepta a Berneccero. Codd. omnes et edd.: *qua sinus aut* cett. unde *quatinus* scribendum videri possit, sed hoc et in usum peccat et in grammaticorum praecepta laudd. ap. Cellar. de Orthogr. Vol. II. p. 48 Harl.

§ 6. *Barcen*] Bong.: *Barcem.* „Nulla *Barce* ab Alexandro in ostio Indi condita. Βαρακην ibi invenio; et sic rescribendum." *Salmas.* Eatenus probabiliter, quod in illis regionibus *Barace* oppidum cum portu situm erat; v. Plin. VI, 26 ibiq. Harduin. p. 671 Franz.; sed a Graecis κώμη vocatur nec ullum indicium tam clarae originis; in Onesicriti tamen et Nearchi Periplis primum Baracae mentio fiebat. Vide Freinshem. ad Curt. IX, 10, § 2: *interim et urbes plerasque condit*, ubi Freinshem.: *urbes portusque* c. quod receperunt Tellier. et Cellarius, neutri tamen *Barace* portus in mentem venit.

litoralibus Indis praefecto] An Leonnatum Oritis praepositum intelligit? Hoc lectoribus se probabit ex Arrian. VI, 22.

§ 7. *redit*] i. e. non ulterius progrediens Babylonem versus tendit.

10 post haec Darii regis, Statiram, in matrimonium recepit: sed et
optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobilissimas
virgines tradidit, ut communi facto crimen regis levaretur.
1 XI. Hinc ad concionem exercitus vocat et promittit *se aes alie-
num omnium propria impensa soluturum, ut praedam praemiaque in-
2 tegra domos ferant. Insignis haec munificentia non summa tantum,
verum etiam titulo muneris fuit; nec a debitoribus magis quam a
creditoribus gratius excepta: quoniam utrisque exactio pariter ac so-
3 lutio difficilis erat. Viginti millia talentûm in hos sumtus expensa.
4 5 Dimissis veteranis exercitum iunioribus supplet. Sed retenti vete-
ranorum discessum aegre ferentes missionem et ipsi flagitabant; *nec*
annos, *sed stipendia sua numerari* iubebant, *pariter in militiam lectos*
6 *pariter sacramento solvi aequum* censentes: nec iam precibus, sed
convicio agebant, iubentes *eum solum cum patre suo Hammone inire*
7 *bella*, *quatinus milites suos fastidiat*. Contra ille nunc castigare mi-
lites, nunc lenibus verbis monere, *ne gloriosam militiam seditionibus*
8 *infuscarent*. Ad postremum cum verbis nihil proficeret, ad corri-
piendos seditionis auctores e tribunali in concionem armatam inermis
ipse desiliit et nemine prohibente tredecim correptos manu sua ipse
9 ad supplicia duxit. Tantam vel illis moriendi patientiam metus
regis vel huic exigendi supplicii constantiam disciplina militaris
dabat.
1 XII. Inde separatim auxilia Persarum in concione adloquitur.
2 Laudat perpetuam illorum tum in se, tum in pristinos reges fidem;
sua in illos beneficia commemorat: *ut numquam quasi victos*, *sed vel-*
uti victoriae socios habuerit; denique se in illorum, *non illos in gentis*
suae morem transisse; adfinitatibus connubiorum victos victoribus mi-
3 *scuisse*. *Nunc quoque*, ait, *custodiam corporis sui non Macedonibus*
4 *tantum se*, *verum et illis crediturum*. Atque ita mille ex his iuvenes
in numerum satellitum legit; auxiliorum quoque portionem formatam
5 in disciplinam Macedonum exercitui suo miscet. Quam rem aegre
Macedones tulerunt, iactantes hostes suos in officium suum a rege

---

§ 9. *post haec*] Susis; Plutarch. c. 70. Mss. Bong., Goth.: *Staturam*.

§ 10. *tradidit*] 1 Bong., 2 Gronov., Goth.: *tradit*.

C. XI. § 1. *exercitus*] Sic Bong. e suis et Goth.; reliqui codd. scripturam non prodiderunt. Vulgo edd.: *exercitum*.

§ 3. *viginti millia*] Accuratius ceteri 9,870 talenta; v. Cellar. ad Curt. X, 2, § 10. Edd. vett.: *XXIII millia tal.*

§ 6. *quatinus*] Sic Bong. e veteribus suis, ut Leidd. 1. 4. Periz. et Goth.: *n e mil.* Vulgo: *quatenus*.

§ 8. *desiliit*] Aliqui Bong.: *desiluit*, ut vulgo (cf. 9, 5); 1 eiusd.: *desilivit*.

ad supplicia] Vulgatius intulerunt nonnulli Bong., 6 Gronov., Prag.: *in supplicium*, Goth.: *ad supplicium*, ut Periz.

subiectos. Tunc universi flentes regem adeunt: orant, *suppliciis* 6
suis potius saturet se quam contumeliis. Qua modestia obtinuerunt, 7
ut undecim millia militum veteranorum exauctoraret. Sed et ex ami- 8
cis dimissi senes Polyperchon, Clitos, Gorgias, Polydamas, Ama-
das, Antigenes. Dimissis his Craterus praeponitur, iussus praeesse 9
Macedonibus in Antipatri locum; Antipatrumque cum supplemento
tironum in locum eius evocat. Stipendia revertentibus veluti militan- 10
tibus data.

Dum haec aguntur, unus ex amicis eius, Ephaestion, decedit, 11
dotibus primo formae pueritiaeque, mox obsequiis regi percarus:
quem contra decus regium Alexander diu luxit; tumulumque ei duo- 12
decim millium talentûm fecit; eumque post mortem coli ut deum
iussit.

XIII. Ab ultimis litoribus Oceani Babyloniam revertenti nun- 1
tiatur legationes Carthaginiensium ceterarumque Africae civitatium,
sed et Hispaniarum, Siciliae, Galliae, Sardiniae, nonnullas quo-
que ex Italia eius adventum Babyloniae opperiri. Adeo universum 2
terrarum orbem nominis eius terror invaserat, ut cunctae gentes vel-
uti destinato sibi regi adularentur. Hac igitur ex causa Babyloniam 3
festinanti, velut conventum terrarum orbis acturo, quidam ex Magis
praedixit, *ne urbem introïret*, testatus *hunc locum ei fatalem fore.*
Ob hoc omissa Babylonia in *Borsippam** urbem trans Euphraten, de- 4

* *Bursiam*

C. XII. § 5. *subiectos*] Freinsh.: *sublectos;* sed recte Vorstius confert I, 9, § 9: *Prostrato Mergide fratrem suum subiecit Oropasten.*

§ 7. *undecim mill.*] ὡς μυρίους; v. Vorst.

§ 8. *Sed et ex am.*] Sic Bong. et Goth. Vulgo: *Sed ex am.*

Clitos] (sic etiam Goth. et 3 ap. Bong.) alius atque ille c. 6, equitum dux, cuius apud Arrianum mentio frequens. Bong.: *Clitus;* in cuius codd. multae hic depravationes.

Amadas] 1 Bong.: *Aminadas*, suprascripto eadem manu *Aminthas;* et *Amyntas* restituit h. l. Vossius; sic Magliab. et Thuan. a sec. m. et Crac. Blancardus per librariorum socordiam ex praecedente nomine ortum esse statuit; omittunt vett. edd. et coll. N. Goth.: *Amandas*, ut Bodl.

§ 9. *Craterus*] 1 Bong. et Crac.: *Crateros*, ut Gronovius.

§ 11. *Ephaestion*] Sic Bong. et codd. Gronovius: *Hephaestion*, quod ex uno Leid. 4 produxit. Ecbatanis decessit.

§ 12. *ut deum*] certe ut ἥρωα (v. Vorst.), sed inspice Gronovium pag. 859.

C. XIII. § 1. *eius adv.*] 8 Gronov., Crac., Goth., Vinc. Bellov.: *adv. eius*, quod praeferendum duco.

§ 3. *velut*] Sic Bong. h. l., qui praeced. § *veluti* (Goth. utrobique: *velut*), meliore sono et numero. Vulgo: *veluti.* Ut Bong., sic vett. edd. Sic infr. § 8 codd. et edd.: *veluti telo confixus* et § 9 iidem: *velut vulnera indolesceret.*

§ 4. *Bursiam*] Sic codd. paene omnes et Vinc. Bell. Uni Bong. adscripta erat syllaba *be*, quasi legendum esset *Burbesiam.* Inde verisi-

5 sertam olim, concessit. Ibi ab Anaxarcho philosopho compulsus est
rursum Magorum praedicta contemnere ut falsa et incerta et, si fa-
tis constent, ignota mortalibus; at, si naturae debeantur, immuta-
6 bilia. Reversus igitur Babyloniam multis diebus otio datis intermis-
7 sum olim convivium solemniter instituit: totusque in laetitiam effu-
sus cum diei noctem pervigilem iunxisset, recedentem iam e convi-
vio Medius Thessalus instaurata comissatione et ipsum et sodales
8 eius invitat. Accepto poculo media potione repente veluti telo con-
9 fixus ingemuit, elatusque e convivio semianimis tanto dolore crucia-
tus est, ut ferrum in remedia posceret tactumque hominum velut
10 vulnera indolesceret. Amici causas morbi intemperiem ebrietatis
disseminaverunt: re autem vera insidiae fuerunt, quarum infamiam
successorum potentia oppressit.

1 XIV. Auctor insidiarum Antipater fuit, qui cum carissimos
amicos eius interfectos videret; Alexandrum Lyncistarum, generum
2 suum, occisum; se magnis rebus in Graecia gestis non tam gratum
3 apud regem quam invidiosum esse; a matre quoque eius Olympiade
4 variis se criminationibus vexatum. Huc accedebant ante paucos dies
5 supplicia in praefectos devictarum nationum crudeliter habita. Ex
quibus rebus se quoque a Macedonia non ad societatem militiae, sed
6 ad poenam evocatum arbitrabatur. Igitur ad occupandum regem
Cassandrum filium dato veneno subornat, qui cum fratribus Philippo
7 et Iolla ministrare regi solebat: cuius veneni tanta vis fuit, ut non
aere, non ferro, non testa contineretur, nec aliter ferri nisi in un-
gula equi potuerit: praemonito filio, ne alii quam Thessalo et fra-
8 tribus crederet. Hac igitur ex causa apud Thessalum paratum repe-
9 titumque convivium est. Philippus et Iollas praegustare ac temperare

---

militer admodum restituit Vossius: *Borsippam*, iam a Fr. Asulano in Ald. illatum. De situ urbis v. *S. C. examen critique* pag. 812 sq. Edd. vett. *Byrsiam*, ut Goth.; Prag.: *Byrsiam vilem urbem;* coll. N.: *Blesiam;* Periz.: *Brixiam.* — *Borsippa* oppidum a Chaldaeis incolebatur; v. Strabo XV, p. 509 Casaub.

§ 5. *rursum*] Goth., Bellov.: *rursus.*

at, si n.] Mss. Bong., Goth., Prag. cum Vinc. Bell.: *ac, si n.*

§ 7. *Medius Thessalus*] Codd. omnes cum Vinc. Bell. V, c. 64: *medicus Th.;* sed correxerunt errorem Paul. Leopardus, Bongars. et ante hos in Aldina Fr. Asulanus. Rem plene docent interpp. ad h. l.

comissatione] Bong.: *comess.*

§ 9. *elatusque e conv.*] Mss. Bong., 4 Gronov. recentt., Goth., Crac. praepositionem omittunt.

C. XIV. § 1. *cariss.*] Mss. Bong.: *kariss.* Quod praecedit *qui cum* frustra sollicitarunt interpp., in his etiam Graevius et Hottinger.; vid. omnino Wopkens. Goth. *qui* omittit.

Alex. Lyncistarum] Vulgo: *Al. Lyncistam;* v. ad XI, 2, § 2. *Lyncestarum* h. l. 1 Bong. et Goth.

§ 9. *temperare*] Vinc. Bell.: *temptare* i. e. tentare.

potum regis soliti in aqua frigida venenum habuerunt, quam prae-
gustatae iam potioni supermiserunt.
XV. Quarto die Alexander indubitatam mortem sentiens *agno-* 1
scere se fatum domus maiorum suorum ait: *nam plerosque Aeacidarum*
intra trigesimum annum defunctos. Tumultuantes deinde milites in- 2
sidiisque perire regem suspicantes ipse sedavit; eosque omnes, cum
prolatus in editissimum urbis locum esset, ad conspectum suum ad-
misit osculandamque dextram suam flentibus porrexit. Cum lacri- 3
marent omnes, ipse non sine lacrimis tantum, verum etiam sine ullo
tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam impatientius dolentes
consolatus sit; quibusdam mandata ad parentes eorum dedit: adeo, 4
sicuti in hostem, ita et in mortem invictus animus fuit. Dimissis 5
militibus amicos circumstantes percontatur, *videanturne similem sibi*
reperturi regem? Tacentibus cunctis tum ipse, *ut hoc nesciat*, *ita* 6
illud scire vaticinarique se ac pene oculis videre dixit, *quantum sit in*
hoc certamine sanguinis fusura Macedonia; quantis caedibus, *quo*
cruore mortuo sibi parentatura. Ad postremum corpus suum in Ham- 7
monis templo condi iubet. Cum deficere eum amici viderent, quae- 8
runt, *quem imperii faciat heredem.* Respondit *dignissimum.* Tanta 9
illi magnitudo animi fuit, ut, cum Herculem filium, cum fratrem
Aridaeum, cum Roxanen uxorem praegnantem relinqueret, oblitus
necessitudinum dignissimum nuncuparet heredem: prorsus quasi ne- 10
fas esset viro forti alium quam virum fortem succedere; aut tanti

---

C. XV. § 1. *domus maiorum suorum*] Faber: *domus suae*, tamquam illata ex glossa ad *Aeacidarum* voce *maiorum.* Vinc. Bell.: *domus suae et mai. suor.*

§ 2. *insidiisque perire*] Sic omnes Bong. praeter unum, 4 Gronov., Goth., Crac., Prag., Vincent. et edd. vett.; rectissime; verebantur enim, cum regem non viderent, castrensi rumore ancipitia multa perciperent, ne id iam ageretur a principibus, ut clandestinis fraudibus et morbi simulatione e medio tollerent. Vulgo ex 7 codd.: *perisse*, fort. propter narrationes, qualis ap. Arrianum est VII, 26: *τεθνηκέναι ἤδη ἐξηγγέλλετο, ἐπικρύπτεσθαι δὲ αὐτοῦ ἐτόπαζον πρὸς τῶν σωματοφυλάκων τὸν θάνατον;* sed noster locus aliam sententiam habet. Deinde post voc. *insidiis* deleverunt copulam *que*, quae a solis edd. vett. abest.

§ 3 *quibusdam mand.— dedit*] Bong.: *quibus mand. — dedit;* unus tantum ipsius *quibusdam* praebet, ut edd. vett., verum oratio postulat et per insequentes literas syllaba *dam* facile perire poterat; legitur tamen in Prag., Goth., Crac. Deinde vero quod in omnibus, quantum scio, codd. et edd. vett. exhibetur: *dedit*, temere post Berneccerum mutatum est in *dederit*, quae iam vulgata est.

§ 6. Goth.: *parentaturi.*

§ 7. *templo*] Mss. nescio quot Bong., 7 Gronov., Goth., Crac.: *templum*, quod fortasse recipiendum erat.

§ 8. *dignissimum*] Lege h. l. Bernecceri not.

§ 9. *Roxanen*] Bong.: *Roxanem.*

nuncuparet] 1 Bong., 9 Gronov.: *nuncuparit*, quod vigori narrationis multum detrahit.

11 regni opes aliis quam probatis relinqui. Hac voce veluti bellicum
inter amicos cecinisset aut malum discordiae misisset, ita omnes in
aemulationem consurgunt et ambitione vulgi tacitum favorem militum
12 quaerunt. Sexta die praeclusa voce exemtum digito anulum Perdic-
cae tradidit: quae res gliscentem amicorum dissensionem sedavit.
13 Nam etsi non voce nuncupatus heres, iudicio tamen electus esse
videbatur.
1 XVI. Decessit Alexander mensem unum, annos tres et triginta
natus: vir supra humanam potentiam magnitudine animi praeditus.
2 Qua nocte eum mater Olympias concepit, visa per quietem est cum
ingenti serpente volutari; nec decepta somnio est: nam profecto ma-
3 ius humana mortalitate opus utero tulit: quam cum Aeacidarum gens
ab ultima saeculorum memoria et regna patris, fratris, mariti ac dein-
ceps maiorum omnium illustraverint, nullius tamen nomine quam filii
4 clarior fuit. Prodigia magnitudinis eius in ipso ortu nonnulla appa-
5 ruere. Nam ea die, qua natus est, duae aquilae tota die perpetes
supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperii,
6 Europae Asiaeque, praeferentes. Eadem quoque die nuntium pa-
ter eius duarum victoriarum accepit: alterius, belli Illyrici; alterius,
certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat: quod
7 omen universarum terrarum victoriam infanti portendebat. Puer acer-
8 rimis litterarum studiis eruditus fuit. Exacta pueritia per quinquen-

---

§ 11. *tacitum favorem*] v. Graevium, qui cetera bene de h. l. disserens *tacite* scribendum iudicat; sed *tacitus favor* est clandestinus, secretis artibus paratus, qui ceteros duces eorumdem studiorum aemulos falleret.

§ 12. *Sexta die*] Sic Bong. e suis; adde Leid. 1, Crac., Vinc. Bell. Vulgo: *Sexto d.*, ut edd. vett.

C. XVI. § 1. *mensem* cett.] Accuratius ceteri scriptores eum *annos XXXII et menses octo* vixisse tradunt; v. intt. h. l., praesertim Gronov. p. 861 et *S. C. examen critique* p. 638 sqq. Memoranda est Oudendorpii coniectura: *mense minus annos* cett.

§ 2. *volutari*] Mss. nescio quot Bong., 3 Dorv., 3 Gron.: *voluptari*, unde Freinsh.: *voluptuari*, ut Ald.; sed vulgatum tuentur Graevius, Faber, Heinsius (Adverss. p. 706) al.

opus] Graevius: *onus;* sed v. Burmannum a Gronov. laud. in Addend.

§ 5. *perpetes*] Sic codd. Fuldd.; aliquot Bong.: *perpedes;* ceteri omnes: *praepetes*, quod non nisi de volantibus avibus dictum vidi. Vinc. Bellov. V, c. 5: *tota die perpete*, ut V, 7, § 6: *perpeti nocte;* sed detrita potius lit. *s* ob seq. *supra.*

§ 6. *belli Illyrici*] V. supr. VII, 6, § 7.

Olympici] Gronovius ex interpolatissimis Magl. et coll. N. et edd. vett. scripsit: *Olympiaci.* Ex Bongarsianis ita unus ille, qui cum Prag. consentit. Paullo ante mss. Bong., 4 Gronov.: *altera — altera;* Prag.: *alteram — alteram;* 7 ap. Gron. et 1 Bong.: *alterae — alterae.* Goth.: *alter — alter.*

§ 7. *acerrimis*] Vulgo ex edd. vett., coll. N. et 2 Dorv.: *acerrimus*, quod non invenio cur docti praetulerint. Prag.: *a cunis.*

nium sub Aristotele doctore, inclyto omnium philosophorum, crevit.
Accepto deinde imperio *regem se terrarum omnium ac mundi* appellari 9
iussit; tantamque fiduciam sui militibus fecit, ut illo praesente nul- 10
lius hostis arma nec inermes timuerint. Itaque cum nullo hostium 11
umquam congressus est, quem non vicerit; nullam urbem obsedit,
quam non expugnaverit; nullam gentem adiit, quam non calcaverit.
Victus denique ad postremum est non virtute hostili, sed insidiis 12
suorum et fraude civili.

---

§ 8. *doctore, inclyto* cett.] Laboraverat hic locus prava distinctione; iunge *inclyto omnium phil.* i. e. inter omnes phil.; v. Zumptii *gramm. lat.* § 73. nr. 3, 1.

§ 11. *hostium*] Vinc. Bell.: *hoste.*

§ 12. *Victus denique*] Goth.: *V. enim ad p.*

LIBER XIII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XIII.*)

Tertio decimo volumine continentur haec. Ut mortuo Alexandro optimates castrorum eius provinciarum imperia sint partiti; ut veterani, qui ab eodem lecti erant in colonias, moliti relictis illis in Graeciam redire, a Pithone[1]) sint deleti. Bellum *Lamiacum**[2]), quod Antipater in Graecia gessit. Bellum, quo Perdiccas[3]) regem Ariarathem[4]) occidit et (*hoc, quo*)[5]) occisus est. Bellum, quo Eumenes Neoptolemum et

* *Lamsacum*

---

[1]) Sic Longuerr. et Freinsh. in indice Curtii s. v. *Pithon.* Codd.: *Phithone* vel *Phitone.* Grauert.: *Pythone.* De re v. Mannertum, *Gesch. der unmittelb. Nachf. Al.* p. 22 sqq. Iustinus omisit.

[2]) *Lamsacum* codd. praebent ad unum omnes; Crac. adeo: *Dapsarum.* Emendarunt Bong. et Longuerr.

[3]) Periz.: *Perdicca*, ut Iustinus; v. Gron. De re vide ad c. 6, § 1.

[4]) Gronov.: *Ariarathen.*

[5]) Voculas *hoc, quo* de coniectura addidi; has putavi facillime potuisse excidere. Codd. Bong. et Longu.: *occidit et occ. est;* Gronov. tamen ab suis codd. *et* abesse testatur. Mancum locum esse omnes viderunt: corrigentes Bongars.: *occidit, is ut deinde occ. est;* Longuerr.: *occidit et (ut ipse Aegyptum cum exercitu petens) occ. e.;* Gron.: *occ. et ut occ. e.*, itaque edens.

Craterum[6]) occidit. Additae in excessu origines regesque Cyrenarum.

---

[6]) Sic Bong., quod reliquit Gronov.; e Leidd. autem, coll. C. C., Periz., Thuan. affert: *Crateron*, ut Iustinus c. 2 extr., at idem c. 6, § 15: *Craterum*, secundum Bong.; quare nondum muto. — Nota hic *origines Cyrenarum* non eo loco memorata esse, quo a Pompeio posita erant.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Luctus ob Alexandri Magni excessum; Macedonum ingratus animus; ducum ambitio militumque avaritia.*
2. *De Alexandri successore ducum exercitus sententiae pugnantes.*
3. *Perdiccae sententiae reclamant pedites, quorum tumultum sedat Perdicca.*
4. *Aridaeo rege designato Perdicca et alii duces seu principes provincias dividunt.*
5. *Bellum pro Graeciae libertate ab Atheniensibus et Aetolis reparatum. Demosthenis in patriam merita; Antipatri obsidio et liberatio.*
6. *Perdicca Cappadoces proelio fatigat. Bellum inter Antigonum et Perdiccam. Ptolemaei solers industria.*
7. *De origine urbis Cyrenes degressio.*
8. *Ptolemaeus bellum parat in Perdiccam. Eumenis res fortiter et feliciter gestae. Perdicca perit.*

---

1 I. Exstincto in ipso aetatis ac victoriarum flore Alexandro
2 Magno triste apud omnes tota Babylone silentium fuit. Sed nec de-
victae gentes fidem nuntio habuerunt, quod ut invictum regem, ita
3 immortalem esse crediderant: recordantes, quoties praesenti morte
ereptus esset; quam saepe pro amisso repente se non sospitem tan-
4 tum suis, verum etiam victorem obtulisset. Ut vero mortis eius
fides adfuit, omnes barbarae gentes paullo ante ab eo devictae non
5 ut hostem, sed ut parentem luxerunt. Mater quoque Darii regis,

---

C. I. § 1. *Babylone*] 1 Bong., 5 interpolati apud Gronov., Goth., Vinc. V, 65: *Babylonia.*

§ 3. *praesenti morte*] Sic Bong. ex omnibus suis, Gronoviani praeter duos, alii et Vinc. Bellov.: i. e. quoties, quando praesens mors esset, ex eadem ereptus evaserit. Vulgo ex edd. vett., 2 Gron., Dorv. 3: *pr. morti.* Goth.: *morti esset ereptus.*

quam amisso filio a fastigio tantae maiestatis in captivitatem redactam indulgentia victoris in eam diem vitae non poenituerat, audita morte Alexandri mortem sibi ipsa conscivit: non quod hostem filio 6
praeferret, sed quod pietatem filii in eo, quem ut hostem timuerat, experta esset. Contra Macedones versa vice non ut civem ac tantae 7
maiestatis regem, verum ut hostem amissum gaudebant, et severitatem nimiam et adsidua belli pericula exsecrantes. Huc accedebat, 8
quod principes regnum et imperia, vulgus militum thesauros et grande pondus auri, velut inopinatam praedam, spectabant: illi successionem regni, hi opum ac divitiarum hereditatem cogitantes. Erant 9
enim in thesauris quinquaginta millia talentûm et in annuo vectigali tributo tricena millia. Sed nec amici Alexandri frustra regnum spe- 10
ctabant: nam eius virtutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares. Quippe ea formae pulchritudo et proceritas corporis et vi- 11
rium ac sapientiae magnitudo in omnibus fuit, ut qui eos ignoraret, non ex una gente, sed ex toto terrarum orbe electos iudicaret. Ne- 12
que enim umquam ante Macedonia vel ulla gens alia tam clarorum virorum proventu floruit: quos primo Philippus, mox Alexander 13
tanta cura legerat, ut non tam ad societatem belli quam in successionem regni electi viderentur. Quis igitur miretur talibus ministris 14
orbem terrarum victum, cum exercitus Macedonum tot, non ducibus, sed regibus regeretur? qui numquam sibi reperissent pares, si 15
non inter se concurrissent; multosque Macedonia pro uno Alexan-

---

§ 5. *quam — redactam*] Aliquot codd. Bong., 7 Gronov., 4 Wopk., Goth.: *quae — redacta;* quod per se quidem recte dicitur, sed huic loco non est aptum.

§ 7. *et severitatem*] Sic mss. nescio quot Bong., Prag., Goth. et plerique, ut videtur, Gron. et Wopk. Sed Bong. et edd. vett. *et* omittunt. Crac.: *ut sev.*

§ 8. *inopinatam*] i. e. quam non speraverant ad se redituram, sed ab Alexandro bellis gerendis consumtum iri. Falso explicat Wopkensius: spe omni maiorem.

§ 9. *quinquaginta*] Edd. vett.: *C.* Eaedem pro *tricena* per errorem: *CCC;* sed iam Prag.: *trecenta;* Crac.: *tricenta.*

§ 10. *Sed nec amici*] „*Nec*, quod in uno tantum ms. reperi, inducendum curavi. Frustra exspectabant regnum, cum omnes pares essent et aequalitas discordiam augeret, ut paullo post XIII, 2, § 3 et XVI, 3, § 1 dicet;" cett. *Bong.* Sed hoc loco id non esse ex mente Iustini ipsa verba docent; neque ex reliquis codd. simile quidquam affertur. Iterum inspiciendi sunt codd. Bong., quorum pars in Bernensi bibliotheca reposita est.

§ 11. *ignoraret*] scil. quinam essent genere et patria; recte Wopkensius.

§ 12. *Macedonia*] Mss. Bong.: *Macedonica.*

§ 15. *Macedonia pro uno*] Bong. omnes, Bodl., coll. C. C., Prag., Goth., Crac., sine dubio cum aliis plurimis: *Mac. provincia*, quod librariorum mentibus inhaerebat ex oratoribus et Romanarum rerum scriptoribus.

dros habuisset, nisi fortuna eos aemulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.

1 II. Ceterum occiso Alexandro non ut laeti, ita et securi fuere
2 omnibus unum locum competentibus; nec minus milites quam invicem se timebant, quorum et libertas solutior et favor incertus erat.
3 Inter ipsos vero aequalitas discordiam augebat nemine tantum cete-
4 ros excedente, ut ei aliquis se submitteret. Armati itaque in regiam
5 coëunt ad formandum rerum praesentium statum. Perdicca censet *Roxanes exspectari partum, quae exacto mense octavo matura iam ex Alexandro erat; et, si puerum peperisset, hunc dari successorem patri.*
6 Meleager negat *differenda in partus dubios consilia; nec exspectan-*
7 *dum, dum reges nascerentur, cum iam genitis uti liceret: seu puer illis placeat, esse Pergami filium Alexandri natum ex Barsine, nomine*
8 *Herculem: seu mallent iuvenem, esse in castris fratrem Alexandri Aridaeum, comem et cunctis non suo tantum, verum et patris Philippi*
9 *nomine acceptissimum. Ceterum Roxanen esse originis Persicae: nec esse fas, ut Macedonibus ex sanguine eorum, quorum regna deleve-*
10 *rint, reges constituantur: quod nec ipsum Alexandrum voluisse* dicit;
11 *denique morientem nullam de eo mentionem habuisse.* Ptolemaeus recusabat regem Aridaeum *non propter maternas modo sordes, quod ex Larissaeo scorto nasceretur; sed etiam propter valetudinem maiorem,*
12 *quam patiebatur: ne ille nomen regis, alius imperium teneret; melius*

C. II. § 3. *aliquis se*] Modii codd.: *se alius.* Goth.: *se aliquis.*

§ 4. *formandum*] Sic unus tantum Bong., sed reliqui fere omnes Bong.: *firmandum*, ut de rebus incertis, quae firmiter constituendae sint. Ex his utrum verum sit, vehementer ambiguum est ac multae in utramque partem disceptationis.

§ 5. *Roxanes*] Bong. ubique: *Roxanis*, de quo quaerendum. Ita etiam Goth. et Prag.

mense octavo] At apud Curt. X, 6, § 9 idem dicit: *Sextus mensis est, ex quo Roxane praegnans est:* quod temporum rationi unice convenit.

§ 6. *Meleager*] Imo *Nearchus*, ut Curtius l. l. § 10, qui Arrianum fere sequitur.

differenda — consilia] Sic unus tantum Bongars. et edd. vett. omnes. Bong.: *differendum — consilium*, ut Crac.; illud tamen et melius et magis ex usu Iustini.

§ 7. *seu p.*] Goth.: *et seu.*

Barsine] Mss. Bong., Goth.: *Basinisse;* al. *Barsinisse*, *Basanissa*, unus *Barsane.*

§ 8. *Aridaeum*] Mss. Bong.: *Arhid.*

§ 9. *Roxanen*] Bong., Goth.: *Roxanem.*

§ 11. *valetudinem* (Bong.: *valitudinem*) *maiorem*] Erat enim ἀτελὴς τὸ φρονεῖν διὰ σώματος νόσον οὐ φύσει προςπεσοῦσαν οὐδὲ αὐτομάτως, ἀλλὰ . . . . φαρμάκοις ὑπ' Ὀλυμπιάδος cett. Plutarch. *Valetudinem maiorem* explicamus vel morbum vulgaribus ac solitis graviorem vel maiorem, quam ut regnum ei tradi possit: dum demonstrabitur significari, quod putant, morbum comitialem, quem Celsus III, 23 *morbum maiorem* vocat.

*esse ex his legi, qui pro virtute regi suo proximi fuerint, qui provin-
cias regant, quibus bella mandentur, quam sub persona regis indigno-
rum subiiciantur imperio.* Vicit Perdiccae sententia consensu univer- 13
sorum. Placuit itaque Roxanes exspectari partum; et, si puer na- 14
tus fuisset, tutores Leonatum et Perdiccam et Crateron et Antipa-
trum constituunt; confestimque in tutorum obsequia iurant.

III. Cum equites quoque idem fecissent, pedites indignati nul- 1
las sibi consiliorum partes relictas, Aridaeum, Alexandri fratrem,
regem appellant satellitesque illi ex tribu sua legunt et nomine Phi-
lippi patris vocari iubent. Quae cum nuntiata equitibus essent, le- 2
gatos ad mitigandos eorum animos duos ex proceribus, Attalum et
Meleagrum, mittunt: qui potentiam ex vulgi adulatione quaerentes
omissa legatione militibus consentiunt. Statim et seditio crevit, ubi 3
caput et consilium habere coepit. Tunc ad delendum equitatum 4
cuncti armati in regiam irrumpunt: quo cognito equites trepidi ab 5
urbe discedunt castrisque positis et ipsi pedites terrere coeperunt.
Sed nec procerum inter se odia cessabant. Attalus ad interficiendum 6 7
Perdiccam, ducem partis alterius, mittit: ad quem armatum et ultro 8
vocantem cum accedere percussores ausi non fuissent, tanta con-
stantia Perdiccae fuit, ut ultro ad pedites veniret et in concionem
vocatos edoceret, *quod facinus molirentur; respicerent, contra quos* 9
*arma sumsissent: non illos Persas, sed Macedonas; non hostes, sed
cives esse; plerosque etiam cognatos eorum, certe commilitones, eorum-
dem castrorum ac periculorum socios: edituros deinde egregium hosti-* 10
*bus suis spectaculum, ut, quorum armis victos se doleant, eorum mu-
tuis caedibus gaudeant, parentaturosque sanguine suo manibus hostium
a se interfectorum.*

---

§ 14. Hoc de Pithonis et nobiliorum sententia constitutum est, dum vulgus Meleagro duce *Aridaeum* regem promulgat. Accuratius et verius haec narrantur ab Arriano et Curtio X, 6 fin. et 7.

Crateron] Prag.: *Critonem.*

confestimque] Goth.: *constitutique.*

C. III. § 1. *tribu*] 1 Bong., 3 Mod., 3 Gronov., Goth., 2 Dorv.: *turba;* sed vide I. Fr. Gronov. Obss. IV, c. 10.

§ 2. *mitigandos*] E codd. universis Bong., Goth., Crac. et reliquis, ni fallor, paene omnibus haud cunctanter restitui, cum vulg. *mitigandum,* cuius praeter vett. edd. sponsorem non producunt, aperte correctoribus debeatur, quos asperitas in terminationum similitudine offendebat. Sic iam in Prag.

militibus] peditibus; v. Graevium.

§ 4. *ad delendum*] Mss. Bong.: *ad deligandum.*

§ 5. *terrere*] Sic vulgo et in codd. Bong.; recte; *pedites* accusativus est. Bong. impeditiore structura et minus concinna sententia: *terreri.*

§ 7. *vocantem*] Multi codd., sed unus tantum e Bongg.: *provocantem. Meleagro* autem, quae hic de Attalo narrantur, tribuit Curtius X, 8, 1, cum Arriano haec multo accuratius tradens.

1 IV. Haec cum pro singulari facundia sua Perdicca perorasset,
adeo movit pedites, ut probato consilio eius dux ab omnibus legere-
2 tur. Tum equites in concordiam revocati in Aridaeum regem con-
3 sentiunt. Servata est portio regni Alexandri filio, si natus esset.
4 Haec agebant posito in medio corpore Alexandri, ut maiestas eius
testis decretorum esset.

5 His ita compositis Macedoniae et Graeciae Antipater praeponi-
tur; regiae pecuniae custodia Cratero traditur; castrorum, exercitus
6 et rerum cura Meleagro et Perdiccae adsignatur; iubeturque Ari-
7 daeus rex corpus Alexandri in Hammonis templum deducere. Tunc
Perdicca, infensus seditionis auctoribus, repente ignaro collega lu-
8 strationem castrorum propter mortem regis in posterum edicit. Post-
quam armatum exercitum in campo constituit, consentientibus uni-
versis evocatos, dum transit, de singulis manipulis seditiosos sup-
9 plicio tradi occulte iubet. Reversus inde inter principes provincias
dividit: simul ut et removeret aemulos et munus imperii beneficii sui
10 faceret. Prima Ptolemaeo Aegyptus et Africae Arabiaeque pars
sorte venit, quem ex gregario milite Alexander virtutis causa pro-
11 vexerat; cui ad tradendam provinciam Cleomenes, qui Alexandriam

---

C. IV. § 1. *probato consilio*] ac vi et frumenti inopia per equites suos illis illata; Curt. X, 8, § 11 sqq.

§ 3. Aliter ceteri; cf. *Mannerti* librum: *Geschichte der unmittelb. Nachfolger Alex.* pag. 11 sq.

§ 5. *Cratero*] qui tum in Cilicia erat, ab Alexandro cum emeritis dimissus; XII, 12, § 9. Arrianus eum constitutum esse dicit *προστάτην τῆς Ἀριδαίου βασιλείας;* cf. *Mannert.* l. l. p. 18.

exercitus] Bong. et 4 recc. Gronov.: *et exerc.;* facilis hic error in compendiis erat; v. supra. — *rerum*] i. e. belli; v. Graev. Meleager autem erat *ὕπαρχος Περδίκκου.*

§ 6. *Aridaeus rex*] imo e ducibus unus, non rex, memorante Wesselingio ad Diodor. XVIII, 13, n. 2, *Mannert.* p. 379; sunt tamen qui regem teneant, inter antiquos Dexippus apud Euseb. p. 57 extr. ed. Scal., quem interpolatum puto; in recentioribus *S. C.*, *examen crit.* pag. 515 al. Vetustissimi editores voc. *rex* deleverunt. Rem aliter narrant alii; v. Bong.

§ 7. *collega*] Meleagro, qui pedites sibi conciliaverat.

edicit] Goth.: *edidit.*

§ 8. *dum transit*] scil. exercitus lustrandus. Trecenti inspectante universo exercitu elephantis obterendi proiiciuntur.

§ 10. *Prima*] Sic mss. Bong. ac fortasse omnes Gronov. Bong. et vett. edd.: *Primo;* illud tamen aptius est, quod terras hic recensus, non duces sequitur.

Arabiaeque] Sic unus Bong. et Oros.; Crac., Goth., Prag.; de suis tacet Gronov. „Mss. ceteri: *Asiae Libyaeque p.*" Bong. Sic et coll. C. C. — *Africae pars*, Libya; *Arabiae*, Arabia Petraea.

venit] ad eum pervenit, ei contigit; v. Graev. h. l. et Duker. ad Liv. XXIX, 20, § 4. Nonnulli contra codd. omnes: *sorte evenit.*

§ 11. *cui ad trad.* cett.] Error manifestus; Arrianus: *Κλεομένης δὲ ὁ ἐξ Ἀλεξάνδρου τῆς σατραπείας ταύτης ἄρχειν τεταγμένος* (cf. Curt.

aedificaverat, datur. Confinem huic provinciae Syriam Laumedon 12
Mitylenaeus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios accipiunt. Mediae 13
maiori Atropatos, [minori] socer Perdiccae, praeponitur. Susiana 14
gens Scyno, Phrygia maior Antigono, Philippi filio, adsignatur.

IV, 8, § 5, ubi v. Freinsh.) *Πτολεμαίῳ ὕπαρχος εἶναι.* (Iisdem paene verbis Dexippus Photii cod. 82.) Architectus Alexandriae *Dinocrates* erat, v. Bong. h. l. et Salmas. ad Solin. p. 818 sqq. — *aedific.*] Goth.: *condidit.*

§ 12. *Laumedon*] Sic codd. exceptis interpolatis et recentissimis omnes (etiam Goth.); qui consensus vett. edd. et coll. N. lectioni *Laomedon* postponi non debebat; ita tamen Oros. et Freculph. Eodem modo *Laudice* in XV, 4, § 3. V. Bongars. Posterioribus temporibus haec scriptura magis magisque invaluit; v. *Tzschuckium* ad Pomp. Mel. I, 12, § 5.

Philo Illyrios] Illyrii ad Antipatri et Crateri provinciam pertinebant, Philonem autem inter duces Alexandri praeter Cedrenum nemo scriptorum novit. Apertissimus igitur error est, iam in Orosii exemplis admissus, ipsius fortasse Iustini oscitantia. Unus Bong.: *cum Philo*, alius *Filo;* ex quo Magl., coll. N., Goth., Prag., Crac.: *Philotas cum filio;* unde Glareanus assentiente Fabro coniecit: *Philotas cum filio Illyrio acc.*, sed nihil usquam inveni, quod coniecturam hanc confirmet. Edd. vett. et Bodl.: *cum filio et Ill.* Ald. al.: *Ph. cum Philoxeno et Ill. acc.* ex c. 6, § 16; male. Unus Bong.: *Filotas in Ill.* Freinshemius (ad Curt. X, 10, § 1 s. v.) *Philonem* e ducum Alexandri numero eximendum putat et in Cedreno (Vol. I. p. 155) pro *Φίλων* corrigendum esse *Πείθων;* sed hunc manca in vetustis libris distinctio fefellit, indeque errorum eius series exorta est; *Φίλων* autem ubi scripsit, volebat *Φιλώταν.* Iste denique *Philo*, qui Graecis in Asia superiore colonis rebellantibus praeerat, hic intelligi non potest. Unus Bong. suprascriptum habet, erasa veteri lectione, *Hiolcas.* In *Illyriis* istis vide ne lateant *Isauri* vel *Isauria;* nam Excerpta Chron. Latinobarbara: *Ciliciam et Isauriam et omnia circuitu eius Philone* (scribe *Philotae*, permutato —TAE cum NE) *ordinavit.*

§ 13. *Atropatos*] Sic codd. omnes Bong. (sive vulgari permutatione *Acropatos*) et Gronov., Goth., Crac. Vulgo: *Atropatus.* Graeci quidem: *Ἀτροπάτης*, quare Bong. malit: *Atropates;* sed conf. *Arbaces*, *Arbactus* al. Is pridem ab Alexandro Mediae praefectus, despondente rege Perdiccae filiam suam in matrimonium dederat; v. Arrian. *exp.* VII, 4, § 8; quare verba *socer Perdiccae* ad alium referri non possunt et recte Freinshemius: „Tolle, inquit, illud *minori*, et constabunt sibi omnia"; ad Curt. X, 10, § 1 s. v. Sed iam Orosii temporibus illatum fuerat ab iis, qui distingui hic inter *Mediam magnam* et *Atropatenen* putarent. Diodorus quoque Atropatis nomen in hac divisione provinciarum repetit, XVIII, 3; sed Arrianus *Pithoni* iam tum datam esse Mediam auctor est. — Magl. et Thuan. a sec. m.: *minori Alcetas socer P.*, quod corrigit coll. C. C.: *minori frater P.;* nam *Alcetas* frater Perdiccae erat, non socer; et sic edd. vett.; sed quid Alcetas sibi vult in divisione imperii?

§ 14. *Susiana gens Scyno*] Susianae satrapam *Abulitam* cum filio *Oxathre* Alexander occiderat (Arrian. exp. VII, 4, 1); ex eo tempore qui Susianae praefectus fuerit nusquam proditur, nisi quod in altera regni divisione *Antigenes* (non *Antigonus*, ut Fabric. ad Oros.) ibi rebus praeesse iussus est. Orosius nihil mutat. *Scynum* aliunde non novimus; quare Scaliger probante I. Fr. Gronovio emendavit: *Coeno*, non ignobili inter

15 Lyciam et Pamphyliam Nearchus, Cariam Cassander, Lydiam Me-
16 nander sortiuntur. Leonato minor Phrygia evenit; Thracia et re-
giones Pontici maris Lysimacho; Cappadocia cum Paphlagonia Eu-
17 meni data. Summus castrorum tribunatus Seleuco, Antiochi filio,
18 cessit. Stipatoribus regis satellitibusque Cassander, filius Antipatri,
19 praeficitur. In Bactriana ulteriore et Indiae regionibus priores prae-
20 fecti retenti. Terras inter amnes Hydaspem et Indum Taxiles ha-

---

Alexandri duces, imo servari posse *Cyno* (litera *S* e praecedente voce adhaesit), Graevius post Perizonium docuit; v. supra ad I, 6, § 2. Sic diserte unus Bong. At recte animadvertente Bernecce ro *Coenus* etiam ante Alexandrum obierat; v. Freinshem. ad Curtium IX, 3, § 20. Intelligendus igitur erit alius aliquis *Coeni* vel *Cyni* nomine; nam certae emendationis notae hic apparere omnes videntur. Eadem fere bene exposuit Drakenborch. ad Liv. XLIV, 35, § 10.

§ 15. *Lyciam et Pamphyliam Nearchus*] At hae provinciae cum maiore Phrygia Antigono traditae erant et Nearchi in divisione provinciarum a nemine mentio fit. Correxit igitur Bongars.: — *adsignatur cum Lycia et Pamphylia; Cariam* cett. Cum in excerptis Dexippi (Phot. cod. LXXXII. p. 64 Bekk.) legissem: *Φιλίππου δὲ ἦν ἀρχὴ Σογδιαναὶ . . . . καὶ Νεοπτ.ολέμου Καρμανία*, ne periret vox *Nearchus*, cogitavi de hac emendatione: —*adsignatur cum L. et P.; Nearchus Carmaniam, Cariam* cett. *Carmania* propter seq. vocab. excidere poterat; et *Nearchum* pro *Neoptolemo* ab Iustino positum esse credibile est, ut qui sexcenta talia permutaverit. Sed videndum ne error sit apud Dexippum; nam *Tlepolemo*, non *Neoptolemo*, Carmaniam tribuit Diodorus, quam provinciam idem Tlepolemus in altera divisione retinuisse potius quam accepisse videtur; v. Arrian. ap. Phot. p. 71. lin. 32 Bekk. Deinde Latinobarbarus chronogr. p. 73: *Germaniam* (scr.: *Carm.*) *autem totam Triptolemo donavit*, i. e. *Tlepolemo*, ut Cedrenus Vol. I. p. 155: *Τριπτόλεμος Περσίδος* pro *Tlepolemo* coll. inf. § 23, ubi tamen aliquot codd. *Neoptolemus*. (Conf. V. L. ad II, 6, § 12.) V. etiam Freinshem. ad Curt. X, 10, 1 s. utraque v. — Mss. Bong., 2 Gronov.: *arcus* (pro *Nearch.*). Edd. vett.: *Learchus*.

Cassander] imo *Asander*, *Ἄσανδρος;* v. post Freinshem. Wesseling. ad Diodor. XVIII, 39. nr. 39; sed vulgaris est et iam a veteribus commissa permutatio; quare reliquimus; cf. Gronov. p. 866.

§ 16. *Capp. c. Paphlag.*] *καὶ ὅσα τοῦ Πόντου τοῦ Εὐξείνου σύνορά ἐστιν ἐπὶ πόλιν Ἑλλάδα Τραπεζοῦντα, Σινώπεων ἄποικον.* Arrian.
data] „*sive potius dicta*,“ Corn. Nep. in Eum. c. 2. Goth.: *Eumenidi.*

§ 17. *tribunatus*] praefectura; v. Burmann. ad Vellei. Pat. II, 104. Diodorus: *ἱππαρχία τῶν ἑταιρῶν οὖσα ἐπιφανεστάτη*. Cf. Appian. Syr. 57. In Hephaestionis igitur et Perdiccae locum successit.

§ 19. *retenti*] Multi Bong.: *detenti;* sed haec inter se permutantur; v. Drakenb. ad Liv. V. IV. p. 1089.

§ 20. Sic etiam *Barbié du Bocage* in mappa geogr. ad *S. C. exam. critique* cett. delineata, ut ex scriptoribus efficitur. Falso Dexippus (Phot. 82. p. 64) hunc tractum *Poro* tribuit. — 8 codd., in quibus unus Bong. et Goth., cum Oros.: *Seras;* edd. vett.: *Seres*, qui huius loci non sunt. Gronov.: *Hydaspen*, nescio unde, quamvis ita Goth.

bebat. In colonias in Indis conditas Pithon, Agenoris filius, mitti- 21
tur. *Paropamisios* * et fines Caucasi montis *Oxyartes* ** accepit.
Arachosii Gedrosique Sibyrtio traduntur; Drancae et Arei *Stasa-* 22
nori ***. Bactrianos Amyntas sortitur, Sogdianos *Philippus* †, 23

* *Parapamenos* ** *Extarches* *** *Statanori* † *Scythaeus*

---

§ 21. Goth.: *In colonias in Indos Pyton* cett.] Mss. Bong., Goth., Prag.: *ageronis*. Recte pater adiicitur, ne cum *Cratenae* filio hic Pitho permutetur, quod a Bongarsio factum est; v. Freinsh. ad Curt. X, 10, 1 s. v.; adde Diodor. XVIII, 39.

Paropamisios] Sic probabiliter editur e Vossii coniectura; codd. paene omnes et Oros., ut XII, 5, § 9: *Parapamenos;* 1 Bong. et vett. edd. eiusdem: *Paropamenos*. Glareanus correxit: *Paropamisadas fines C.*

et fines Cauc.] Bong., 11 codd. Gronov., Goth., edd. vett.: *fines C.*, sine copula, quod nondum invenio quomodo defendam; facilius tuear lectionem 1 Bong., Leid. 4, coll. N.: *finem*, quod I. Fr. Gronov. probabat; vel Thuan.: *fine*, ut codd. Orosii et Freculph. Voc. *et* in Ald. primum reperio, ubi legitur: *Paropamisadas et f. C.* Diodor. XVIII, 3: *τὴν δὲ παρὰ τὸν Καύκασον κειμένην* (*σατραπείαν*), *ὀνομαζομένην δὲ Παροπαμισαδῶν*, *προςώρισεν Ὀξυάρτῃ τῷ Βακτριανῷ*.

Oxyartes] Hoc eo confidentius reposui, quod Orosius dedit Iustinum exscribens; alii tamen eiusd. codd. et Freculph.: *Oxyarches*, ut Vossius h. l. scripsit. Codd. Iustini omnes *Extarches;* Goth., Prag.: *Extarces;* 1 Bong.: *Extarges;* uni eiusd. suprascriptum *Oxyarthes*. Vett. edd.: *Axiarches*.

§ 22. *Arachosii*] Sic cod. Fr. Fabric. et Oros. (cf. Gron. p. 867); reliqui fere: *Aracossi*, solita libris aberratione; Goth., Prag.: *Aracosii*.

Gedrosique] Sic Bong. et codd. Gronov.; Oros.: *Gedrosii*, ut nonnulli scriptores; v. Gron. p. 867; sic Prag.; sed Fr. Fabric. ad Oros.: „In nostris mss. *Cedrosique* legitur." Duo Bong.: *Cerdossique;* Goth.: *Cerdusiq.* (Similiter chronol. Latinobarb.: *Cedrusia.*)

Drancae] Nonnulli *Drangae;* Prag. et 1 Bong.: *Dracae*.

Arei] Mss. Bong.: *Araei*, unus *Argacos*. Ald.: *Arios*.

Stasanori] Sic Vorstius e cod. Fr. Fabric. et Graecis. Codd. vel *Stantanori* vel *Statanori*.

§ 23. *Amyntas*] Huic Alexander ipse Sogdianam et Bactrianam commiserat, Curt. VIII, 2, § 4 coll. I, 19, § 53, praesertim Bactra; vid. Arrian. In divisione Bactrianam solam videtur retinuisse. — Mss. Bong.: *Amicas*. Prag. verba *Bactr. Am. sor.* omittit.

Sogdianos Scythaeus] Sic ab omnibus editur, etiam in Orosio; sed *Scythaeum* alias frustra quaeris. Codd. Gronovii quid habeant, ignotum est; 1 Bong.: *Sicheus;* 2 Bong., 2 Voss. et Goth.: *Sulceos* (Prag.: *Fulceos*); unde I. Fr. Gronovius acute invenit: *Sogdianos S o l i u s Stasanor*, duce Diod. XVIII, 39; adde Arrian. *τὰ μετὰ Ἀλ.* p. 71. l. 36 Phot.: *Ἀρείων δὲ καὶ τῆς Δραγγηνῶν χώρας Σ τ ά σ α ν δ ρ ο ν* (Cyprium) *καθίστη ἡγεμόνα, τῆς δὲ Βακτριανῆς καὶ Σογδιανῆς Σ τ α σ ά ν ο ρ α τὸν Σόλιον;* unde in super. § corrigendum foret: *Drancae et Arei S t a s a n d r o.* Sed haec omnia de a l t e r a divisione, quod cautos nos facere oportet. At in priore Dexippus p. 64, l. 20 Phot. narrat: *Φιλίππου δὲ ἦν ἀρχῇ Σογδιανοὶ* (cum *Oropio* quidem, priore praefecto, sub Alexandro novarum rerum damnato, communicata); et chronologus Latinobarbarus p. 72 extr.: *Togdianiam* (scr. *Sogdianam*) *Philippo minori dedit domi-*

*Stagnor** Parthos, [Philippus] Hyrcanos Phrataphernes, *Carmanos*** Tleptolemus, Persas Peucestes, Babylonios Archon *Pellaeus****,
24 Arcesilaus Mesopotamiam. Cum haec divisio veluti fatale munus

* *Nicanor* ** *Armenios* *** *Pelasgos*

---

nare. Diodorus quidem utramque provinciam, Bactrianam et Sogdianam, Philippo tribuit.

Stagnor] Hunc magna veri specie Freinshemius hic invexit; infra enim XLI, 4, § 1 Iustinus: *Post mortem Alexandri Magni*, narrat, *cum inter successores eius Orientis regna dividerentur, nullo Macedonum dignante Parthorum imperium S t a g n o r i, externo socio, traditur;* sed v. ibi. Orosius, Bong. et edd.: *Nicanor;* quid in Gronovianis legatur, etiam hic nescimus; 2 Bong. et Voss. 1: *Stagnos;* 1 Bong., Voss. 2, Goth., Prag.: *Staganos*. (*Nicanori* cuidam in altera divisione Antipater *Cappadociam* commisit; Arrian. p. 72 Phot., Diod. XVIII, 39.) Sed disceptari potest, haecne verior sit emendatio, an Gronoviana, *Stasanor* restituentis; v. not. praeced.

[*Philippus*] Sic Orosius et Bong. cum edd.; 1 Bong.: *Philippos*. Vulgo: *Philippus Hyrcanos* (Oros.: *Hyrcanios*, ut 1 Bong.), nemine scriptorum suffragante; quare secuti Freinshemium, qui delendam vocem censet, uncis inclusimus. E superioribus illatum esse videtur. Hyrcani in *Phrataphernis* ditionem devenisse narrant omnes. I. Fr. Gronovius: *Parthos Philippus*, *Hyrc. Phrat.* cett.; in altera quidem divisione Philippo cessit *Παρθυαίων γῆ;* Arrian. p. 71 Phot.

Phrataphernes] 2 Bong., Prag.: *Eufrates fernes*.

Carmanos] Carmaniam iam ab Alexandro acceptam in utraque divisione retinuit *Tlepolemus*, vel, ut Dexippus, *Neoptolemus;* v. Freinshem. ad Curt. X, 10, 1 s. utraque v. et supra ad § 15. Codd. omnes et Oros.: *Armenios* (Crac.: *Armenes*), ex errore Iustini situs terrarum ignorantissimi, quem tueri Freinshemium vehementer miror.

Tleptolemus] Sic Bong. et Gronov. codd. praeter Med. et coll. N., Prag. Vulgo, ut Oros.: *Tlepolemus*. 1 Bong., Magl., Goth.: *Neoptolemus*, ut edd. vett., ex correctione.

Babylonios Archon] Diodor. XVIII, 3: *Ἄρχων δὲ τὴν Βαβυλωνίαν*. In edd. omnibus hic locus historiae turpiter illudit, dum ita constanter scribitur et in Iustino et apud Orosium: *Sogdianos Scythaeus*, *Nicanor Parthos*, *Philippus Hyrcanos*, *Phrataphernes Armenios*, *Tlepolemus Persas*, *Peucestes Babylonios*, *Archon Pelasgos*, *Arc. Mes. Archon* post Freinsh. Vorstius restituit; atque ita Orosius, si editionibus fides est. Bong. et codd. Iustini: *Archos;* 1 Bong., 2 Flor. Orosii, Freculph., Crac.: *Archous*.

Pelasgos] Ita Oros. et codd.; 2 codd. Freculphi: *Pelassos;* 1 Bong.: *Pellagas*. Lectionem absurdissimam egregie correxit Freinshemius: *P e l l a e u s*. „In quibusdam mss., inquit, est *Argos pellagas* [imo in uno Bong.]; inde coniicio patriae nomen adiectum fuisse, ut Archon hic Macedo fuerit Pella oriundus. Quam quidem coniecturam insigni fulcimento firmat Arrianus Ind. 3, 10 [i. e. c. 18] . . . *καὶ Ἄρχων ὁ Κλεινίου καὶ Δημόνικος . . . . οὗτοι μὲν Π ε λ λ α ῖ ο ι*. Alium autem a nostro fuisse ut credas, nulla ratione poteris.“ Idem restituit *Palmerius*.

Arcesilaus] Sic Bong., codd. Gronov. praeter Magl., Crac., Goth., ut Diodor. XVIII, 3 et Cedren. At Oros., Freculph., 1 Bong., Magl., Prag., ed. Rom., Iunt.: *Archelaus* cum Dexippo; sed facilis corruptio erat in *Arcelaus*.

§ 24. *Cum haec div.*] Franecq., Dorv. 3 et Goth. c. edd. vett. par-

singulis contigisset, ita magna incrementorum materia plurimis fuit:
siquidem non magno post tempore, quasi regna, non praefecturas 25
divisissent, sic reges ex praefectis facti magnas opes non sibi tan-
tum paraverunt, verum etiam posteris reliquerunt.
V. Dum haec in Oriente aguntur, in Graecia Athenienses et 1
Aetoli bellum, quod iam vivo Alexandro moverant, summis viribus
instruebant. Causae belli erant, quod reversus ab India Alexander 2
epistolas in Graeciam scripserat, quibus omnium civitatium exsules,
praeter caedis damnati, restituebantur. Quae recitatae praesente 3
universa Graecia in mercatu Olympiaco magnos motus fecerunt:
quod plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem principum 4
fuerant: verentibus iisdem principibus, ne revocati potentiores in
republica fierent. Palam igitur iam tunc multae civitates libertatem 5
bello vindicandam fremebant. Principes tamen omnium Athenienses 6
et Aetoli fuere. Quod cum nuntiatum Alexandro esset, mille naves 7
longas sociis imperari praeceperat, quibus in Occidente bellum ge-
reret; excursurusque cum valida manu fuerat ad Athenas delendas.
Igitur Athenienses contracto triginta millium exercitu et ducentis na- 8
vibus bellum cum Antipatro, cui Graecia sorte evenerat, gerunt;
eumque detrectantem proelium et Heracleae urbis moenibus tuentem
se obsidione cingunt. Eodem tempore Demosthenes, Atheniensis 9

---

ticulam *cum* omittunt probante Wopkensio. Eleganter I. Fr. Gronovius: „Forte legendum: *cum hac divisione.*"

materia] Codd. omnes Bong., coll. C. C., Goth.: *memoria.*

§ 25. *reges*] infra XV, 2, § 10 sqq. — *praefecturae*] satrapiae.

C. V. § 1. *bellum*] quod *Lamiacum* vocatur.

§ 2. *caedis damnati*] et *ἱερόσυλοι.*

§ 3. *mercatu*] 1 Bong., 6 Gronov., Prag.: *mercato;* cf. Wopkens. Deinde *Olympico* mss. Bong., Med., 2 Leidd.

fecerunt] Cum edd. vett. Prag., Crac., Goth.: *fecerant.*

§ 4. *quod pl.*] Gronov.: „Mss. *quia pl.*" Sic etiam Goth. et Prag.

§ 7. *excursurusque* cett.] Hoc Aetolis minatus fuerat, non Atheniensibus (v. Diod. XVIII, 8; Plutarch.); neque de exercitu in hanc seditionem parato alii narrant.

§ 8. *Heracleae*] Hoc peccat in consensum scriptorum, qui *Lamiam* profugisse ibique obsessum esse Antipatrum narrant. Errorem inde ortum esse coniicio, quod Trogus de proelio ad *Heracleam Trachiniam* facto scripserat; ibi enim cum Antipatro decertatum esse etiamsi non diserte narratur, innuere tamen scriptores videntur, quorum silentio quae tacentur, aperiri opinor hoc lapsu Iustini; Pausanias Att. 1, § 3: (*Λεωσθένης*) *Ἀθηναίοις καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησιν ἡγούμενος Μακεδόνας ἔν τε Βοιωτοῖς ἐκράτησε μάχῃ* (Diodor. XVIII, 11), *καὶ αὖθις ἔξω Θερμοπυλῶν* (ubi sita est *Heraclea*), *καὶ βιασάμενος ἐς Λαμίαν κατέκλεισε τὴν ἀπαντικρὺ τῆς Οἴτης.* Diod. c. 12: *ὁ δὲ Ἀντίπατρος μάχῃ λειφθεὶς . . . . κατέφυγεν εἰς πόλιν Λαμίαν.*

detrectantem proelium] scil. post duas clades, quas passus fuerat.

orator, pulsus patria ob crimen accepti ab *Harpalo** auri, qui cru-
delitatem Alexandri fugerat, quod civitatem in eiusdem Alexandri
10 bellum impelleret, forte Megaris exsulabat: qui ut missum ab Athe-
niensibus Hyperidem legatum cognovit, qui Peloponnenses in socie-
tatem armorum sollicitaret, secutus eum Sicyona, Argos et Corin-
11 thum ceterasque civitates eloquentia sua Atheniensibus iunxit. Ob
quod factum missa ab Atheniensibus obviam nave ab exsilio revoca-
12 tur. Interim in obsidione Antipatri Leosthenes, dux Atheniensium,
13 telo e muris in transeuntem iacto occiditur. Quae res tantum ani-
14 morum Antipatro dedit, ut etiam vallum rescindere auderet. Auxi-
lium deinde a Leonato per legatos petit: qui cum venire cum exer-
citu nuntiatus esset, obvii ei Athenienses cum instructis copiis fuere
15 ibique equestri proelio gravi vulnere ictus exstinguitur. Antipater,
tametsi auxilia sua videret victa, morte tamen Leonati laetatus est:
quippe et aemulum sublatum et vires eius accessisse sibi gratulaba-
16 tur. Statim igitur exercitu eius recepto, cum par hostibus etiam
17 proelio videretur, solutus obsidione in Macedoniam concessit. Grae-
corum quoque copiae finibus Graeciae hoste pulso in urbes dilapsae.
1 VI. Interea Perdicca bello Ariarathi, regi Cappadocum, illato

* *Arpago*

---

§ 9. *Arpago*] Sic codd. omnes ex memoria historiarum, quas librarii in pueritia toties audiverant. At *Harpalus* vocabatur Babyloniae ille satrapa profusissimus, qui opes sibi commissas et mille mercenarios ex Oriente perfidus avexit Athenas, dum ob vitae suae effrenam licentiam Alexandri ab India redeuntis crudelitatem in supplicio extimesceret.

quod — impelleret] scil. Demosthenes, qui corruptus ab Harpalo id efficere videbatur, ut tuendo Harpalo patriam in bellum Alexandri coniiceret. Non recte ceperunt locum, qui legendum proponunt: *quo — impelleret*, scil. ideo *accepti auri*, ut cett.; in eandem sententiam Dorv. 2 et Magl. legunt: *ut*, probante Wopkens. Mss. Bong.: *quod cum civ.*

§ 10. *Corinthum*] Haec a ceteris quidem non recensetur inter auxilia Lamiaci belli; ac sane Macedonum praesidiis tenebatur (Plutarch. Arat. c. 23); sed haec an tantum illo tempore etiam in urbe valuerint, ut Corinthii in pugnae societatem venire non possent, non immerito dubitabitur. Mannertus tamen (*Nachfolger* cett. p. 37 not.) Iustinum hic negligentiae accusat. — Gronov.: *Hyperiden.*

§ 14. *Leonato*] Phrygiae minori praefecto.

§ 16. *in Macedoniam concessit*] Omisit hic *Crateri* adventum et victoriam Macedonum ad *Cranonem*, Ol. 114, 3; denique quae secuta inde pax est cum singulis civitatibus; vide Mannert. l. l. cap. III. p. 44 sqq.

C. VI. § 1. *bello Ariarathi — illato*] (Mss. Bong., Crac.: *Ariaracti;* nullus tamen Bong. neque Oros., ut recc. aliquot libri: *b. innoxio Ariar.*) Hunc regem aggreditur Perdiccas, ut Eumenes in provinciae sibi dictae possessionem veniret; sed memoriae, ut videtur, fallacia Iustinus aberrat ad insequentem expeditionem Perdiccae; in illa quidem Perdiccas hostem quamvis potentem et in hoc bellum copiis omnibus instructissimum duobus proeliis acerrimis vicit captumque interfecit; inde vero in Pisidiam transgressus *Isaurensium* urbem, dum Balacrum, satrapen olim ipsis designa-

proelioque victor nihil praemii praeter vulnera et pericula retulit:
quippe hostes ab acie in urbem recepti occisis coniugibus et liberis 2
domos quisque suas cum omnibus copiis incenderunt. Eodem con- 3
gestis etiam servitiis et semet ipsos praecipitant, ut nihil hostis victor
suarum rerum praeter incendii spectaculo frueretur. Inde, ut viri- 4
bus auctoritatem regiam adquireret, ad nuptias Cleopatrae, sororis
Alexandri Magni et alterius Alexandri quondam uxoris, non adsper-
nante Olympiade, matre eius, intendit: sed prius Antipatrum sub 5
adfinitatis obtentu capere cupiebat. Itaque fingit se in matrimonium 6
filiam eius petere, quo facilius ab eo supplementum tironum ex Ma-
cedonia obtineret. Quem dolum praesentiente Antipatro, dum duas 7
eodem tempore uxores quaerit, neutram obtinuit. Post haec bellum 8
inter Antigonum et Perdiccam oritur. Antigono Crateros et Anti- 9
pater auxilium ferebant; qui facta cum Atheniensibus pace Polyper-
chonta Graeciae et Macedoniae praeponunt. Perdicca alienatis re- 10
bus Aridaeum et Alexandri Magni filium in Cappadocia, quorum
cura illi mandata fuerat, de summa belli in consilium adhibet. Qui- 11
busdam placebat bellum in Macedoniam transferri, ad ipsum fontem
et caput regni, ubi et Olympias esset, mater Alexandri, non me- 12

---

tum, interfectum se ulcisci simulat, maxima vi adoritur, sed magnanimi homines se suaque omnia interire maluerunt quam hostium manibus contrectari. Lege Diodor. XVIII, 22 et admirare civium generositatem.

§ 2. *domos*] Goth.: *domus.* — *copiis*] opibus.

§ 3. *et semet ipsos*] Restitui hoc loco, quod linguae lex iubebat, ex edit. Bongarsii, qui nihil hic variae lectionis novit; ita etiam Crac. et Prag. At Gronoviani *decem* cum Goth.: *et semet ipsi,* quod emendatione in tot mss. illatum esse nemo facile credat; verum *ipsos* postulat praecedens *congestis servitiis*, nisi negligenter locutus est Iustinus. Res hic redit ad libros. 3 Gronov., Prag., Goth. part. *et* ignorant.

spectaculo] Plerique Modii, at unus tantum Bong.: *spectaculum;* ex emendatione, ut arbitror, propter praecedens *nihil* facta.

§ 7. *neutram obtinuit*] Imo obtinuit *Nicaeam*, Antipatri filiam, conciliantibus fratribus Archia et Iolla, sed brevi post repudio remisit; Cleopatrae autem nuptias ingruentia bella praeciderunt.

§ 9. *Crateros*] Ita mss. Bong.; ipse Bong.: *Craterus,* ut multi codd.

cum Atheniensibus] imo cum *Aetolis;* v. Diod. XVIII, 25 al. — Goth.: *Polyperchontam.*

§ 10. *alienatis rebus*] Insolite dictum varie explicant; alii mutato rerum statu; verum *alienari* non est alium, sed quasi alius (proprium) fieri; sic ap. Tacit. Ann. II, 28: *vultu non alienatus* male capiunt *non mutatus;* explica vultu se commotae (et alienatae) mentis non esse ostendens. Alii, remotis aliis (!) negotiis omnibus, ut Terentianum *relictis rebus;* imo res non alienabat ab se, sed tum cum maxime agebat; *alius* h. l. suppleri nullo modo posse docebunt exempla locutionis *omissis rebus* ap. Drakenb. ad Liv. XXXVII, 37. Vol. V. p. 78 Cod. coll. N.: *alienatis regibus.* Wopkens. coniecit: *inclinatis r.*, Schefferus: *alienatis reliquis.* Sed vide an Iustinus hoc voluerit: rebus (i. e. bello) in alium locum, in Asiam, translatis.

Alexandri filium] posthumum ex Roxane natum, *Alexandrum Aegum.*

diocre momentum partium, et civium favor propter Alexandri Phi-
13 lippique nomina: sed in rem visum est ab Aegypto incipere, ne in
14 Macedoniam profectis Asia a Ptolemaeo occuparetur. Eumeni prae-
ter provincias, quas acceperat, Paphlagonia et Caria et Lycia et
15 Phrygia adiiciuntur. Ibi Crateron et Antipatrum opperiri iubetur:
adiutores ei dantur cum exercitibus frater Perdiccae Alcetas et Neo-
16 ptolemus; Clito cura classis traditur; Cilicia Philotae ademta Phi-
loxeno datur; ipse Perdicca Aegyptum cum ingenti exercitu petit.
17 Sic Macedonia in duas partes discurrentibus ducibus in sua viscera
armatur, ferrumque ab hostili bello in civilem sanguinem vertit,
18 exemplo furentium manus ac membra sua ipsa caesura. Sed Ptole-
19 maeus in Aegypto sollerti industria magnas opes parabat: quippe et
Aegyptios insigni moderatione in favorem sui sollicitaverat et reges
20 finitimos beneficiis obsequiisque devinxerat; terminos quoque imperii
adquisita Cyrene urbe ampliaverat, factusque iam tantus erat, ut
non tam timeret hostes quam timendus ipse hostibus esset.
1 VII. Cyrene autem condita fuit ab Aristaeo, cui nomen Bat-
2 tos propter linguae obligationem fuit. Huius pater *Grinus* *, rex

* *Cirnus*

---

§ 14. Antigoni, iam hostis, provincias Perdicca Eumeni suo tribuit. *Phrygiam* fortasse utramque intelligit, *maiorem* olim Antigono, *minorem* Leonato datam. *Caria* Asandri erat, nisi *Cappadocia* legendum est (coll. 4, § 16); at probabilius hunc quoque tum fugisse coniicit Mannertus p. 74, quia in altera divisione provinciam recepit. *Paphlagoniam* Eumenes non tum primum obtinuit: quare facili coniectura Glareanus: *praeter prov., q. acc., Paphlagoniam ac Cappadociam Caria* cett. addens pro *Phrygia* se malle *Pamphylia;* melius voc. *Paphlagonia* in *Pamphylia* mutat Bosius ad Corn. Nep. Eum. 2, § 2. Sed nulla omnino mutatione opus est in nostro scriptore notae in geographicis negligentiae. *Et Caria* deest in Prag.

§ 15. *Crateron*] Sic ipse Bong. supr. 2, § 14; h. l. *Craterum*. Goth., Magl., 4 Leidd.: *Crateron*.

exercitibus] Mss. Bong., Prag., Goth., Crac. adiiciunt *suis*.

§ 16. *Philoxeno*] Arrianus in secunda divisione: *Φιλόξενον δὲ ἐπὶ Κιλικίας ἔταξεν, ἣν καὶ πρῶτον εἶχεν*. An *πρῶτον* est ab hoc tempore? incidere poterant, quae Antipatrum vel hostis donum confirmare impellerent.

C. VII. § 1. *Aristaeo*] imo *Aristotele*, ut Heraclides, Diodorus (in excerptt. Vatt. VII—X, § 15) al. ap. Bongars. et Bernecc., Scalig. ad Euseb. p. 73, seu Raoul-Rochett. *hist. de l'établ.* V. III. p. 260. Simile vitium ex Hieronymo Scaliger sustulit. In nostro loco error epitomatoris statuendus erit.

Battos] Codd. fere: *Bactos;* v. Bong. Nominativum enim locutioni *nomen est* et Iustinus et alii in rarioribus, peregrinis et ignotis fere appellationibus iungere solent: v. Wopkens. pag. 250 (ad XXIX, 1, § 5). Quare falso Graevius: *Batto*.

propter linguae obligationem] Graecis *ἰσχόφωνος* erat. — V. omnino Muelleri *Orchom.* p. 343. — Condita Cyrene est circa Ol. XXXVII.

§ 2. *Cirnus* vel *Cyrnus* codd. omnes exhibent. (Prag.: *Circius;*

*Therae** insulae, cum ad oraculum Delphos propter dedecus adole-
scentis filii nondum loquentis deum deprecaturus venisset, respon-
sum accepit, quo iubebatur filius eius Battos *Africam petere et urbem*
Cyrenen condere, usum linguae ibi accepturus. Cum responsum lu- 3
dibrio simile videretur propter solitudinem *Therae** insulae, ex qua
coloni ad urbem condendam in Africam tam vastae regionis proficisci
iubebantur, res omissa est. Interiecto deinde tempore, velut con- 4
tumaces, pestilentia deo parere compelluntur: quorum tam insignis
paucitas fuit, ut vix unam navem complerent. Cum venissent in 5
Africam, pulsis accolis montem Cyran et propter amoenitatem loci
et propter fontis ubertatem occupavere. Ibi Battos, dux eorum, 6
linguae nodis solutis loqui primum coepit: quae res animos eorum
ex promissis dei iam parte percepta in reliquam spem condendae ur-
bis accendit. Positis igitur castris opinionem veteris fabulae acci- 7
piunt, Cyrenen, eximiae pulchritudinis virginem, a Thessaliae monte
Pelio ab Apolline raptam perlatamque in eiusdem montis iuga, cuius
collem occupaverant, a deo repletam quatuor pueros peperisse,
Nomium, Aristaeum, *Autuchum* **, *Agreum* ***; missos a patre 8

* *Theramenis* ** *Authocum* *** *Argaeum*

---

1 Bong.: *Circinus.*) At Theraei regis nomen *Grinus* est, quod Bong. bene reposuit. Alium non inveni, qui Aristotelem ita cum Grino iungeret. Vide iudicium Muelleri *Orchom.* p. 346 sq.

Theramenis habes in codd. universis; at *Therae*, quod iam in Aldina restitutum erat, ex auctorum consensu legendum vidit Bong., q. v.

Cyrenen] Bong. ubique: *Cyrenem.* Sic codd., ut Goth.

accepturus] Mss. Bong.: *accepturum.*

§ 4. *insignis paucitas*] V. omnino Herod. IV, 153.

§ 5. *pulsis accolis*] Bodl., Prag.: *pulsi ab accolis*, ex male intellecta Herodoti narratione.

Cyran] Sic Bong., cuius alii codd.: *Cirram*, unus *Chyeram;* Prag.: *Icertam.* Is planitiem, in qua sita erat Cyrene, ex una parte claudebat; v. *Boeckhii* Explicatt. ad Pind. Pyth. IV. p. 267.

fontis ubertatem] i. e. largam, quam emittit, scaturiginem; intelligit Apollinis fontem, Herod. IV, 158. Bongars. quoque, plerique mss. Gron. et Goth. c. edd. vett. ferme omnibus: *fontis.* Vulgo: *fontium ubert.*, insigni levitate.

§ 7. *opinionem*] Mss. Bong.: *opinione.*

quatuor pueros] Ceteri duos tantum noverunt, Aristaeum et Autuchum, vel adeo Aristaeum solum; *Νόμιος* et *Ἀγρεύς* nota Apollinis cognomina sunt, e quibus mythus iam pro more filios Apollinis efficit. Vide Muelleri *Orchom.* p. 347 sq. ibiq. laudd. Eodem fonte Graeco usus est Etym. M.: *Ἀγρεὺς ὁ ἥρως εἴρηται παρὰ τὸ ἐν ἀγρῷ γεγενῆσθαι· ἀπὸ γὰρ Κυρήνης καὶ Ἀπόλλωνος.*

Autuchum] Bong. sine v. l.: *Authocum;* ceteri in *Euthocum*, *Authonum*, et alia aberrarunt; constanter tamen omnes litt. *o* tenent, ut scribendum videatur: *Autochum;* sed certum exemplum non novi productae litterae *u* cum litt. *o* longa permutatae; quare *Autuchum* scripsi ex Acestore *περὶ Κυρήνης* ap. schol. Apollon. II, 498 suasu C. O. *Muelleri.*

Agreum] nam Graeci *Ἀγρεύς.* Bongars. codd.: *Argaeum* vel *Ar-*

Hypseo *, rege Thessaliae, qui perquirerent virginem, loci amoeni-
9 tate captos in iisdem terris cum virgine resedisse; ex his pueris tres
10 adultos in Thessaliam reversos avita regna recepisse: Aristaeum in
Arcadia late regnasse, eumque primum et apium et mellis usum et
lactis ad coagula hominibus tradidisse solstitialesque ortus sideris
11 primum invenisse. Quibus auditis Battos virginis nomine ex respon-
sis agnito urbem Cyrenen condidit.
1 VIII. Igitur Ptolemaeus huius urbis auctus viribus bellum in
2 adventum Perdiccae parabat. Sed Perdiccae plus odium arrogantiae
quam vires hostium nocebant: quam exosi etiam socii ad Antipatrum
3 gregatim profugiebant. Neoptolemus quoque in auxilium Eumeni
relictus non solum transfugere, verum etiam prodere partium exer-
4 citum voluit. Quam rem cum praesensisset Eumenes, cum prodi-
5 tore decernere proelio necesse habuit. Victus Neoptolemus ad An-
tipatrum et Polyperchonta profugit; hisque persuadet, ut continua-
tis mansionibus laeto ex victoria et securo fuga sua Eumeni super-

* *Speo*

---

geum; Thuan., coll. N.: *Agraeum;* 2 Leidd.: *Agreum.* Ceteri plane aberrant.

§ 8. *Hypseo*] Sic edd. vett.; vid. intt. h. l. et Muelleri *Orchomen.* p. 347. n. 2. Bong. et Gronov. codd.: *Speo;* Goth.: *Hispeo;* Crac.: *Penco.*

loci] Mss. Bong.: *terrae.*

§ 10. *ad coagula*] v. Fabr. et Graevium. 1 Bong., 3 Gronov.: *ac* (Goth. *et*) *coaguli.* Crac.: *lactis coagula.* Oleo etiam uti docuit.

solstitialesque ortus sideris] i. e. caniculae, Sirii, ut siccitatem agrorum efficientis, quae quomodo avertenda esset Ceis tradiderat; v. schol. Apoll. II, 498.

§ 11. *ex responsis*] (6 interpolati codd. ap. Gronov. ad VI, 2, 4: *ex dei resp.*) Etiam hoc explicatur et Fabri dubitationes solvuntur Excerptis Diodori Vatt. VII—X, § 15: ibi enim oraculum illud ap. Herod. IV, 155 iam plenius editur ita:

Βάττ', ἐπὶ φωνὴν ἦλθες· ἄναξ δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων
εἰς Λιβύην πέμπει καλλιστέφανον Κυρήνης
εὐρείης ἄρχειν καὶ ἔχειν βασιληΐδα τιμήν.

Cum igitur ad montem Cyram *veteris fabulae* somnia (§ 7) accepissent, in memoriam redierunt oraculi sibi dati et ad significatum locum pervenisse se intellexerunt.

C. VIII. § 4. *proelio*] Mss. Bong.: *proelium.*

§ 5. *Polyperchonta* et § 7 *Polyperchon.* Sic etiam Orosius, laesa maxime historiae fide. De *Cratero* haec narranda erant; v. Bong. ad § 7. Sed epitomatoris, non Trogi, hunc quoque lapsum esse apparet ex prolog. hui. l., ubi legitur: *Bellum, quo Eumenes Neoptolemum et Craterum occidit.*

profugit; hisque p.] Mss. Bong.: *profugus pers.*

securo fuga sua] Sic Bong. et codd. plerique, etiam Goth. Vulgo ex 1 Bong., quem ex recentioribus eiusdem esse ostendit consensus Pragensis, Med., Leid. 2. 5 edunt: *sec. fugae suae;* v. Gronov. pag. 870, Wopk. h. l. et Burmann. ad Anthol. lat. p. 72. Frustra.

veniant. Sed res Eumenem non latuit. Itaque insidiae in insidia- 6 tores versae; et qui securum adgressuros se putabant, securis in itinere et pervigilio noctis fatigatis occursum est. In eo proelio Po- 7 lyperchon occiditur. Neoptolemus quoque cum Eumene congressus 8 diu mutuis vulneribus acceptis colluctatus est; in summa victus occumbit. Victor igitur duobus proeliis continuis Eumenes adflictas 9 partes transitione sociorum paullulum sustentavit. Ad postremum 10 tamen Perdicca occiso ab exercitu hostis cum Pithone et Illyrio et Alceta, fratre Perdiccae, appellatur: bellumque adversus eos Antigono decernitur.

---

§ 6. *Eumenem*] (Gron. pro more: *Eumenen.*) 1 Bong., Magl., coll. N., C. C.: *Eumeni*, quod interpp. nonnulli praeferunt; sed est in codd. interpolatissimis et nullius fere auctoritatis; praeterea vide ne inelegantius praecedens modo *Eumeni* tam brevi sequatur alterum *Eumeni.*

§ 7. *Polyperchon*] 1 Bong. et Goth.: *Poliperchonta.* V. ad § 5.

§ 10. *ab exercitu hostis — appellatur*] Sic quivis lector sponte distinguet; recte; v. Nepot. Eum. 5 coll. Curt. VI, 8, § 25, quem ibi commode laudat Loccenius. Quidam auctore Glareano iungunt *occiso ab exerc.* (v. locc. ap. Bong. et Mannert. *Nachf.* p. 64) sed paulo violentius et praeter necessitatem.

cum Pithone et Illyrio et Alceta] Nam *τῶν περὶ Εὐμένη τε καὶ Ἀλκέταν ἐς πεντήκοντα κατεγνώσθησαν* (Arrian., Diod.); sed an in his quoque *Pithon?* et quis tandem ille *Illyrius*, quem etiam c. 4, § 12 quidam invexerunt? Oros.: *Pithon et Illyrius.* Bong.: *Phyton;* alii *Phiton, Pithon;* unus Bong.: *cum Pheone et inloerio* (Prag.: *Ileno*). Pithon flagrante proelio cum aliis centum ducibus a Perdicca ad Ptolemaeum transiverat; deinde cum Aridaeo, qui Alexandri corpus deportatum condiderat, in Perdiccae locum regum tutor electus est. Quomodo igitur hunc hostem iudicatum dicas? Iterum statuendus erit error Iustini; nam haec ex „*quinquaginta*" illis damnatis nomina quaedam esse nemo facile sibi persuadebit. Verum ut ignotum istum *Illyrium* e medio tollamus, scribendum propono mutatione prope nulla: *cum Pithone Illyrio;* erat enim ille *Cratenae* filius *Ἀλκομενεύς* (Arrian. Indic. c. 18), Alcomenis oriundus, oppido *Illyriae* (nam alterum Ithacense non veri simile est intelligi). Pithonis autem novum munus cum Eumenis sociorum condemnatione simul narratum Iustino haec quoque confundendi ansam dedit. — Aldina male: *Philoxeno et Ill.;* nam in altera divisione Antipater Ciliciam provinciam ei confirmavit.

LIBER XIV.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS XIV.*)

Quarto decimo volumine continentur haec. Bellum inter Antigonum et Eumenem [1]) gestum; quem ut Cappadocia expulit

---

[1]) Gronov.: *Eumenen*, e 3 Leidd.

Antigonus, sic Phrygia minore[2]) Aridaeum et Cliton[3]) [*Lydia. Deinde ut ab eo Clitus*] victus in Hellesponto navali bello. Repetitum rursus bellum ab Eumene per Argyraspidas: quo victus ab Antigono interiit. Ut in Macedonia Cassander victo Polyperchonte receptaque a defectore (Nicanore) Munychia[4]) matrem Alexandri Olympiada Pydnae obsessam interfecit[5]).

---

[2]) Hoc e ms. Lugd. Is. Vossius, e 2 Colbertt. Longuerrius recte praetulerunt; eodem modo 3 Leidd., Cantabr., coll. C. C., Crac. Vulgo, ut Bong.: *maiore;* at maior Phrygia ipsi Antigono in divisione cesserat; v. supr. XIII, 4, § 14; *minorem* vero ad Hellespontum Aridaeus satrapa, non rex, in altera divisione abstulerat, Leonato (coll. XIII, 4, § 16) ad Lamiam occiso. Bellum hoc Antigoni in Aridaeum narratur a Mannerto *Nachf.* p. 104. Ol. 115, 2. Omisit Iustinus.

[3]) Quid Clito cum Phrygia minore? *Lydiae* praepositus erat in altera divisione. Varie igitur vitiosam codd. omnium lectionem, historiae adversantem, correxerunt. Is. Vossius: *Aridaeum. Ut Clitus v.;* similiter Gronov. edidit: *—um: et Clitos v.* Longuerr.: *et Cliton Lydia; et ut a Clito victus* cett. contra historiam, quae unice convenit cum Grauerti emendatione vel supplemento potius, quod recepi. Adiunctum certamini cum Aridaeo erat bellum adversus *Clitum*, Lydiae praefectum; is igitur ad Polyperchontem navibus confugit et Ol. 115, 3 cum regia classe Hellespontum ingressus vincitur. V. Mannert. *Nachf.* pag. 106 sqq. Etiam hoc praeteritum a Iustino est.

[4]) Haec insigni acumine a Bongarsio restituta sunt; mss. enim ipsius: *Polyperchontere, captaque ad fatorem mychia.* Nicanoris nomen ex aliis accessit; duo enim Vatt. et Maximin.: *victo Polyperchonte receptaque a Nicanore Micina* (sic plane Crac. et Periz., qui posterior *initia* pro *Mic.*). Horum codd. lectionem cum vestigiis Bongarsianorum coniunxit Grauert.; Gronov.: *receptaque a Nicanore Mun.* „Rem Polyaenus exponit IV, 11, § 1, tangit Diodorus XVIII, 75." *Grauert.* Conf. Mannert. *Nachfolg.* p. 141 sqq. Certamina de portubus Athenarum Iustinus omisit.

[5]) Sic Bongars.; codd. ipsius: *Olympiadanae obsess.;* in quibus ductibus nomen *Pydnae* urbis periisse perspexit. „His autem subde ex duobus Colbertt. codd.: *obsessam et captam ad favorem populi interfecit*, i. e. favente populo, quod ipse Trogus asseverat, ap. Iustinum c. 6." *Longuerr.* Sic etiam Thuan., nisi quod *captamque.* Ex superioribus corruptis haec illata huc esse apertum est; quare seclusimus. Gronovius secutus fuerat Longuerrium. Crac., ut coll. C. C.: *Olympiadem obsess.*, plane sublatis vestigiis Pydnae.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Eumenis in bello adversus Antigonum prudentia et fortitudo.*
2. *Idem proelio victus obsidetur, liberatur, ad Argyraspidas decurrit eosque ad suas partes pertrahit.*

3. *Dum Argyraspides Eumenis imperia contemnunt, hostium virtute superantur; et deinde eum hosti prodere parant.*
4. *Eumenis captivi ad Argyraspidas oratio, qua petit, ut sibi inter eos mori liceat. Petitione frustratus proditorum capita devovet et Antigono vinctus traditur.*
5. *Cassander Aridaei vices gerens Graeciae civitates opprimit et in Macedoniam adversus Olympiada proficiscitur.*
6. *Olympias fugit, obsidetur, victori Cassandro se tradit; cuius iussu interficitur.*

I. Eumenes, ut Perdiccam occisum, se hostem a Macedoni- 1
bus iudicatum bellumque Antigono decretum cognovit, ultro ea mi-
litibus suis indicavit, ne fama aut rem in maius extolleret aut mili- 2
tum animos rerum novitate terreret; simul, ut circa se animati es- 3
sent, cognosceret, sumturus consilium ex motu universorum. Con- 4
stanter tamen praefatus est: *si cui haec terrori essent, habere eum*
discedendi potestatem. Qua voce adeo cunctos in studium partium 5
suarum induxit, ut ultro bellum omnes hortarentur *rescissuros*que *se*
ferro decreta Macedonum adfirmarent. Tunc exercitu in *Aeoliam* * 6

* *Aetoliam*

C. I. § 3. *simul, ut — essent, cognosceret*] Sic Bong. ex optimis sine dubio codd., inter Gronovianos Leid. 2. 5 et Bodl., Prag. Duplex autem hic, si vera lectio servata est, vel audacia vel negligentia deprehenditur: omissi subiecti et neglectae partic. *ut.* Prius per se non offenderet, sed h. l. valde incommodum est; adeo si addito subiecto legeretur: *simul ipse, ut — essent, cogn.*, ex meo sensu sublata etiam altera difficultas esset. Fortasse tamen ne hoc quidem egemus et praestantissimorum codd. lectio, quam reduxi, olim spero confirmabitur. Exempla part. *ut* post *ne* omissae ap. laudatos Stallbaumio ad Ruddimanni *instit.* V. II. p. 361 not. et Ramshorn. *gr. lat.* p. 686 nostro loco non satis apta sunt. — Alii codd. Bong., Leid. 3. 4, Goth.: *simul an circa se*, manca sententia; inde edd. vett.: *simul ut an contra se*, quod inter codd. habent coll. C. C. et Crac. Fraus ista, cod. coll. N., praebet crassa interpolatione: *simul ut, quomodo circa* cett. quod in edd. post Anglos et Schefferum receptum est. Inconcinne Scheff.: *simul ut, ut c.*

§ 5. *bellum*] Ita mss. nescio quot Bong., Dorv. 1, Leid. 3, Thuan., coll. C. C., Prag., Crac., recte defendente I. Fr. Gronov. et Graevio; v. Gron. p. 871. Bongars., al., etiam Goth.: *illum*, languide.

§ 6. *Aetoliam*] Sic codd. omnes praeter unum Bong., qui *Aetuliam*: cuius lect. perversitas apparet. Cognito interitu Perdiccae Eumenes in occidentalibus Asiae regionibus, ubi tum versabatur, ad bellum contra se decretum copias parare coepit. Primum equos ex regiis illis ad Idam pascentibus sibi sumsit (Plutarch. c. 8); deinde ex *Aeolidis* eum urbibus pecunias collegisse, quidni credamus Iustino? (nam ceteri hoc omittunt.) Denique Sardes ad Cleopatram se contulit; v. Plut. l. l., Arrian. lib. X. p. 72. Phot. ex ed. Bekk. *Aeoliam* pro Aeolide etiam Nepos dixit, Co-

promoto pecunias civitatibus imperat; recusantes dare hostiliter di-
7 ripit. Inde Sardis profectus est ad Cleopatram, sororem Alexandri
Magni, ut eius voce centuriones principesque confirmarentur: exi-
stimaturos ibi maiestatem regiam verti, unde soror Alexandri staret.
8 Tanta veneratio magnitudinis Alexandri erat, ut etiam per vestigia
9 mulierum favor sacrati eius nominis quaereretur. Cum reversus in
castra esset, epistolae totis castris abiectae inveniuntur, quibus iis,
qui Eumenis caput ad Antigonum detulissent, magna praemia defi-
10 niebantur. His cognitis Eumenes vocatis ad concionem militibus
primo gratias agit, *quod nemo inventus esset, qui spem cruenti prae-*
11 *mii fidei sacramenti anteponeret;* deinde callide subnectit *confictas*
12 *has a se epistolas ad experiundos suorum animos esse. Ceterum salu-*
tem suam in omnium potestate esse; nec Antigonum nec quemquam du-
13 *cum sic velle vincere, ut ipse in se exemplum pessimum statuat.* Hoc
facto et in praesenti labantium animos deterruit, et in futurum pro-

---

non. 5. Emendationis huius si qua laus est, Glareano debetur. At edd. omnes et interpp. post Is. Vossium *Actuliam* legunt, ut unus Bong. (cf. ad XIII, 7, § 7, ubi simile vitium), *Aetulanen* intelligentes Armeniae minoris tractum Cappadociae contiguum. Sed victus demum ab Antigono *ἐπεβάλετο φεύγειν ἐς τὴν Ἀρμενίαν;* ibi vero etiam *καταταχούμενος* i. e. hostium celeritate praeventus est, quominus intraret (Diodor. XVIII, 41). Vides quale sit testimonium Diodori, in quo nituntur, et quantopere historiae seriem, quam h. l. bene servavit Iustinus, disturbaverint interpretes. C. 2 pugna in *Orcyniis* narratur (Plutarch. 9; Diod. c. 40); tum demum in Aetulenen confugit, siquidem attigit. — Iam video Arrianum hanc direptionem urbium *post* discessum a Sardibus narrare: *ὅτι Εὐμένης ἐπελθὼν ἀπροσδόκητος τοῖς οὐχ ὑπ' αὐτῷ προσχώροις καὶ λείαν πολλὴν καὶ χρήματα συλλαβὼν τὸν οἰκεῖον στρατὸν κατεπλούτει.* Sed in Aetulane hoc factum non esse vel hoc ostendit, quod *Celaenis* in Phrygia hiberna egit (Plut. c. 9).

§ 7. *Sardis*] Mss. Bong. et aliquot Gronov.: *Sardas.*

confirmarentur] Sic Bong., Bodl., coll. C. C., Goth., Prag., Crac. et sine dubio Gronovii paene omnes. Sed soloecismum hic esse et turpem mendam clamant Faber et Graevius, quibus obsecuti posteriores, *existimaturos* iungentes vocib. *centuriones principesque* (*principalesque* intulerunt recc. codd.): nimirum non viderunt supplendum esse: putavit enim (Eumenes) *exist.* cett. Vide, si tanti est, Cortt. ad Sallust. Iug. 109, § 3 al.

staret] Mss. Bong.: *extaret.*

§ 9. *ad Antig.*] Mss. Bong., Crac., Prag.: *Antigono*, praeferente Scheffero.

§ 10. *fidei sacramenti*] Sic Modii omnes, aliquot Bong., Thuan., Leid. 4 a pr. m., Goth., Prag., quod ut elegantius retinui; v. interpp. h. l. Ceteri et Bongars.: *fidei sacramento* scil. quo fidem suam asseruissent. Hoc Modius probavit, ob collocationem verborum opinor; ac sane res dubia est.

§ 11. *deinde*] 1 Bong., 4 Gronov., Goth.: *tum deinde.*

§ 12. *in omnium*] Mss. Bong.: *neque in o.*

§ 13. *deterruit*] Sic quantum est codicum praeter coll. N.; i. e. ex-

vidit, ut, si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed ab duce tentari arbitrarentur. Omnes igitur operam suam certatim 14
ad custodiam salutis eius offerunt.

II. Cum interim Antigonus cum exercitu supervenit castrisque 1
positis postera die in aciem procedit. Nec Eumenes moram proelio 2
fecit; qui victus in munitum quoddam castellum confugit: ubi cum 3
videret se fortunam obsidionis subiturum, maiorem exercitus partem dimisit, ne aut consensu multitudinis hosti traderetur aut obsidio ipsa multitudine gravaretur. Legatos deinde ad Antipatrum, quod 4
solus par Antigoni viribus videbatur, supplices mittit: a quo cum auxilia Eumeni missa Antigonus didicisset, ab obsidione recessit. Erat quidem solutus ad tempus metu mortis Eumenes: sed nec sa- 5
lutis dimisso exercitu magna spes erat. Omnia igitur circumspicienti 6
optimum visum est ad Alexandri Magni Argyraspidas, invictum exercitum et tot victoriarum praefulgentem gloria, decurrere. Sed Ar- 7
gyraspides post Alexandrum omnes duces fastidiebant, sordidam militiam sub aliis post tanti regis memoriam existimantes. Itaque Eu- 8
menes blandimentis agere, suppliciter singulos adloqui, nunc *commilitones suos*, nunc *patronos* appellans, *periculorum Orientalium socios*; nunc *refugia salutis suae et unica praesidia* commemorans: *solos esse, quorum virtute Oriens sit domitus; solos, qui militiam* 9

---

plicante Graevio: dehortationibus eo perduxit, ne proditionem committerent. Ex Aldina tamen et Iunt. hodie legitur *retinuit*, de quo v. Graev.

C. II. § 2. *proelio*] in Orcyniis Cappadociae.

castellum] Noram, in Cappadociae et Lycaoniae finibus sitam.

§ 4. *quod solus*] Sic Bong. ex omnibus suis. Vulgo: *qui s.*, quod a solis Anglorum codd. petitum esse videtur; v. Scheff.

a quo cum auxilia cett.] Haec quovis pignore contenderim ex non satis intellecto Graeco sermone provenisse. Nam *per* mortem Antipatri et exortos inde motus in Macedonia effectum est, ut Antigonus cum Eumene in gratiam redire studeret; v. Plutarch. 12. Eventum legationis Diodorus non narrat, sed aeque ac Plutarchus Antipatri decessum motarum rerum causam facit.

§ 6. *optimum visum est*] postquam Polyperchontis, quem Antipater sibi succedere iusserat, et Olympiadis epistolis ad eam rem invitatus fuerat.

§ 7. *Argyraspides*] Mss. Bong.: *Argyraspidae*. Similiter c. 3, § 7.

§ 8. *nunc patronos appellans, periculorum Orientalium socios*] Sic Bong. et quidquid est codicum; nam quod in uno Bong. legitur: *periculi et opum*, nihil est nisi *periculorum*. Inde tamen et ex edd. vett. non solum scripserunt editores: *periculorum e t o p e r u m Or. soc.*, sed tanquam hoc debile esset post *patronos* plane de suo adiecerunt: *n u n c pericul.* cett. Cum eiusmodi levitate criticorum ubique in hoc scriptore confiictandum est. Facile quisque videt hoc voluisse Eumenem: pro *patronis* eos sibi esse, ut qui Orientis pericula non reformidaverint, sicut illi, qui missionem postulaverant, sed audacter in societatem tantorum discriminum venissent.

10 *Liberi patris, qui Herculis monumenta superarint: per hos Alexandrum Magnum factum; per hos divinos honores et immortalem gloriam*
11 *consecutum:* orat, *ut non tam ducem se quam commilitonem recipiant,*
12 *unumque ex corpore suo esse velint.* Receptus hac lege paullatim imperium, primum monendo singulos, mox quae perperam facta erant, blande corrigendo, usurpat: nihil in castris sine illo agi, nihil administrari sine sollertia illius poterat.

1 III. Ad postremum cum Antigonum venire cum exercitu nuntia-
2 tum esset, compellit eos in aciem descendere. Ibi dum ducis im-
3 peria contemnunt, hostium virtute superantur. In eo proelio non gloriam tantum tot bellorum cum coniugibus et liberis, sed et prae-
4 mia longa militia parta perdiderunt. Sed Eumenes, qui auctor cladis erat nec aliam spem salutis reliquam habebat, victos hortabatur.
5 Nam *et virtute eos superiores fuisse* adfirmabat: *quippe ab his quinque millia hostium caesa; et, si in bello perstent, ultro hostes pacem pe-*
6 *tituros. Damna, quibus se victos putent, duo millia mulierum et paucos infantes et servitia esse, quae melius vincendo possint reparare*
7 *quam deserendo victoriam.* Porro Argyraspides *neque fugam se tentaturos* dicunt *post damna patrimoniorum et post coniuges amissas,*
8 *neque bellum gesturos contra liberos suos;* ultroque eum conviciis agitant, *quod se post tot annos emeritorum stipendiorum redeuntes domum cum praemiis tot bellorum ab ipsa missione rursus in novam militiam*
9 *immensaque bella revocaverit, et a laribus iam quodammodo suis et*

---

§ 9. *Liberi patris*] Bacchi, cuius expeditio Indica e fabulis nota est.

§ 12. *nihil in*] Schefferus: *iam nih.*, e vestigiis codd. Bong., sed iis admodum dubiis.

C. III. § 1. *Ad postremum*] Praeteriit Iustinus expeditionem Eumenis in *Phoenicen* et multa alia, in quibus certamina cum Antigono in orientalibus provinciis ante hanc pugnam habita.

compellit] Schefferus dum narrat in mss. Bong. esse *pellit*, in errorem abductus est compendiis scripturae, quibus Bong. in V. L. utitur; sed *eos* illi omittunt. Ceterum hoc factum est in *Gabiene* provincia et circumiacentibus trans Capatrem locis, Ol. 116, 1.

§ 2. *Ibi dum*] Mss. Bong., Goth., Prag.: *ibi cum;* Bodl., Crac.: *Ubi c.*

superantur] scil. equites, non omnis exercitus; nam Argyraspidae in suo cornu vicerant.

§ 4. *Sed Eum.*] Sic mss. Bong.; verum edd. vett. et Bong.: *Sed et Eum.*

§ 5. *quinque mill.*] ut Diodor. XVIII, 43. Mss. Bong. et coll. C. C.: *duo mill.*

§ 7. *patrimoniorum*] Sic 5 recentt. Gronov., Crac., Goth.; et coniectura assecuti erant aliquot interpp. Bong. ex omnibus suis (Prag.): *matrim.*, unde tautologia oritur. Vide interpp.

§ 8. *annos emeritorum stip.*] i. e. ex quo stipendia sua emerita essent.

ab ipso limine patriae abductos inanibus promissis deceperit: nunc quoque 10
amissis omnibus felicis militiae quaestibus ne victos quidem in misera
et inopi senecta quiescere sinat. Ignaris deinde ducibus confestim ad 11
Antigonum legatos mittunt petentes, *ut sua reddi iubeat.* Is *reddi-*
turum se pollicetur, *si Eumenem sibi tradant.* Quibus cognitis Eume- 12
nes cum paucis fugere tentavit: sed retractus, desperatis rebus, cum
concursus multitudinis factus esset, petit, ut postremum sibi adloqui
exercitum liceret.

IV. Iussus ab universis dicere, facto silentio laxatisque vinculis 1
prolatam, sicut erat catenatus, manum ostendit: *Cernitis, milites,* 2
inquit, *habitum atque ornamenta ducis vestri, quae mihi non hostium*
quisquam imposuit: nam hoc etiam solatio foret: vos me ex victore 3
victum, vos me ex imperatore captivum fecistis; quater intra hunc an-
num in mea verba iureiurando obstricti estis. Sed ista omitto: neque 4
enim miseros convicia decent: unum oro, si propositorum Antigoni in 5
meo capite summa consistit, inter vos me velitis mori. Nam neque 6
illius interest, quemadmodum aut ubi cadam; et ego fuero ignominia
mortis liberatus. Hoc si impetro, solvo vos iureiurando, quo toties 7
vos sacramento mihi devovistis. Aut si ipsos pudet roganti vim adhi- 8
bere, ferrum huc date; et permittite, quod vos facturos pro imperatore
iurastis, imperatorem pro vobis sine religione iurisiurandi facere. Cum 9
non obtineret, preces in iram vertit. *At vos,* ait, *devota capita,* 10
respiciant dii periuriorum vindices; talesque vobis exitus dent, quales
vos ducibus vestris dedistis. Nempe vos iidem paullo ante et Perdiccae 11
sanguine estis adspersi et in Antipatrum eadem moliti. Ipsum denique 12
Alexandrum, si fas fuisset eum mortali manu cadere, interemturi,

---

§ 9. *ab ipso limine patriae*] e Cilicia in Orientem retractos. — Prag.: *ex lar.*

§ 11. *Eumenem*] Gronov.: *Eumenen.*

C. IV. § 1. *ostendit*] Mss. Bong.: *ostentat.*

§ 2. *solatio*] Iidem, 4 Gronov.: *in sol.*

§ 3. *quater*] Nepos: *ter.* Unde Bernecc. coniecit: *qui ter i.*

§ 4. *Sed i.*] Emendatio Acidalii ad Vellei. II, 130, § 8. Codices omnes: *Et i.*

§ 7. E verbis *iureiurando* et *sacramento* neutrum superfluum esse, bene vidit Wopkens., sed explicandum: salvo vos iureiurando, quo vos mihi devovistis in sacramento, i. e. dum sacramentum dicebatis, sacramento meo adigebamini. Iusiurandum hic tanquam pars totius ritus sacramenti commemoratur.

§ 10. *talesque*] Mss. Bong.: *vilesque*, e glossa. Crac.: *viles talesque.*

§ 11. *moliti*] scil. Trisparadisi ante alteram provinciarum divisionem, Eurydice incitante; v. Mannerti *Nachf.* p. 67 sq.

Perdiccae sanguine] Vide laudd. ad XIII, 8, § 9.

§ 12. *interemturi — seditionibus agitastis*] i. e. id agitastis seditionibus, ut interimeretis Alexandrum; graeca structura, cuius exempla habes ap. Lipsium ad Tacit. Hist. IV, 55, e. c. Apuleius: *Summos illi*

13 *quod maximum erat, seditionibus agitastis. Ultima nunc ego perfi-*
14 *dorum victima has vobis diras atque inferias dico: ut inopes extorres-*
que omne aevum in hoc castrensi exsilio agatis, devorentque vos arma
15 *vestra, quibus plures vestros quam hostium duces absumsistis.* Plenus
16 deinde irae custodes suos praecedere ad Antigoni castra coepit. Se-
quitur exercitus prodito imperatore suo et ipse captivus, triumphum-
17 que de se ipso ad victoris sui castra ducit, omnia auspicia regis
Alexandri et tot bellorum palmas laureasque una secum victori tra-
18 dentes: et ne quid deesset pompae, elephanti quoque et auxilia
19 Orientalia subsequuntur. Tanto pulchrior haec Antigono quam
Alexandro tot victoriae fuerunt: ut, cum ille Orientem vicerit, hic
20 etiam eos, a quibus Oriens victus fuerat, superaverit. Igitur An-
tigonus domitores illos orbis exercitui suo dividit, redditis eorum
21 quae in victoria ceperat. Eumenem vero verecundia prioris amici-
tiae in conspectum suum venire prohibitum adsignari custodibus
praecepit.

1 V. Interea Eurydice, uxor Aridaei regis, ut Polyperchonta a
Graecia redire in Macedoniam cognovit et ab eo arcessitam Olym-
2 piadem, muliebri aemulatione perculsa, abutens valetudine viri,

---

promittebant honores habituri mihi. Cf. Ramshorn. *gramm.* p. 432. In nostro loco interiecta verba: *quod m. e.* faciliorem etiam structuram reddunt. Iam Wetzelius hic de recta ratione cogitaverat. Languide ceterae editiones: *interemturi; quod m. e., sed. ag.*

§ 13. *diras*] nec eas irritas; v. Bernecc.

§ 14. *agatis*] Mss. Bong., coll. C. C.: *agitetis.*

§ 15. *coepit*] Prag.: *iubet.*

§ 16. *de se ipso*] Recte, licet 1 Bong. et Med. ap. Gronov. p. 868: *de se ipse.* Seq. *sui* omittit 1 Bong., Prag., Goth., Crac.

§ 17. *tradentes*] Sic Bong., Crac., Goth., et ceteri sine dubio fere omnes. At anxie Schefferus et ex Iuntina sua Graevius reposuerunt: *tradens.*

§ 20. *redditis eorum quae* cett.] Iterum turpissima criticorum levitas accusanda est. Cum edd. vett. vocem *eorum* plane deleverunt, credo quod non intelligerent. Habetur in omnibus Bong., Goth., Bodl., coll. C. C. et sine dubio pluribus Gronov., et ad sententiam necessaria est, ut quae maxime. Explica: redditis iis, quae eorum i. e. ex eorum possessione ceperat: mulieres, infantes, servos; c. 3, § 6. 7 coll. § 11.

§ 21. Nepos c. 12: „tum (Antigonus) vetuit ad eum quenquam admitti et quotidianum victum amoveri iussit; nam negabat se ei vim allaturum, qui aliquando fuisset amicus. Hic tamen non amplius quam triduum fame fatigatus, cum castra moverentur, insciente Antigono iugulatus est a custodibus.“ — Gronov.: *Eumenen.*

C. V. § 1. *a Graecia*] quam pacare et in suas Olympiadisque partes trahere, praeterea seditiones a Cassandro sibi postposito motas compescere studebat; relictus enim ab Antipatro successor fuerat praeterito filio. — Gronov.: *Olympiada*, ut Prag.; Goth.: *Olympiadam*, ut solet; etiam *Polyperchontam.*

§ 2. *valetudine viri*] V. ad XIII, 2, § 11. Bong.: *valitudine.*

cuius officia sibi vindicabat, scribit regis nomine Polyperchonti: *Cas-* 3
sandro exercitum tradat, in quem regni administrationem rex transtulerit. Eadem et in Asiam Antigono per epistolas nuntiat. Quo 4
beneficio devinctus Cassander nihil non ex arbitrio muliebris audaciae
gerit. Deinde profectus in Graeciam multis civitatibus bellum infert. 5
Quarum excidio, veluti vicino incendio, territi Spartani urbem, quam 6
semper armis, non muris defenderant, tum contra responsa fatorum et veterem maiorum gloriam, armis diffisi, murorum praesidio includunt. Tantum eos degeneravisse a maioribus, ut, cum multis 7
saeculis murus urbi civium virtus fuerit, tunc cives salvos se fore non existimaverint, nisi intra muros laterent.

Dum haec aguntur, Cassandrum a Graecia turbatus Macedo- 8
niae status domum revocavit. Namque Olympias, mater Alexandri 9
[Magni] regis, cum Epiro in Macedoniam prosequente Aeacide, rege Molossorum, veniret, prohiberique finibus ab Eurydice et Aridaeo
rege coepisset: seu memoria mariti seu magnitudine filii et indigni- 10
tate rei moti Macedones ad Olympiadem transiere: cuius iussu et Eurydice et rex occiditur, sex annis post Alexandrum potitus regno.

VI. Sed nec Olympias diu regnavit. Nam cum principum pas- 1
sim caedes muliebri magis quam regio more fecisset, favorem sui in
odium vertit. Itaque audito Cassandri adventu diffisa Macedonibus 2
cum nuru Roxane et nepote Hercule in Pydnam urbem concedit.

---

§ 6. *Spartani urbem* cett.] Accuratius Pausanias Achaic. c. 8: *τὰ τείχη τῆς Σπάρτης — οἰκοδομηθέντα μὲν καὶ πρότερον ἔτι αὐτοσχεδίως* (proinde etiam tum metu Cassandri) *καὶ ἐπί τε τῆς Δημητρίου καὶ ὕστερον τῆς Πύῤῥου καὶ Ἠπειρωτῶν στρατείας· ἐπὶ δὲ τῆς τυραννίδος τῆς Νάβιδος* (a. 207) *καὶ ἐς τὸ ἀσφαλέστατον ὀχυρωθέντα* (ubi conf. Kuhn. p. 542).

- *veterem*] Bong.: *veterum;* at idem in V. L.: „Mss. *veteram.* al. *veterem.* recte.“

§ 9. *Olympias*] cum Alexandro, filio Roxanes. Quare seq. *Magni,* quod deest in codd. Bong., Crac., Goth., Prag., a lectore illatum esse puto, qui vereretur, ne Alexandrum Aegum, Magni filium, intelligas.

Epiro] Sic mss. Bong., al.; recte; v. Bernecc. et Ramshorn. *gramm.* p. 276 sq. Bong., 7 codd. et al. recc.: *ab Ep.*

Aeacide] Bong., Goth.: *Aeacida,* quod nescio an reponendum erat. Et iam in Orosio est.

§ 10. *sex annis*] et quatuor mensibus. — *Olympiadem* praeter codd. etiam Vincent. VI, 10. Gronov.: *Olympiada.*

C. VI. § 1. *principum*] H. l. unus tantum Bong.: *principium;* v. ad I, 10, § 1. De re v. Mannert. *Nachf.* p. 150 et Bongars.

§ 2. *nepote Hercule*] Recte Bongarsius: „Barsines hic filius erat; Roxanis *Alexander* vocabatur; quo de hic agitur, ut patet ex Diodoro XIX, 52. Videtur ergo hic Iustinus lapsus memoria.“ In Goth. nomen omissum est, ut Schefferus volebat, glossatoris esse iudicans; sed hunc antiquiorem Orosio statuere debebit.

3 Proficiscenti Deidamia, Aeacidae regis filia, et Thessalonice privigna, et ipsa clara Philippi patris nomine, multaeque aliae principum matronae, speciosus magis quam utilis grex, comites fuere.
4 Haec cum nuntiata Cassandro essent, statim citato cursu Pydnam
5 venit et urbem obsidione cingit. Cum fame ferroque urgueretur Olympias, longae obsidionis taedio pacta salute victori se tradidit.
6 Sed Cassander ad concionem vocato populo, sciscitaturus *quid de Olympiade fieri velint*, subornat parentes interfectorum, qui sumta
7 lugubri veste crudelitatem mulieris accusarent. A quibus accensi Macedones sine respectu pristinae maiestatis occidendam decernunt:
8 immemores prorsus, quod per filium eius virumque non solum vitam ipsi inter finitimos tutam habuissent, verum etiam tantas opes impe-
9 riumque orbis quaesissent. Sed Olympias ubi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali, duabus ancillis innixa ultro obviam
10 procedit. Qua visa percussores attoniti fortuna maiestatis prioris et tot in ea memoriae occurrentibus regum suorum nominibus substite-
11 runt: donec a Cassandro missi sunt, qui eam confoderent, non refugientem gladium nec vulnera aut muliebriter vociferantem; sed virorum more fortium pro gloria veteris prosapiae morti succumbentem, ut Alexandrum posses etiam in moriente matre cogno-
12 scere. Compsisse insuper exspirans capillos et veste crura contexisse fertur, ne quid posset in corpore eius indecorum videri.
13 Post haec Cassander Thessalonicen, regis Aridaei filiam, uxorem

---

§ 3. *Deidamia*] 1 Bong.: *Dedania;* Prag.: *Dianira.* *Thessalonice*] Mss. Bong., Prag., Vinc.: *Thessalonica.*

§ 6. *fieri velint*] Vincent.: *velint fieri.*

§ 9. *vidit*] 1 Bong., coll. C. C., Bodl. et Vincent.: *videt.* *veste reg.*] 5 interpol. Gronov. et 2 Dorv.: *in veste r.*, de qua dicendi ratione docte Gronov. egit p. 873. — *armatos*] ducentos.

§ 10. *memoriae*] Omisit Vinc.

§ 12. *Compsisse insuper exsp. capillos* cett.] Vulgo, etiam in ed. Bong., legitur: *cognoscere. Insuper exsp., capillis et veste crura* cett. quas sordes eruta dudum vera lectione ab editoribus relictas esse iure mireris. Quod nos cum Vorstio scripsimus diserte legitur in mss. aliquot Bong., Crac., Thuan., coll. N., Dorv. 1 et 2. *Capillos* praeterea mss. 4 Gronov. habent. Ceteri fere corrupte: 1 Bong., Leid. 1. 4: *compresse — capillis;* alii *confixa*, *confisse;* Goth.: *conspicere consumpsisset.* (ut Bodl.) *Ins.* Vinc. Bellov.: *Compmens se ins. — capillo* (ut Prag). Unus Bong.: *cooperuisse.* Docti haec ita emendarunt: Sebisius: *Composuisse ins. exsp. capillos.* Schefferus: *Cooperuisse i. e. capillis os*, quod ab hoc loco alienissimum est, Gronovio tamen placuit. Graevius: *Insup. exsp. papillas veste et cr. cont.* cett. (Goth.: *capillis ac veste.*) Oudendorpius (ad Lucan. VIII, 620): *Confossa insuper et exsp. capillis os*, *veste cr.* cett. Sic etiam Gronov., nisi quod *et spirans.* Unice verum est quod Vorstius probante etiam Wopkens. e codd. dedit. De re v. Bernecc.

§ 13. *regis Aridaei*] imo Philippi Amyntae, ut ipse Iustinus supra § 3 significaverat. „Iustino imposuit quod Trogus forte *regis Philippi fil.* scripserat: et Aridaeus *Philippus* post mortem Alexandri cognominatus

ducit; filium Alexandri cum matre in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.

---

est." Bongars. Rectius hoc quam quod Vorstius ob § 3 suspicatus est, de glossa nomen in orationem Iustini irrepsisse. Etiam bene obliviosum novimus Iustinum; ut modo in Polyperchonte, XIII, 8, 7 coll. XIV, 5, 1.

LIBER XV.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS XV.*)

Quinto decimo [1]) volumine continentur haec. Ut Demetrius, Antigoni [2]) filius, Gazae victus est a Ptolemaeo. Ut Cassander in Macedonia filium Alexandri regis interfecit: ac alterum Polyperchontes [3]). Ut Ptolemaeum vicit classe Demetrius, idemque ab obsidione Rhodi summotus est: repetita in excessu origo Rhodiorum: unde digressus Demetrius liberavit a Cassandro Graeciam [4]). Dein pater eius Antigonus bellum cum Lysimacho et Seleuco habuit. Repetitae Seleuci res et regis Indiae Sandrocotti. Ut victus bello Antigonus interiit [5]), reliquiaeque imperii sunt a filio collectae [6]). Cleonymi deinde [7])

---

1) Vett. quidam: *Quindecimo;* ut editur, 3 Leidd., Crac.

2) Sic codd. Romani, Colbertini, Reg., 2 Gronov., Crac.; Bongarsiani: *Antiochi*, falso; iidem paullo post *ab Ptol.*, ut Iust. XVII, 2, § 13.

3) Codd.: *Polyperconutes*, quod emendarunt Bong., Freinsh., al.; et sic 2 Gronov., Crac. De re v. locos ap. Freinsh. et de Iustini negligentia c. 2, § 3 Vorstium.

4) Quaecunque post pugnam cum Ptolemaeo ad Cyprum Rhodi et in Graecia Demetrius egit et origines Rhodi ab Iustino omissae sunt.

5) Hic desinit Iustinus, in fine tantum breviter indicans, post pugnam ad Ipsum nova bella inter socios exorta esse et Cassandro defuncto filium Philippum Macedoniam tenuisse.

6) Colbertt., Thuan.: *a filio eius sunt collectae Demetrio;* sic edidit Gronov., refragantibus ceteris libris.

7) Codd. fere: *Leonimidiae inde Sp.;* unde Bongarsius effecit: *Leonidae inde.* Sed Vat. 1, Maximin., Periz.: *Et Leonymi deinde Sp.* Ex his Longuerr. enucleavit, quod post Gronov. dedimus. Lege Diodorum XX, 104 sq. c. all. ap. Wessel. nr. 76. Grauert.: *Et Cleon.* Crac.: *Demetrio deinde Sparthanorum.*

Spartani res gestae Corcyrae et [*in*] Illyrico [8]) et in Italia: [qui] [9]) ablata Corcyra rex Cassander interiit.

---

[8]) „Voci *Illyrico* addidi *in:* nisi sic scribendum: *Corcyrae et in Italia et Illyrico.*" *Grauert.*

[9]) Ita codd.; Bongars. correxit: *cui abl.*, quod in historiam peccare recte animadvertit Grauertus. Non Cleonymus, sed Cassander Corcyra pulsus est, ab Agathocle, et incensae eius naves. Quare Longuerrius, qui „nihil subsidii lucisve afferre codices" testatur: *utque abactus Corcyra r.* cett. Sed Grauertus: „Sufficit: *Ut ablata* (scil. per Agathoclem) *Corcyra r.* cett." Crac. voc. *qui* omittit.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Antigoni bellum adversus socios, in quo Demetrius filius superatur.*
2. *Cassandri in familiam Alexandri M. saevitia. Antigoni prosperi successus in bello.*
3. *Lysimachi, Antigono oppositi, virtutes et praeclare gesta.*
4. *Antigono novus hostis accedit Seleucus; cuius origo et res gestae subiiciuntur. Antigonus in proelio occumbit.*

---

1 I. Perdicca et fratre eius, Eumene ac Polyperchonte ceterisque ducibus diversae partis occisis finitum certamen inter successores Alexandri Magni videbatur: cum repente inter ipsos victores nata
2 discordia est: quippe postulantibus Ptolemaeo et Cassandro et Lysimacho, *ut pecunia in praeda capta provinciaeque dividerentur*, Antigonus negavit *se in eius belli praemia socios admissurum, in cuius*
3 *periculum solus descenderit;* et ut honestum adversus socios bellum suscipere videretur, divulgat *se Olympiadis mortem a Cassandro interfectae ulcisci velle et Alexandri, regis sui, filium cum matre obsi-*
4 *dione Amphipolitana liberare.* His cognitis Ptolemaeus et Cassander

---

C. I. § 1. *fratre eius*] Alceta.

Polyperchonte] (Mss. Bong.: *Polyperchonta*) Hic Iustinus iterum occidit Polyperchontem, sed ne tum quidem mortuus est. Rebus a Cassandro summotus atque adeo victus ex Aetolia ad filium Alexandrum confugerat, cuius res in Peloponneso tum cummaxime florebant. Etiam hunc lapsum epitomatoris esse e prologo apparet. Quid errori occasionem dederit facile intelligitur.

ceterisque ducibus] ut Pithone; Diod. XIX, 46.

§ 2. *Cassandro*] Praeter hunc etiam *Asandro*, Cariae praefecto; eum enim huius foederis et ipsum participem fuisse, sed cum Cassandro Macedone saepe confundi rationibus evincit Mannertus *Nachf.* p. 162 sq. Cf. ad XIII, 4, § 15.

inita cum Lysimacho et Seleuco societate bellum terra marique enixe
instruunt. Tenebat Ptolemaeus Aegyptum cum Africae parte maiore 5
et Cypro et Phoenice. Cassandro parebat Macedonia cum Graecia.
Asiam et partes Orientis occupaverat Antigonus, cuius filius Deme- 6
trius prima belli congressione a Ptolemaeo apud *Gamalam** vincitur.
In quo proelio maior Ptolemaei moderationis gloria quam ipsius vi- 7
ctoriae fuit: siquidem et amicos Demetrii non solum cum suis rebus, 8
verum etiam additis insuper muneribus dimisit; et ipsius Demetrii
privatum omne instrumentum ac familiam reddidit adiecto honore ver-
borum; *non se propter praedam, sed propter dignitatem inisse bellum;* 9
indignatum, quod Antigonus devictis diversae factionis ducibus solus
communis victoriae praemia corripuisset.

II. Dum haec aguntur, Cassander ab Apollonia rediens incidit 1
in *Autariatas***, qui propter ranarum muriumque multitudinem re-
licto patriae solo sedes quaerebant: veritus, ne Macedoniam occu- 2
parent, facta pactione in societatem eos recepit; agrosque iis ulti-
mos Macedoniae adsignat. Deinde, ne Hercules, Alexandri filius, 3

* *Galamam* ** *Abderitas*

---

§ 6. *partes Or.*] Sic Modii codd., 1 Bongars. et Prag., Thuan., Leid. 1. 4, Magl., Crac. (v. Mod. et Gron. p. 874): melius quam pro correctore. Bong.: *partem*, ut Goth. et reliqui codd. — Post haec multa omisit Iustinus, quae vide ap. Mannert. p. 164 sq. 176 sqq.

apud Gamalam] Sic recc. codd., Prag., Crac. cum Iunt.; sed Bong.: *Galamam*, ut Goth. et edd. vett., solito ac facili lapsu. Proelium illud Demetrii cum Ptolemaeo ceteri ad *Gazam* factum narrant; sed plaudentibus omnibus Is. Vossius *Gamalam* vel *Gabalam* propinquam Gazae urbem esse coniecit, unde pars Idumaeae *Gabalene* vel *Gebalene* dicta; v. Steph. Byz. v. *Γάβαλα*. Verum ut probabile hoc est, ita nondum extra dubitationem positum. Bongarsius *apud Gazam* reposuit, ut in prologo etiam legitur; sed si vere Vossius emendavit, apparere inde videtur, quam copiose et singillatim haec a Trogo exposita fuerint.

C. II. § 1. *ab Apollonia*] vide Diod. XIX, 67.

Abderitas] Sic Bong. et codd.; verum non hos, sed *Autariatas* intelligi primus vidit *Freinshemius*. Quorum sedes in finibus Dardaniae et Paeoniae erant (v. ap. Athen. VIII, pag. 333, A.). Mirum, in quod hic populus incidit, fatum multi tradiderunt, quos collegerunt praeter interpp. ad h. l., praesertim Gronov. p. 874, Wesseling. ad Diodor. III, 30, nr. 5 et Iodrellius Anglus *on Euripides' Bacchae* pag. 484 sqq. — Codd. Med., Leid. 2. 5: *Audariates*. In uno Bong. additum erat legendum esse: *Auienatas;* ex Orosio, cuius codd. ita vel similiter scribunt; v. Havercamp.

§ 2. *recepit*] Sic Bong., Crac., Goth., et ceterorum sine dubio plerique; recte, neque impedit seq. *adsignat:* de qua re supra saepe monitum est; cf. Cort. ad Sallust. Iug. 12, 4. Vulgo, ut 1 Bong., Prag., edd. vett.: *recipit.*

§ 3. *Hercules*] „Quem [Pergamo] reducere in regnum tentabat Polyperchon: eum tamen a Cassandro corruptus interemit, annos natum ἑπτακαίδεκα, quomodo hic reponendum arbitror. Iam enim annos *quindecim*

qui fere annos quatuordecim excesserat, favore paterni nominis in
regnum Macedoniae vocaretur, occidi eum tacite cum matre Barsine
iubet, corporaque eorum terra obrui, ne caedes sepultura prodere-
4 tur: et, quasi parum facinoris in ipso primum rege, mox in matre
5 eius Olympiade ac filio admisisset, alterum quoque filium cum matre
Roxane pari fraude interficit: scilicet quasi regnum Macedoniae,
quod adfectabat, aliter consequi quam scelere non posset.
6 Interea Ptolemaeus cum Demetrio navali proelio iterato congre-
ditur; et amissa classe hostique concessa victoria in Aegyptum refu-
7 git. Demetrius filium Ptolemaei Leontiscum et fratrem Menelaum
amicosque eius cum privati instrumenti ministerio, pari provocatus
8 antea munere, Aegyptum remittit: et, ut appareret eos non odii,
sed dignitatis gloria accensos, donis muneribusque inter ipsa bella
9 contendebant. Tanto honestius tunc bella gerebantur quam nunc
10 amicitiae coluntur. Hac victoria elatus Antigonus regem se cum De-
11 metrio filio appellari a populo iubet. Ptolemaeus quoque, ne mino-
ris apud suos auctoritatis haberetur, rex ab exercitu cognominatur.
12 Quibus auditis Cassander et Lysimachus et ipsi regiam sibi maiesta-
13 tem vindicaverunt. Huius honoris ornamentis tamdiu omnes absti-
14 nuerunt, quamdiu filii regis sui superesse potuerunt. Tanta in illis
verecundia fuit, ut, cum opes regias haberent, regum tamen nomi-
nibus aequo animo caruerint, quoad Alexandro iustus heres fuit.
15 Sed Ptolemaeus et Cassander ceterique factionis alterius duces cum
carpi se singulos ab Antigono viderent, dum privatum singulorum,

---

desierat esse Alexander M. et ex XVII quinarii nota male iuncta aut negligenter expressa levi errore fit XIIII." *Bong.* (Recc. codd. plurimi voc. *fere* omittunt.) Ceterum hic iterum excerpendo rerum seriem pervertit Iustinus, quae rectissima est in prologo. Disertam narrationem habes ap. Mannertum, *Nachf.* p. 201 sqq. Est Ol. 117, 2.

iubet] imo a Polyperchonte aegre impetrat.

sepultura] combustione in rogo; v. Graev.

§ 4. *rege*] Aridaeo; XIV, 5 extr.

§ 5. *alterum quoque fil.* cett.] At ante Herculis necem factum est, ut Alexandrum Aegum cum Roxane matre occidendos Glauciae, custodiae praefecto, imperaret. Recte haec quoque Trogus tradiderat. Nihilominus Gronovius pro *Roxane* *Barsine* legendum praecepit; male.

§ 6. *navali proelio*] Cypri, ad Salaminium portum; Ol. 118, 2 exeunte.

§ 7. *antea*] c. 1. § 8.

§ 8. *odii, sed*] Fidenter reposui quod in omnibus Bongarsii excepto uno habetur, et in Goth.; de aliis nihil refertur. Sententia haec est: ut appareret eos non ex odii et hostilium facinorum magnitudine, sed ex virili dignitate ac moderatione gloriam quaerere. Tam artificiosa sententiarum subtilitas ab nostro quaeri solet. Vulgo: *odio*, ut 1 Bong., qui in V. L. id rectum iudicabat.

§ 14. *verecundia fuit*] 8 Gronov., Goth., Crac.: *erat*, ut ex edd. Ald., et pro extremo *fuit* 4 ex iisdem Gronov.: *foret*.

non commune universorum bellum ducunt nec auxilium ferre alter alteri volunt, quasi victoria unius, non omnium foret: per epistolas 16
se invicem confirmantes tempus, locum coëundi condicunt, bellumque communibus viribus instruunt. Cui cum Cassander interesse 17
propter finitimum bellum non posset, Lysimachum cum ingentibus copiis in auxilium sociis mittit.

III. Erat hic Lysimachus illustri quidem Macedoniae loco na- 1
tus, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior; quae tanta in 2
illo fuit, ut animi magnitudine, philosophia ipsa viriumque gloria omnes, per quos Oriens domitus est, vicerit: quippe cum Alexander 3
Magnus Callisthenem philosophum propter salutationis Persicae interpellatum morem insidiarum, quae sibi paratae fuerant, conscium fuisse iratus finxisset, eumque truncatis crudeliter omnibus membris 4
abscisisque auribus ac naso labiisque deforme ac miserandum spectaculum reddidisset, insuper cum cane in cavea clausum ad metum 5
ceterorum circumferret: tunc Lysimachus, audire Callisthenem et 6
praecepta ab eo virtutis accipere solitus, miseratus tanti viri non cul-

---

§ 15. *bellum ducunt*] i. e. putant esse. Ceteri illi sunt *Lysimachus* ac *Seleucus*, qui et ipse regio nomine se ornaverat.

§ 16. *tempus*, *locum*] Sic Bong. et codd. prope omnes; rem exaggerare voluit: *tempus*, *locum* adeo *coëundi condicunt*. Vulgo ex libris contaminatissimis, Magl., coll. N., et ex Thuan.: *tempus et locum*. Goth.: *tempus in loc. coëundi*. Res gesta ab Ol. 119, 3.

§ 17. *finitimum bellum*] „cum Demetrio in Thessalia, qui expugnata Sicyone, Corintho multisque aliis Achaiae urbibus in Graecia dominabatur.“ *Wetzel.*

C. III. § 1. *illustri Macedoniae loco*] Pellae.

§ 2. *philosophia ipsa*] Nonnulli praeferunt lectionem 6 codd. Gron. et mss. Bong.: *philosophiam ipsam* i. e. philosophos, in his Callisthenem, cuius constantiam vide quam argute Schefferus extenuare studeat. Sed hoc Iustinus voluit: Lysimachum non animi tantum magnitudine et sollertia, ut ceteros fere duces, sed philosophia adeo, quam in bellatore haud quaeras, et corporis robore omnes superasse.

§ 3. *iratus finxisset*] cf. XII, 7, § 2; unde et ex nota Wopkens. apparet, frustra I. Fr. Gronovium ex vestigiis mss. Bong. et edd. vett. coniecisse: *ratus vinxisset*. Intelligitur coniuratio auctore Hermolao conflata, de qua v. S. C. *examen critique* p. 358 sqq.

§ 4. 5. Haec alii aliter: v. S. C. *ex. crit.* p. 361 sq. Freinsh. ad Curt. VIII, 8, § 21.

§ 4. *abscisisque*] Sic 4 Gron., 2 Wopk., Goth. et reduxit Bernecc., q. v. cum Wopkens., interpp. Liv. XXXI, 34, § 4. Ruhnken. ad Vellei. II, 27, § 3 al. Sed Bongars. cum codd. pluribus, suis fortasse omnibus servavit: *abscissisq.*, quod ut de *capite* et *cervicibus* dici solet, de *auribus* potest quidem, sed h. l. minus aptum est; videndum tamen de usu huius aetatis.

§ 5. Vincent., Goth., Crac.: *in cavea cum cane.*

§ 6. *miseratus tanti v.*] Sic Bongarsius sine v. l., Goth., Crac. et 10 codd. Gronovius, id quod h. l. plane dissimulat, tandem fatetur ad lib. XLIII, p. 992. Eodem modo Iustinus sine v. lect. XLIII, 4, § 8,

pae, sed libertatis poenas pendentis, venenum ei in remedia cala-
7 mitatium dedit. Quod adeo aegre Alexander tulit, ut eum obiici
8 ferocissimo leoni iuberet. Sed cum ad conspectum eius concitatus
leo impetum fecisset, manum amiculo involutam Lysimachus in os
9 leonis immersit arreptaque lingua feram exanimavit. Quod cum nun-
tiatum regi esset, admiratio in satisfactionem cessit; cariorem que
10 eum propter constantiam tantae virtutis habuit. Lysimachus quo-
11 que magno animo regis, veluti parentis, contumeliam tulit. Deni-
que omni ex animo huius facti memoria exturbata postea in India
insectanti regi quosdam palantes hostes, cum a satellitum turba equi
sui celeritate desertus esset, solus ei per immensas arenarum moles
12 cursus comes fuit. Quod idem antea Philippus, frater eius, cum
13 facere voluisset, inter manus regis exspiraverat. Sed Lysimachum
desiliens equo Alexander hastae cuspide ita in fronte vulneravit, ut
sanguis aliter cludi non posset quam diadema sibi demtum rex adli-
14 gandi vulneris causa capiti eius imponeret. Quod auspicium primum
15 regalis maiestatis Lysimacho fuit. Sed et post mortem Alexandri,
cum inter successores eius provinciae dividerentur, ferocissimae gen-
16 tes quasi omnium fortissimo adsignatae sunt: adeo etiam consensu
universorum palmam virtutis inter ceteros tulit.

1 IV. Priusquam bellum inter Ptolemaeum sociosque eius adver-
sus Antigonum committeretur, repente ex Asia maiore digressus Se-
2 leucus novus Antigono hostis accesserat. Huius quoque et virtus
3 clara et origo admirabilis fuit: siquidem mater eius Laudice, cum
nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi
4 per quietem ex concubitu Apollinis concepisse; gravidamque factam

---

ubi vide interpp. Facile h. l. editores scripserunt: *misertus t. v.* — De ipsa re vehementer dubitat S. C. *exam.* p. 363 sq.; nam solus ita Iustinus; reliqui (ap. Bernecc.) aliud mortis genus narrant.

§ 7. *ferocissimo*] Mss. Bong., coll. C. C., Franecq., Crac.: *perferocissimo.* — De veritate rei v. eundem S. C. p. 365 sq. qui Curtio VIII, 1, § 17 assentitur.

§ 8. *arreptaque*] Sic codd. paene omnes, satis significanter; Gronovius ex 2 Voss., Med. et Leid. 5: *abreptaque*, ut vett. edd.; quod si voluisset, dicendum erat: *ereptaque*, non abrepta.

§ 11. Vincent.: *insectante rege*, quod reponendum censuerat Gron. propter seq. *ei.* Deinde Med. et Bodl.: *cursu comes fuit*, i. e. pedibus: plane pro sententia loci; ac recepissem, si in diligentiore scriptore versaremur.

§ 13. *diadema*] fasciae simile; v. laudd. apud Bernecc.

§ 15. Med., Bodl., Leid. 5: *ferocissimae ei gentes.* Intelliguntur Thraces et adiectae Ponticae gentes.

C. IV. § 3—5. Supple ex his Appianum, Syr. c. 56, et ex eodem vicissim nostrum.

§ 3. *Laudice*] Sic Bong. ex suis omnibus, quod relinquendum erat, antequam inauditam formam esse demonstraretur. Vulgo: *Laodice*, ut vett. edd. et recc. codd. praeter Crac.

munus concubitus anulum a deo accepisse, in cuius gemma anchora
sculpta esset; iussaque donum filio, quem peperisset, dare. Admi- 5
rabilem fecit hunc visum et anulus, qui postera die eiusdem sculptu-
rae in lecto inventus est, et figura anchorae, quae in femore Seleuci
nata cum ipso parvulo fuit. Quamobrem Laudice anulum Seleuco 6
eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam, edocto de ori-
gine sua, dedit. Ubi post mortem Alexandri occupato regno Orien- 7
tis urbem condidit, ibique geminae originis memoriam consecravit.
Nam et urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocavit et cam- 8
pos vicinos urbi Apollini dicavit. Originis eius argumentum etiam 9
in posteris mansit: siquidem filii nepotesque eius anchoram in femore
veluti notam generis naturalem habuere. Multa in Oriente post di- 10
visionem inter socios regni Macedonici bella gessit. Principio Ba- 11
byloniam cepit; inde auctis ex victoria viribus Bactrianos expugnavit.
Transitum deinde in Indiam fecit, quae post mortem Alexandri, 12
veluti cervicibus iugo servitutis excusso, praefectos eius occiderat.
Auctor libertatis Sandrocottus fuerat: sed titulum libertatis post vi- 13
ctoriam in servitutem verterat: siquidem occupato regno populum, 14
quem ab externa dominatione vindicaverat, ipse servitio premebat.
Fuit hic quidem humili genere natus, sed ad regni potestatem ma- 15
iestate numinis impulsus: quippe cum procacitate sua Alexandrum 16
regem offendisset, interfici a rege iussus salutem pedum celeritate
quaesierat. Ex qua fatigatione cum somno captus iaceret, leo in- 17
gentis formae ad dormientem accessit sudoremque profluentem lin-
gua ei detersit expergefactumque blande reliquit. Hoc prodigio 18

---

§ 4. *in cuius g.*] Praepositionem omittunt 5 Gron. (interpolati quidem), Goth., Vinc. Bellov. VI, 13; idem deinde: *iussaque dona* (ut Bodl.) — *dari.* — De structura varie mutata v. Wopkens. h. l. et Kruegerum in libr. *de attractione* p. 433.

§ 8. *Antiochiam*] v. Bernecc. ex Appian. Syr. c. 57.

campos vicinos urbi] 40 stadia ab Antiochia situm lucum Apollinis cum vico *Daphne;* Strabo XVI. p. 516 Casaub.

§ 11. *Babyloniam cepit*] sive potius recepit, ante e provincia sua pulsus ab Antigono, quam recuperavit post pugnam Demetrii ad Gazam; a. 312.

Bactrianos] cum Medis et Susiana, Diod. XIX, 92. Omnes quas in Oriente terras acquisivit, recensitas habes ap. Appian. Syr. c. 55.

§ 13. *Sandrocottus*] Codd. fere Bong.: *Sandrococtus*, solita permutatione; Oros.: *Androcottus*, ut Graeci quidam; sed vide Voss. et not. ad I, 6, § 2. Indice: *Chandragupta*, ut Athenaeus ex Megasthene: *Σανδρόκυπτος*. — Quae hic narrantur, alibi me legere non memini.

§ 15. *numinis*] Mss. Bong.: *ominis;* unus: *nominis.*

§ 16. *procacitate sua Alexandrum*] Quod tum factum esse videtur, cum *μειράκιον ὢν* Alexandrum videret; Plutarch. Al. p. 700. Sed 2 codd. Bong. et Goth.: *pr. s. Nandrum* (1 Bong.: *pr. Talenavandrum*); in multis varietas dissimulata est.

primum ad spem regni impulsus contractis latronibus Indos ad novi-
19 tatem regni sollicitavit. Molienti deinde bellum adversus praefectos
Alexandri elephantus ferus infinitae magnitudinis ultro se obtulit et
veluti domita mansuetudine eum tergo excepit, duxque belli et proe-
20 liator insignis fuit. Sic adquisito regno Sandrocottus ea tempestate,
qua Seleucus futurae magnitudinis fundamenta iaciebat, Indiam pos-
21 sidebat: cum quo facta pactione Seleucus compositisque in Oriente
22 rebus in bellum Antigoni descendit. Adunatis igitur omnium socio-
rum copiis proelium committitur: in eo Antigonus occiditur, Deme-
23 trius filius eius in fugam vertitur. Sed socii profligato hostili bello
denuo in semet ipsos arma verterunt; et, cum de praeda non con-
24 venirent, iterum in duas factiones diducuntur. Seleucus Demetrio,
Ptolemaeus Lysimacho iunguntur.

Cassandro defuncto Philippus filius succedit.

25 Sic quasi ex integro nova Macedoniae bella nascuntur.

---

§ 18. *novitatem regni*] i. e. in regno constituendo; non improbabilis tamen Schefferi coniectura est, delentis vocem *regni* coll. XXII, 6, § 12: *Nobilissimae urbes novitatem secutae.*

§ 19. *domita mansuet.*] i. e. miti, ut explicat Wopkens. Wopkens.: *d. immansuet.;* Ortwinius et Cuperus diss. I *de Elephantis* 7. p. 64: *domitus ad mansuetudinem;* Burmann. ad Antholog. Vol. II. p. 440: *veluti domi nata mans.* i. e. innata, naturali.

§ 21. *pactione*] et adfinitate; v. Bernecc.

§ 22. *proelium*] ad *Ipsum*, Phrygiae urbem; Ol. 119, 4. s. ante Chr. 301.

§ 23. *hostili* omitt. quidam mss. Bong. Rectius *verterunt* quam quod in edd. vett.; Goth. et 5 Gronov. legitur: *vertunt.* — Bong.: *deducuntur;* sed *did.* ipsius mss. aliquot et Leid. 5; v. I. Fr. Gronov. et Graev. — Ceterum propter praedam coortum esse bellum, non satis recte traditur; v. Mannert. *Nachf.* p. 269.

§ 24. *Demetrio*] cuius filiam *Stratonicen* in matrimonium petit. *Lysimacho*] qui repudiata *Amastri* Heracliensi uxore Ptolemaei filiam *Arsinoen* ducere statuit: quare suspicio et cura Seleuco iniecta est.

Cassandro defuncto] Ol. 120, 3. a. C. 298.

LIBER XVI.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XVI.*)

Sexto decimo volumine continentur haec. Ut mortuo Cassandro ortisque inter filios eius certaminibus Demetrius adiu-

tor alteri adhibitus, occiso eo Macedoniae regnum tenuit: quo mox eiectus[1]) a Pyrrho, Epiri rege, translatis in Asiam bellis captus a Seleuco decessit. Ut[2]) Ptolemaeus nuncupato successore filio Philadelpho decessit. Ut Lysimachus in Ponto captus ac missus ab Dromichaete[3]), rursus in Asia civitates, quae sub Demetrio fuerant[4]), et in Ponto Heracleam occuparit. Repetitae inde Bithyniae et[5]) Heracleoticae origines, tyrannique Heracleae Clearchus et Satyrus et Dionysius: quorum[6]) filiis interfectis Lysimachus occupavit urbem.

---

[1]) Sic Reg., Periz.; et coniectura assecutus fuerat Modius. Ceteri codd.: *evictus;* Romani: *victus.*

[2]) Sic Gronov. e Periz. Ceteri *ut* omittunt.

[3]) Sic Bongarsius emendavit; codd. ipsius: *ab Andromache;* Vatt.: *a Romiche;* Crac.: *a Romide;* Periz.: *a Dromiche;* Maxim.: *a Romuche;* Longuerrius ob historiam (de qua v. locc. ap. Grauert.): e coni.: *ac dimissus est a Dr.*, quod recepit Gronov.; sed nostrum idem sonat. Omisit Iustinus.

[4]) Has per Agathoclem filium cepit; v. Mannert. pag. 289. Etiam hoc Iustinus praeteriit.

[5]) Coniunctionem omiserunt Graev., Gronov. in ed. 1, Grauert.

[6]) Sic omnes libri; sed intelliguntur Dionysii tantum filii, *Clearchus* et *Oxathres*, qui matrem Amastrin, Lysimachi uxorem, nefarie occiderant, deinde ipsi ab Lysimacho interfecti. Quare Longuerr. maluit *cuius;* sed caute monet Grauertus, dissensisse videri auctores. Omissus est ante Dionysium *Timotheus*, Clearchi filius. Lysimachus urbem a tyrannis liberavit; v. Memnon. *hist.* c. 4 — 9.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Antipater, Cassandri filius, fit parricida. Demetrius Alexandrum, Cassandri filium, interficit et Macedoniam occupat.*
2. *Demetrius proelio fusus fugatur. Antipater parricida foede perit. In Cassandri familiam numinis vindicta. Ptolemaei placidum fatum.*
3. *Bellum Pyrrhi et Lysimachi. De Heracleae origine et statu degressio.*
4. *Clearchi, tyranni Heracliensis, artes.*
5. *Quibus rationibus Clearchus tyrannidem firmaverit. Clearchus tandem a Chione et Leonide, iuvenibus nobilissimis, obtruncatur. Post Clearchi supplicium Heracleae conditio.*

1 I. Post Cassandri regis filiique eius Philippi continuas mortes
Thessalonice regina, uxor Cassandri, non magno post tempore ab
Antipatro filio, cum vitam etiam per ubera materna deprecaretur,
2 occiditur. Causa parricidii fuit, quod post mortem mariti in divi-
sione inter fratres regni propensior fuisse Alexandro videbatur.
3 Quod facinus eo gravius omnibus visum est, quod nullum maternae
4 fraudis vestigium fuit: quamquam in parricidio nulla satis iusta causa
5 ad sceleris patrocinia praetexi potest. Post haec igitur Alexander
in ultionem maternae necis gesturus cum fratre bellum, auxilium a
6 Demetrio petit: nec Demetrius spe invadendi Macedonici regni mo-
7 ram fecit. Cuius adventum verens Lysimachus persuadet genero
suo Antipatro, ut malit cum fratre in gratiam reverti quam pater-
8 num hostem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres
reconciliationem cum praesensisset Demetrius, per insidias Alexan-
9 drum interfecit; occupatoque Macedoniae regno caedem apud exer-
10 citum excusaturus in concionem vocat. Ibi *priorem se petitum ab*
11 *Alexandro* adlegat; *nec fecisse se, sed occupasse insidias. Regem au-*
tem se Macedoniae vel aetatis experimentis vel causis iustiorem esse.
12 *Patrem enim suum et Philippo regi et Alexandro Magno socium in*
13 *omni militia fuisse; liberorum deinde Alexandri ministrum et ad per-*
14 *sequendos defectores ducem exstitisse. Contra Antipatrum, avum ho-*
rum adolescentium, amariorem semper ministrum regni quam ipsos re-
15 *ges fuisse. Cassandrum vero patrem, exstinctorem regiae domus, non*
feminis, non pueris pepercisse; nec cessasse, quoad omnem stirpem re-
16 *giae subolis deleret. Horum scelerum ultionem, quia nequisset ab ipso*
17 *Cassandro exigere, ad liberos eius translatam. Quamobrem etiam Phi-*

C. I. § 1. *continuas mortes*] eodem enim anno, quo pater, Philippus decessit.

§ 2. *propensior Alexandro*] Sic praeter edd. vett. Bodl. incertissimae fidei, Prag. et Crac. Bong. et ceteri codd. omnes: *prop. pro Alex.*, quod non dubito quin aliquando vindicetur.

§ 5. *Post haec*] Sic Bongarsiani ad unum omnes et ceteri, integerrime. Med. 2, Periz. et recentissimi: *Ob haec* (vel *hoc*), ut vulgo editur.

a Demetrio] prius quidem a *Pyrrho*, Epiri rege; sed is partem imperii statim occupavit; quare Demetrio quoque diffisus Alexander insidiis eum removere studuit. Pausanias etiam (*Boeot.* c. 7, 3), dum ad exitum tendit, Pyrrhi in hac historia nullam mentionem fecit.

§ 8. *interfecit*] Sic Bong. et boni codd.; vulgo pro more: *interficit*, ut 6 Gronov., in quibus 4 Anglicani.

§ 9. *in conc. vocat*] absolute dicitur; v. I. Fr. Gronov. ad Livium saepius et Wopkens.

§ 10. *Ibi pr.*] 1 Bong. *ibi* omittit, alii nonnulli eiusd.: *Apud pr.* (?)

§ 15. *stirpem regiae subolis*] Sic Bong. et codd. praeter Med. 2, Leid. 4, Dorv. 1. 2, qui: *stirpis regiae subolem*, ut editum est a Gronovio. Illud tamen prorsus de more Iustini est, per *μακρολογίαν* pro *stirps regia* dictum, quemadmodum animadvertit etiam Wopkens.

*lippum Alexandrumque, si quis manium sensus est, non interfectores
suos ac stirpis suae, sed ultores eorum Macedoniae regnum tenere
malle.* Per haec mitigato populo rex Macedoniae appellatur. 18
Lysimachus quoque cum bello *Dromichaetis**, regis Thracum, pre- 19
meretur, ne eodem tempore et adversus eum dimicare necesse ha-
beret, tradita ei altera parte Macedoniae, quae Antipatro eius ge-
nero obvenerat, pacem cum eo fecit.

II. Igitur Demetrius totis Macedoniae regni viribus instructus 1
cum Asiam occupare statuisset, iterato Ptolemaeus, Seleucus et Ly-
simachus, experti priore certamine, quantae vires essent concor-
diae, pacta societate adunatisque exercitibus bellum adversus Deme-
trium transferunt in Europam. His comitem se et belli socium iun- 2
git Pyrrhus, rex Epiri, sperans non difficilius Demetrium amittere
Macedoniam posse quam adquisierat. Nec spes frustra fuit: quippe 3
exercitu eius corrupto ipsoque in fugam acto regnum Macedoniae
occupavit. Dum haec aguntur, Lysimachus generum suum Anti- 4
patrum regnum Macedoniae ademtum sibi soceri fraude querentem
interfecit; filiamque suam Eurydicen, querelarum sociam, in custo-
diam tradit: atque ita universa Cassandri domus Alexandro Magno 5
seu necis ipsius seu stirpis exstinctae poenas partim caede, partim
supplicio, partim parricidio luit. Demetrius quoque a tot exerciti- 6
bus circumventus, cum posset honeste mori, turpiter se dedere Se-
leuco maluit.

Finito bello Ptolemaeus cum magna rerum gestarum gloria 7

* *Doricetis*

---

§ 17. *non interf.*] Deerat *non* in mss. Bong.

§ 18. *rex Maced. app.*] Ol. 121, 3. a. C. 295.

§ 19. *Doricetis*] Ita codd. ad unum omnes Iustini; apud Orosium libri: *Dori;* ad q. l. p. 208 Haverkampus *Doricetis* ortum putat ex *Dori regis.* Ceteri autem scriptores *Dromichaetem* vocant hunc regem *Getarum*, non Thracum; v. Bongars. Veri nominis vestigia in prologo exstant; quare hic quoque si quis est lapsus epitomatori tribui debet. Sed *Thracum* regem a Trogo quoque vocatum esse Getam illum, probabile est ex c. 3, § 3, ubi cf. not.; et quam late in septentrionem et quam incertis finibus extenderint etiam Romani scriptores Thraciam, cognosce ex iis, quae collegit et explicuit cel. *Uckertus* in *Geogr. vett.* V. II. p. 282.

eum] Demetrium, quod in codd. quibusdam per glôssam additum. — Quae hic narrantur, facile conciliari possunt cum narratione ap. Mannert. p. 281 vel Plutarch. Demetr. p. 908, A.

quae Antip. cett.] Prag.: *quae sibi ab Antip., g. eius, even.*

C. II. § 3. *frustra f.*] Mss. Bong.: *frustrata f.*, ut quidam Oros. Macedoniam Pyrrhus invasit Ol. 123, 2. a. C. 287.

§ 4. *interfecit*] Sic Bong. et codd. ut videntur omnes. Vulgo Fabro suadente, confirmantibus scilicet Ald. et Iunt.: *interficit.* Diodorus et Pausan. (*Boeot.* c. 7, 3) a Demetrio Antipatrum per dolos occisum referunt. — Paullo ante refragantibus codd. vulgo: *fraude soceri*, quod ob sonum induxerant edd. vett.

moritur. Is contra ius gentium minimo natu ex filiis ante infirmitatem regnum tradiderat, eiusque rei populo rationem reddiderat:
8 cuius non minor favor in accipiendo quam patris in tradendo regno
9 fuerat. Inter cetera patris et filii mutuae pietatis exempla etiam ea res amorem populi iuveni conciliaverat, quod pater regno ei publice tradito privatus officium regi inter satellites fecerat, omnique regno pulchrius regis esse patrem duxerat.

1 III. Sed inter Lysimachum et Pyrrhum regem, socios paullo ante adversus Demetrium, adsiduum inter pares discordiae malum
2 bellum moverat. Victor Lysimachus pulso Pyrrho Macedoniam oc-
3 cupaverat. Inde Thraciae ac deinceps Heracleae bellum intulerat,
4 cuius urbis et initia et exitus admirabiles fuere: quippe Boeotiis pestilentia laborantibus oraculum Delphis responderat, *coloniam in*
5 *Ponti regione sacram Herculi conderent.* Cum propter metum longae ac periculosae navigationis mortem in patria omnibus praeoptantibus
6 res omissa esset, bellum his Phocenses intulerunt: quorum cum adversa proelia paterentur, iterato ad oraculum decurrunt; responsum
7 *idem belli quod pestilentiae remedium fore.* Igitur conscripta colonorum manu in *Pontum* * delati urbem Heracleam condiderunt; et,

* *Metapontum*

---

§ 7. *moritur. Is c.*] Sic 3 Dorv. et al. recc. codd. Bong. sine v. l.: *moriturus*, *contra* cett. — Ol. 124, 2.

minimo natu ex filiis] Ptolemaeo Philadelpho, qui non solum minor natu erat iustis liberis, sed ex pellice procreatus. Nati ex Eurydice regno excluduntur.

C. III. § 1. *adv. Demetr.*] Desunt in mss. Bong., Goth.

§ 3. *Thraciae*] an Dromichaetis regis regno coll. 1, § 19? *Asiae* coniicere audacius foret. Nisi ille, qui prologos scripsit, arbitrium nonnunquam in ordine rerum tradendo secutus est (cf. ad prol. XIII, not. 6), Pompeius h. l. bellum cum Dromichaete, gesta per Agathoclem in Asia et Heracleensia, quasi privata Lysimacho narraverat. Male igitur epitomator part. *inde* haec continuaret. — Mss. Bong.: *Interea Thr.*

§ 4. *Boeotiis*] (Mss. Bong., Goth.: *Boeotis.*) Heraclea Pontica *Megarensium* quidem a multis colonia vocatur (v. Raoul-Roch. *hist. de l'établiss.* V. III. p. 300), sed accurate Pausanias narrare videtur, lib. V, 26, § 6: — *ἀπῳκίσθη ἐκ Μεγάρων· καὶ Ταναγραῖοι δὲ μέτεσχον Βοιωτῶν τοῦ οἰκισμοῦ.* Ephorus libro V ap. schol. Apollon. II, 845: *Μεγαρεῖς καὶ Βοιωτοὶ τὴν ἐν Πόντῳ Ἡράκλειαν ἔκτισαν.* Cf. Steph. Byz. v. *Πάνελος*, ab Raoul-Rochettio recte huc advocatum; et adde laudatt. ap. C. O. Mueller. *Orchomenos* p. 291 sq.

§ 5. 6. De hoc bello Phocensium et Boeotorum alios non inveni qui narrent; et satis videtur leve certamen fuisse.

§ 7. *in Pontum*] „Ita omnino legendum est ex uno Cuiacii codice. Est enim Heraclea hoc loco *πόλις* [*Θράκης*] *ἐν τῷ Πόντῳ*. Ceteri omnes et impressi et scripti: *Metapontum*, turpi errore. *Metapontum* et *Heraclea*, Italiae urbes, librarios in errorem induxerunt.“ *Bong.* Neque ego alium cod. novi, qui verum exhibeat; in Crac. adeo iam § 4 legitur: *in Metaponti regione.* — 1 Bong., Goth., Prag. hic et alibi: *Heracliam.*

quoniam fatorum auspiciis in eas sedes delati erant, brevi tempore magnas opes paravere. Multa deinde huius urbis adversus finitimos 8
bella, multae etiam domesticae dissensiones fuere. Inter cetera magnifica vel praecipue illud memorabile fuit. Cum rerum potirentur 9
Athenienses victisque Persis Graeciae et Asiae tributum in tutelam classis descripsissent, omnibus cupide ad praesidium salutis suae conferentibus soli Heraclienses ob amicitiam regum Persicorum collationem abnuerant. Missus itaque ab Atheniensibus *Lamachus* * 10
cum exercitu ad extorquendum quod negabatur, dum relictis in litore navibus agros Heracliensium populatur, classem cum maiore parte exercitus naufragio repentinae tempestatis amisit. Itaque cum ne- 11
que mari posset amissis navibus, neque terra auderet cum parva manu inter tot ferocissimas gentes reverti: Heraclienses honestiorem beneficii quam ultionis occasionem rati instructos commeatibus auxiliisque dimittunt, bene agrorum suorum populationem impensam 12
existimantes, si, quos hostes habuerant, amicos reddidissent.

IV. Passi sunt inter plurima mala etiam tyrannidem: siquidem 1 2
cum plebs et novas tabulas et divisionem agrorum divitum impotenter flagitaret, diu re in senatu tractata, cum exitus rei non inveniretur, 3
ad postremum adversus plebem nimio otio lascivientem auxilia a Timotheo, Atheniensium duce, mox ab Epaminonda Thebanorum petivere. Utrisque negantibus ad Clearchum, quem ipsi in exsi- 4
lium egerant, decurrunt. Tanta calamitatium necessitas fuit, ut, 5

* *Malachus*

---

§ 8. *multae — dom. dissensiones*] Sic codd. Bong. praeter unum et dimidia fere pars Gronov., Crac.; editoribus vero praeplacuit quod in 1 Bong. est, Prag., Goth., 7 Gronov. interpolatis: *multa e. dom. dissensionis mala f.;* ita vulgo legitur.

§ 10. *Lamachus*] Sic Bongarsius e cod. Cuiacii; accedunt Med. 2, Leid. 2. 5, Prag. Ceteri mss. et edd. vett.: *Malachus.* Recte illud restitutum esse intelliges ex Diodor. XII, 72, ubi tamen consilium Lamachi et Atheniensium mandatum non significantur.

C. IV. § 2. *plebs et novas* cett.] Sic hodie editur (ut Crac., Prag.); vett. edd. et Bong.: *pl. etiam novas.* Goth.: *cum etiam plebs n.*, omissa in § 1 voce *etiam.* — Haec Romanus scriptor popularium suorum sensui ac rebus accommodasse videtur; nam ita Aristoteles Pol. V. 6: *καὶ (κινοῦνται αἱ ὀλιγαρχίαι), ὅπου τα δικαστήρια μὴ ἐκ τοῦ πολιτεύματός ἐστι· δημαγωγοῦντες γὰρ πρὸς τὰς κρίσεις μεταβάλλουσι τὴν πολιτείαν· ὅπερ καὶ ἐν Ἡρακλείᾳ ἐγένετο τῇ ἐν Πόντῳ:* nisi haec de vetustiore rerum commutatione accipienda sunt, de qua ad § 4. Divites autem tum insidias struxisse plebi apparet ex Aenea Tactico ap. Orellium, qui in ed. Memnonis collegit quae veteres de Heraclea prodiderunt, p. 119.

§ 3. *tractata*] Mss. Modii: *tracta.*

exitus rei] Vocab. *rei* delendum non esse ostenderunt Wopkens. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. II, 18 et alibi.

§ 4. Similia Heracleenses etiam antiquis temporibus passi erant, ut Aristoteles narrat loco ab Orellio et Titmanno pariter praetermisso, Polit.

6 cui patriam interdixerant, eum ad tutelam patriae revocarent. Sed
Clearchus, exsilio facinorosior redditus et dissensionem populi occa-
7 sionem invadendae tyrannidis existimans, primo tacitus cum Mithri-
date, civium suorum hoste, colloquitur; et inita societate paciscitur,
ut revocatus in patriam prodita ei urbe praefectus eius constituere-
8 tur. Postea autem insidias, quas civibus paraverat, in ipsum Mi-
9 thridatem verterat. Namque cum velut arbiter civilis discordiae de
exsilio reversus esset, statuto tempore, quo urbem Mithridati tra-
deret, ipsum cum amicis suis cepit; captumque accepta ingenti pe-
10 cunia dimisit. Atque ut in illo subitum se ex socio fecit hostem, sic
11 ex defensore senatoriae causae repente patronus plebis evasit; et ad-
versus auctores potentiae suae, a quibus revocatus in patriam, per
quos in arce collocatus fuerat, non solum plebem accendit; verum
12 etiam nefandissima quaeque tyrannicae crudelitatis exercuit. Igitur
populo ad concionem vocato *neque se adfuturum amplius grassanti in
populum senatui* ait; *intercessurum etiam, si in pristina saevitia per-*
13 *severet: quod si pares se crudelitati senatorum arbitrarentur, abiturum*
14 *cum militibus suis neque civilibus discordiis interfuturum: sin vero*
15 *diffidant viribus propriis, vindictae se civium non defuturum. Pro-*
inde consulant sibi ipsi: iubeant abire se, si malint, vel causae popu-
16 *laris socium remanere.* His verbis sollicitata plebs summum ad eum

---

l. V, c. 5. p. 508 Heins.: *κατελύθη δὲ καὶ ἐν Ἡρακλείᾳ ὁ δῆμος μετὰ τὸν ἀποικισμὸν εὐθὺς, διὰ τοὺς δημαγωγούς· ἀδικούμενοι γὰρ οἱ γνώριμοι ἐξέπιπτον· ἔπειτα ἀθροισθέντες οἱ ἐκπίπτοντες καὶ κατελθόντες κατέλυσαν τὸν δῆμον.* Aliam hic Heracleam dici praeter Ponticam, non est credibile.

§ 7. *Mithridate*] sub quo stipendia cum laude meruerat; Suid. v. *Κλέαρχος*.

§ 8. *verterat*] scil. animo consiliisque suis; id quod deinde factis ostendit. Frustra igitur 4 codd. Gronov.: *vertit*, ut Ald. — Gronovius: *Mithridaten*.

§ 9. *captumque*] Mss. Bong.: *captum*. Ceterum haec solus Iustinus servavit, sine dubio vera.

§ 12. *intercessurum*] Bodl., Prag., Dorv. 2. 3: *et intercess. etiam*, probante Wopkens. — Ante Goth.: *adfut. se*.

§ 15. Sine antiquiorum codd. auxilio hic locus certo restitui non potest. Bongarsii lectionem dedi, nisi quod cum recentt. editoribus perversum istud *sibi ipsis*, quod etiam Goth. habet, correxi. (An est: inter sese ipsos, misso plane Clearcho? In litt. S etiam sigla copulae *et* latere potest.) Mss. Bong.: *abire se, an sibi malint;* mss. omnes Gronov.: — *se an malint vel c.* Crac., Magl.: *an se malint vel;* Goth.: *abire, si malint vel soc. p. c.* Prag.: *proinde consulant: si ipsi iubeant abire: vel soc. c. p. r.* Denique pro *reman.* mss. Bong.: *se man.* Gronov. e Graevii emendatione edidit: *iub. ab. se, an malint causae p. s. r.;* ipse p. 880 non male coniiciens: *videant* (hoc praebuit Magl.), *abire se malint an c.* Faber: *iubeantne ab. se, an c.*, omissis *malint* et *vel.* Scheffer.: *se, aut si malint, c. p.;* Vorst.: *vel, si m., c. p.* Heinsius et Wopkens.: *sive*

imperium defert; et, dum senatus potentiae irascitur, in servitutem
se tyrannicae dominationis cum coniugibus et liberis tradit. Igitur 17
Clearchus sexaginta senatores comprehensos (nam ceteri in fugam
dilapsi erant) in vincula compingit. Laetari plebs, quod a duce 18
potissimum senatorum senatus deleretur, versaque vice auxilium
eorum in exitium conversum esse. Quibus dum mortem passim 19
omnibus minatur, cariora eorum pretia facit: siquidem Clearchus 20
magna pecunia, quasi minis populi occulte eos subtracturus, accepta
spoliatos fortunis vita quoque spoliavit.

V. Cognito deinde quod bellum sibi ab iis, qui profugerant, 1
misericordia in auxilium sollicitatis civitatibus pararetur, servos eo-
rum manumittit; et, ne quid mali adflictis honestissimis domibus 2
deesset, uxores eorum filiasque nubere servis suis proposita recu-
santibus morte compellit, ut eos sibi fidiores et dominis infestiores
redderet. Sed matronis tam lugubres nuptiae graviores repentinis 3
funeribus fuere. Itaque multae se ante nuptias, multae in ipsis 4
nuptiis occisis prius novis maritis interficiunt et se tam funestis cala-
mitatibus virtute ingenui pudoris eripiunt. Proelium deinde com- 5
mittitur; quo victor tyrannus captivos senatores in triumphi modum
per ora civium trahit. Reversus in urbem alios vincit, torquet alios, 6
alios occidit: nullus locus urbis a crudelitate tyranni vacat. Accedit 7
saevitiae insolentia, crudelitati arrogantia. Interdum enim ex suc- 8
cessu continuae felicitatis obliviscitur se hominem; interdum Iovis se
filium dicit. Eunti per publicum aurea aquila velut argumentum ge- 9
neris praeferebatur; veste purpurea et cothurnis regum tragicorum 10
et aurea corona utebatur; filium quoque suum Ceraunon vocat, ut 11
deos non mendacio tantum, verum etiam nominibus illudat. Haec 12
illum facere duo nobilissimi iuvenes, Chion et Leonides, indignan-
tes patriam liberaturi in necem tyranni conspirant. Erant hi disci- 13

---

iub. ab. se, *seu malint c. p.* (Heins.: *vel causa pop.*, sententia non perspicua); posterior etiam: *consulant ipsi*, *iubeantne ab. se*, *an m. c. p.*

§ 17. *in fugam*] vide Wopkens.; mss. Bong., 4 Gronov.: *in fuga.* — Sexaginta senatores ex *trecentis* ceperat; v. Polyaen. apud Orellium pag. 122.

§ 18. *conversum esse*] Sic Bong. et codd. meliores, multo venustius quam vulg. *esset*, quod certatim ex edd. vett. et 4 Gronovii protraxerunt.

C. V. § 1. *iis*] Goth.: *his.*

§ 8. *Interdum enim*] Graevius voc. *enim* male delevit; hoc ad *insolentiam* pertinet; quod sequitur ad *arrogantiam*. Vulgo tamen contra codd. omnes et vett. edd.: *Interdum ex* cett. Nescio unde Wopkens.: *Interim ex s.*

se fil.] Mss. Bong. omitt. *se*.

§ 12. *Leonides*] Is. Vossius ex Memnone *Leon* reposuit; sed recte Gronovius eundem auctorem sequi Trogum docuit, quem Suidas v. *Κλέαρχος*. Cum multi essent eius coniurationis conscii, Palmerius (pag. 198 Orell.) pro alio plane habebat *Leontem* Memnonis.

puli Platonis philosophi, qui virtutem, ad quam quotidie praeceptis magistri erudiebantur, patriae exhibere cupientes quinquaginta co-
14 gnatos veluti clientes in insidiis locant. Ipsi more iurgantium ad
15 tyrannum, veluti ad regem, in arcem contendunt: qui iure familiaritatis admissi, dum alterum priorem dicentem intentus audit tyran-
16 nus, ab altero obtruncatur. Sed et ipsi sociis tardius auxilium fe-
17 rentibus a satellitibus obruuntur. Qua re factum est, ut tyrannus
18 quidem occideretur, sed patria non liberaretur. Nam frater Clearchi Satyrus eadem via tyrannidem invadit: multisque annis per gradus successionis Heraclienses regnum tyrannorum fuere.

---

§ 13. *Platonis* deerat in mss. Bong.; iidem: *perfectis praeceptis*, ut Goth. et edd. vett.

§ 14. Dionysiorum quidem festo, ut Diodor. XVI, 36, auctor epist. Chion. in ult. et Memnon, qui tyrannum *δημοτελῆ θυσίαν* fecisse narrat, dum Chionis manu interficeretur.

§ 15. Notum Anacoluthon; cf. ad XI, 7, § 6 sq. ad Liv. XXI, 36. *Torkil. Baden* in *bibl. crit. Hildes.* Ann. III. p. 219.

§ 18. *Satyrus* tanquam *ἐπίτροπος* Timothei et Dionysii, qui tum pueri erant. Memnonis plane immemor fuit h l. Bernecc.

eadem via] „i. e. aeque ut frater." *Graev.* Schefferus: *eadem vi.*

multis annis] 94 annis, additis iis, per quos Lysimacho parebant.

regnum tyrann.] Sic mss. Bong., 9 Gronov., Dorv. 2. 3, Goth.; exempla v. ap. interpp. Reliqui codd., ut Bong.: *sub regno t.*

LIBER XVII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XVII.*)

Septimo decimo volumine continentur haec. Ut Lysimachus occiso filio Agathocle per novercam Arsinoen bellum cum rege Seleuco habuit, quo victus interiit: ultimumque [1]) certamen commilitonum Alexandri fuit. Ut Seleucus amissis in Cappadocia cum Diodoro copiis [2]) interfectus

---

[1]) I. Fr. Gronov. correxit: *quod ultimum;* Grauertus *hoc* vel *id* putat excidisse. Neutrum necessarium est.

[2]) Apparet igitur Seleucum, antequam Lysimachiam tenderet, copias ad subigendam Cappadociam misisse sub duce Diodoro. In ceteris scriptoribus, quorum de his annis narratio vehementer manca est, ne vestigium quidem huius expeditionis deprehendi. Quare Longuerrius e Diodoro legendum praecepit: *cum Amynta,* addens „librarios omisso *Amyntae* nomine Diodorum historicum, quem ad testimonium adduxerit Trogus, pro

est a[3]) Ptolemaeo, fratre Arsinoes, uxoris Lysimachi: in cuius vicem Ptolemaeus[4]) cognomine Ceraunus, creatus ab exercitu rex, Macedoniam occupavit: bella cum Antiocho[5]) et Pyrrho composuit, datis Pyrrho auxiliis, quibus iret contra Romanos defensum Tarentum. Inde repetitae origines regum Epiroticorum usque ad Pyrrhum, ipsiusque Pyrrhi res gestae priusquam in Italiam traiecit.

---

duce Macedonum habuisse.“ At auctores narrationum a Trogo nunquam nominatos esse contenderim. Ut igitur iam hoc nomine coniectura improbabilis est, ita prorsus falsa arguitur serie rerum: sic enim Diodorus XXXI, ecl. 3, p. 517 sq. Wessel.: (*Ariarathes*, qui Perdicca urgente in Armeniam concesserat,) *τῶν περὶ τὸν Εὐμένη καὶ Περδίκκαν τελευτησάντων, Ἀντιγόνου δὲ καὶ Σελεύκου περισπωμένων λαβὼν δύναμιν παρὰ τοῦ βασιλέως τῶν Ἀρμενίων Ἀρδοάτου τὸν μὲν τῶν Μακεδόνων στρατηγὸν Ἀμύνταν ἀπέκτεινεν, ἐξέβαλε δὲ καὶ Μακεδόνας ταχέως τῆς χώρας καὶ τὴν οἰκείαν ἀρχὴν ἀνεκτήσατο.*

[3]) *ab Pt.* praeter Gronov. omnes, etiam ms. Crac.

[4]) Longuerr. hic interserendum putavit *iste*, ob praecedd., Gronov. scribendum: *idem Pt.*

[5]) „Adde *Antigono*, quamvis mss. hoc nomen taceant; et scribe *cum Antiocho*, *Antigono et P.*, ex Plutarcho in vita Pyrrh. [et cum Iustino infr. c. 2. § 10].“ *Longuerr.*

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Lysimachi regis tragoedia.*
2. *Idem amissis quindecim liberis in proelio occumbit. Seleucus per insidias occiditur a Ptolemaeo. Ptolemaeus principum amicitiam, praecipue Pyrrhi, sibi conciliat.*
3. *De Epirotarum regno, eiusdemque origine ac regibus digressio. Pyrrhi varia fortuna.*

I. Per idem ferme tempus in Hellesponti et Chersonesi regio- 1
nibus terrae motus fuit: maxime tamen Lysimachia urbs, ante duos 2
et viginti annos a Lysimacho rege condita, eversa est. Quod por- 3
tentum dira Lysimacho stirpique eius ac regni ruinam cum clade

---

C. I. § 1. *in Hell.*] Praepositionem omittunt 9 Gronov., Goth., Crac.; tum *fuit* est i. q. accidit.

§ 2. *et viginti*] Goth.: *quadraginta.*
condita] in ruinis *Cardiae* urbis deletae; Pausan. Attic. c. 9 extr.

4 vexatarum regionum portendebat. Nec ostentis fides defuit: nam
brevi post tempore Agathoclem, filium suum, quem in successio-
nem regni ordinaverat, per quem multa bella prospere gesserat,
non solum patrium, verum etiam humanum ultra morem perosus
5 ministra Arsinoë noverca veneno interfecit. Haec illi prima mali la-
6 bes, hoc initium impendentis ruinae fuit. Nam parricidium princi-
pum secutae caedes sunt, luentium supplicia, quod occisum iuvenem
7 dolebant. Itaque et hi, qui caedibus superfuerant, et hi, qui ex-
8 ercitibus praeerant, certatim ad Seleucum deficiunt; eumque pronum
iam ex aemulatione gloriae bellum Lysimacho inferre compellunt.
9 Ultimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit et, velut ad
10 exemplum fortunae, par reservatum. Lysimachus quatuor et se-
11 ptuaginta annos natus erat; Seleucus septem et septuaginta. Sed
in hac aetate utrique animi iuveniles erant imperiique cupiditatem
12 insatiabilem gerebant: quippe cum orbem terrarum duo soli tenerent,
angustis sibi metis inclusi videbantur, vitaeque finem non annorum
spatio, sed imperii terminis metiebantur.

1 II. In eo bello Lysimachus amissis ante variis casibus quindecim
liberis non instrenue moriens postremus domus suae ruinae cumulus
2 accessit. Laetus tanta victoria Seleucus et, quod maius victoria pu-
tabat, solum se de cohorte Alexandri remansisse victoremque victo-
rum exstitisse, *non humanum esse opus*, *sed divinum munus* gloria-
3 tur: ignarus prorsus non multo post fragilitatis humanae se ipsum
4 exemplum futurum: quippe post menses admodum septem a Ptole-

---

§ 4. *non solum patrium*] Sic Bong., Goth.; at Gronovius ex 9 suis, quibus accedunt Crac., Prag.: *non solum* *ultra* *patr.*, male defendens loco II, 6, 1: *non modo ultra spem gerendi*, *verum etiam ultra gesti fidem.*

veneno interfecit] Accuratius Memnon c. 8. p. 18 Or.

§ 10. *Lysimachus LXXIV annos*] at Hieronymus Cardianus apud Lucian. Macrob. § 11 eum ἔτος ὀγδοηκοστὸν τελοῦντα obiisse in pugna narrat; Appianus Syr. c. 64: ἐβασίλευσε τεσσαράκοντα ἔτη μάλιστα, σὺν οἷς ἐσατράπευσε· καὶ ἐπιπόνως ἐβασίλευσε· καὶ ἑβδομηκοντούτης ὢν στρατευόμενος καὶ μαχόμενος ἔπεσεν.

Seleucus LXXVII] Mss. Bong. et coll. C. C.: *sex et sept.* Appianus tamen Syr. 63: Σέλευκος τελευτᾷ τρία καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη βιώσας, καὶ βασιλεύσας αὐτῶν δύο καὶ τεσσαράκοντα"; nisi quidem eos annos demas, per quos provincia pulsus fuerat.

§ 11. *iuveniles*] Codd. aliquot *iuvenales*, de quo v. Gronov. p. 882.

§ 12. *angustis sibi metis*] Sic Med. 2, Dorv. 1 et coll. N., ut Ald.: qui vere correxisse videntur codicum vetustorum lectionem: *angustiis sibimet incl.*, quae in multis edd. servata est.

C. II. § 1. *non instrenue*] Codd. omnes et edd.: *non strenue;* unus Med. 2, ut post Bongarsium consentiente historia edunt. Proelium erat ad *Curupedion.*

§ 2. *putabat*] Goth., Crac.: *putat.*

§ 3. *fragilitatis hum.*] Mss. Bong.: *fragilitate humana.*

§ 4. *a Ptolem.*] (Mss. Bong. et coll. C. C.: *ibi a Pt.*) Erat Ptole-

maeo, cuius sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, per insi-
dias circumventus occiditur; regnumque Macedoniae, quod Lysi- 5
macho eripuerat, cum vita pariter amittit. Igitur Ptolemaeus cum 6
et in gratiam memoriae magni Ptolemaei patris et in favorem ultio-
nis Lysimachi ambitiosus ad populares esset, primo Lysimachi filios
conciliare sibi statuit; nuptiasque Arsinoës, sororis suae, matris 7
eorum, petit puerorum adoptione promissa: ut, cum in locum pa- 8
tris eorum successisset, nihil illi moliri vel verecundia matris vel ap-
pellatione patris auderent. Fratris quoque regis Aegypti concor- 9
diam per epistolas deprecatur, professus *deponere se offensam erepti
paterni regni, neque amplius a fratre quaesiturum, quod honestius a
paterno hoste perceperit.* Omnique arte adulatur Eumeni et Antigono, 10
Demetrii filiis, Antiocho, filio Seleuci, cum quibus bellum habiturus
erat, ne tertius sibi hostis accederet. Sed nec Pyrrhus, rex Epiri, 11
omissus, ingens momentum futurus, utri parti socius accessisset:
qui et ipse spoliare singulos cupiens omnibus se partibus venditabat. 12
Itaque Tarentinis adversus Romanos laturus auxilium ab Antigono 13
naves ad exercitum in Italiam deportandum mutuo petit; ab Antio-
cho pecuniam, qui opibus quam militibus instructior erat; a Ptole-
maeo Macedonum militum auxilia. Sed Ptolemaeus, cui nulla di- 14

---

maeus *Ceraunus*, Ptolemaei Soteris filius ex Eurydice, filia Antipatri: quare maternum regnum sibi vindicare videbatur, dum Macedoniam occupabat. Postpositus Philadelpho fratri ex pellice nato (v. ad XVI, 2, 7) in Thraciam ad sororem discesserat.

§ 9. *paterno hoste*] Seleuco.

§ 10. *Eumeni*] Hoc nomine Demetrius filium nullum genuit, si ceteros audis; v. Plutarch. Dem. extr.; neque ullum ea aetate *Eumenem* novi praeter praefectum Amastris urbis in Bithynia, Antiochi Dei partibus addictum, apud Memnon. de reb. Heracl. p. 373 s. 720, ubi Orellius male de Eumene Alexandri duce cogitavit. Interpretes plerique probaverunt coniecturam I. Fr. Gronovii, qui ita de hoc loco: „Nullum circa haec tempora invenio Eumenem, quem vereri poterat Ptolemaeus. Sed *Nicomedem* Bithynum, Antigoni amicum, hostem Antiochi invenio ap. Memnonem: cuius illi haud dubie potuit utilis esse gratia, si nihil aliud, ad morandum Antiochum. Nam cum duobus istis simultates erant inexpiabiles, quorum alter Macedoniam, velut paternum regnum, vindicabat, alterius patrem ipse interfecerat. Et *Eumenes* pro *Nicomede* bis etiam habetur in vulgatis exemplaribus XXVII, 3." Scribendum itaque proposuit: *Omnique arte adulatur Nicomedi, ne cum Antigono Demetrii, Antiocho Seleuci filiis bellum habituro tertius sibi hostis accederet.* Abr. Gronovius coniecit: *adulatur eum, ne Antigono Demetrii Antiochoque* (sic Crac. et Prag.) *filio Sel., cum — erat, tertius* cett.

Antigono] cognomine *Gonata.*

§ 13. Res veri similis, ab aliis non tradita. — *ab Antigono*] cui tum Graeciae urbes plurimae parebant; sedem habebat Corinthi. — *a Ptol.*] Mss. Bong.: *ab Ptol.*

§ 14. *Ptolemaeus*] Ceraunus, non Philadelphus Aegypti; nam illius cervicibus minax insidebat Pyrrhus.

lationis ex infirmitate virium venia esset, quinque millia peditum, equitum quatuor millia, elephantos quinquaginta non amplius quam
15 in biennii usum dedit. Ob haec Pyrrhus filia Ptolemaei in matrimonium accepta vindicem eum regni reliquit, [pacificatus cum omnibus finitimis,] ne abducta in Italiam iuventute praedam hostibus regnum relinqueret.

1 III. Sed quoniam ad Epiri mentionem ventum est, de origine
2 regni eius pauca narranda sunt. Molossorum primum in ea re-
3 gione regnum fuit. Post Pyrrhus, Achillis filius, amisso per absentiam Troianis temporibus paterno regno in his locis consedit:

---

equitum quatuor mill., elephantos quinquaginta] Harum copiarum numerus si verus refertur, partem earum alio misisse Pyrrhum necesse est quam in Italiam, ubi cum *tribus* tantum millibus equitum (v. Plutarch. p. 391, E) et *viginti* elephantis (teste Zonara) advenit: et hos quidem elephantos eosdem esse censet *A. G. Schlegel*, quos Demetrio Poliorcetae in pugna eripuerat, proinde non a Ptolemaeo in usum concessos; vide *histor. elephantorum* in *Bibl. Indica* Vol. I. p. 182.

§ 15. Hic Iustinus iterum indiligens fuit in Trogi narratione reddenda. *Ptolemaeum* filium regni custodem reliquit (v. XVIII, 1, § 3), susceptum ex *Antigone*, filia Ptolemaei *Philadelphi*, non Cerauni, ut Iustinus voluisse videtur, eaque privigna ex Philippo, priore Berenices matris marito; v. Plutarch. c. 4 extr. Praeterea ante quindecim et plures annos, non tum primum Pyrrhus Antigonen duxerat.

eum] Ptolemaeum Ceraunum; sed errat; v. XVIII, 1, § 3.

[*pacificatus c. o. f.*] Sic codd. Modii, 11 Gronov., Goth., Crac., Prag., edd. vett.; sed nullum eorum vestigium reperitur in Bongarsianis vel codd. vel edd. vetustis: recte et genuine, ut apparet, quantum equidem video, ex voce *vindicem*, quae adiectis istis vi sua caret; quocirca autem inseruerint ea verba et cur necessaria existimaverint, facile perspicitur.

C. III. § 2. Non audeo h. l. cum editore Theopompi p. 240 Iustinum erroris convincere; scripserat quidem Theopompus Epiroticarum gentium clarissimas *Chaones* et *Molossos* fuisse *διὰ τὸ ἄρξαι ποτε πάσης τῆς Ἠπειρώτιδος, πρότερον μὲν Χάονας, ὕστερον δὲ Μολοττούς.* Sed Trogus quidni aliorum exemplo a Molossis inciperet? Conf. mythos indicatos Plutarcho Pyrrh. 1, qui conciliari non possunt cum eorum narratione, quibus Molossi a Pyrrhi filio Molosso nomen acceperunt. Plutarchus quoque nostro loco convenienter narrat *χρόνῳ ὕστερον* (post Phaethontis regnum in Molossis vel Deucalionem et Pyrrham ibidem desidentes) Neoptolemum ibi consedisse *καὶ διαδοχὴν βασιλέων ἀφ' αὑτοῦ καταλιπεῖν Πυῤῥίδας ἐπικαλουμένους.* Secundum hos igitur regnum vel principatus Epiri primum penes Molossos erat; deinde Neoptolemus Molossorum imperium adeptus auctum reliquit posteris suis *Pyrrhidis*, quae familia cum quatuordecim Epiri gentes adeoque totam Epirum subegisset, *Epirotae* vocata est. Nam ad regum familiam haec verba Iustini referenda esse apparet.

§ 3. *Troianis temporibus*] Haec verba uncis inclusit Bongarsius, ut in uno tantum alterove recentiore inventa. Reliqui omnes agnoscere videntur.

paterno regno] Phthia Thessaliae, ubi Peleus avus et Achilles regnaverant.

qui *Pyrrhidae* primo, postea *Epirotae* dicti sunt. Sed Pyrrhus, cum 4
in templum Dodonaei Iovis ad consulendum venisset, ibi Lanassam,
neptem Herculis, rapuit: ex cuius matrimonio octo liberos sustulit.
Ex his nonnullas virgines nuptum finitimis regibus tradidit opesque 5
adfinitatium auxilio magnas paravit: atque ita Heleno, filio Priami 6
regis, ob industriam singularem regnum Chaonum et Andromachen
Hectoris e matrimonio suo (quos in divisione Troianae praedae ac-
ceperat) uxorem tradidit; brevique post tempore Delphis insidiis 7
Orestae, filii Agamemnonis, inter altaria dei interiit. Successor 8
huic Piales filius fuit. Per ordinem deinde regnum ad Tharrybam 9

---

qui Pyrrhidae cett.] i. e. quae (Pyrrhi) familia.

§ 4. *ad consulendum*] Mss. aliquot Bong., 10 Gronov. praepos. *ad* omittunt; cuius dicendi formae Gronovius ex Ulpiano exemplum produxit: *Navis usufructu legato navigandum mittendam puto. ἐπέχω.*

neptem Herculis] *Κλεοδέου τοῦ Ὕλλου*, ut ait Plutarchus; proneptis ergo Herculis dicenda erat.

§ 5. *opesque adfinitatium* cett.] Ita Theopompus l. l. de Molossis: *οἱ δὲ διὰ τὴν συγγένειαν τῶν βασιλέων ἐπιπλέον ηὐξήθησαν.*

§ 6. *regnum Chaonum*] Secundum alios filius Heleni ex Andromacha *Cestrinus* post Neoptolemi mortem *σὺν τοῖς ἐθέλουσιν Ἠπειρωτῶν την ὑπὲρ Θύαμιν ποταμὸν χώραν ἔσχε* (Pausan. I, 11, § 2); Helenus ipse liberorum Pyrrhi tutelam gerebat (v. eund. II, 23, § 6). Trans Thyamin sitae erant regiones Thesprotia et *Chaonia*, de qua Hesychius v. *Κεστρινικοὶ· Κεστρινικοὶ βόες οἱ ἐν Χαονίᾳ, ἣ πρότερον Κεστρίνη προσηγορεύετο.* Thucydide tamen I, 46 auctore Cestrine propria in altera ripa fluminis sita erat, quod adversatur huic narrationi.

Andromachen (ita etiam Bong. sine v. l.) *Hectoris e matr. suo (quos in divis.* cett.] Sic codd. nescio quot Bong., 5 Gronovii, Goth., Crac., Prag. et alii aliquot levi aberratione; 3 tamen ex illis quinque Gronov. et alii 2, 1 Bong., Crac., Prag. e correct. *quam* exhibent pro *quos:* quod I. Fr. Gronovius recte cepit explicans: Helenum scilicet et Andromachen; probavit etiam quam recepimus codd. lectionem prae vulgata editionum: *et Andr. Hectoris, quam et ipse matrimonio suo in divis. Tr.* cett. quae multis difficultatibus premitur. Lectionem *quam* recipiendam suaserunt Bongarsius, Graevius, Vorstius, vehementer quidem ob praecedentia vocabula *e matr. suo* languidam. Verba *quos — acceperat* parentheseos signis includi oportuit, dicta pro vulgari: *acceperat autem eos* cett.

§ 7. *Orestae*] Ita codd. omnes Bongars. et Goth.; conf. Schneideri *gramm. lat.* II, 1, pag. 39 sq. Vulgo cum 10 Gronov., Crac., Prag.: *Orestis.* Occidit Pyrrhum, quod desponsatae sibi Hermiones nuptias occupaverat.

§ 8. *Piales*] Sic vel *Pialas* 6 codd. Gronov., Crac., Goth.; neque apparet, cur *Pialus* vel *Pielus* cum Aldino editore e Pausania reponant. Bongarsiani *Pylades* habere videntur ut Leid. 3 (Prag.: *Pyrades*); edit.: *Pielis.* Litera *a* in omnibus est, etiam in iis, qui aberrant. Pausan. I, 11, § 2: *Πίελος δὲ αὐτοῦ κατέμεινεν ἐν Ἠπείρῳ* (dum Pergamus frater et Cestrinus Heleni solum verterent) *καὶ ἐς πρόγονον τοῦτον ἀνέβαινε Πύῤῥος τε ὁ Αἰακίδου καὶ οἱ πατέρες, ἀλλ' οὐκ ἐς Μολοσσόν.* Nostra si Theopompea genuina sunt, hoc auctore ne regnavit quidem Molossus.

§ 9. *Tharrybam*] Ita haud cunctanter reposui e vestigiis codd. Bong., qui *thribam*, *hiribam*, *tarrabam*, *Thyribam;* Crac.: *Tyrbam;*

10 descendit: cui, quoniam pupillus et unicus ex gente nobili superesset, intentiore omnium cura servandi eius educandique publice tuto-
11 res constituuntur. Athenas quoque erudiendi gratia missus. Quanto
12 doctior maioribus suis, tanto et gratior populo fuit. Primus itaque leges et senatum annuosque magistratus et reipublicae formam com-
13 posuit: et ut a Pyrrho sedes, sic vita cultior populo a Tharryba
14 statuta. Huius filius Neoptolemus fuit; ex quo nata est Olympias, mater Alexandri Magni, et Alexander, qui post eum regnum Epiri
15 tenuit et in Italia bello gesto in Bruttiis interiit. Post eius mortem
16 frater Aeacides regno successit, qui adsiduis adversus Macedonas bellorum certaminibus populum fatigando offensam civium contraxit;
17 ac propterea in exsilium actus Pyrrhum filium unum admodum par-
18 vulum in regno reliquit. Qui et ipse, cum a populo propter odium patris ad necem quaereretur, furtim subtractus in Illyrios defertur;
19 traditusque est Beroae, *Glauciae** regis uxori, nutriendus, quae et

* *Glauci*

Goth.: *tubam.* Vulgo ex edd. vett. et coniectura Bong.: *ad Arrybam.* Sed Plutarchus iam advertente Bongarsio narrat (Pyrrh. 1): *Μετὰ τοὺς πρώτους, τῶν διὰ μέσου βασιλέων ἐκβαρβαρωθέντων καὶ γενομένων τῇ τε δυνάμει καὶ τοῖς βίοις ἀμαυροτέρων, Θ α ῤ ῥ ύ τ α ν πρῶτον ἱστοροῦσιν Ἑλληνικοῖς ἔθεσι καὶ γράμμασι καὶ νόμοις φιλανθρώποις διακοσμήσαντα τὰς πόλεις ὀνομαστὸν γενέσθαι.* Eundem Pausanias *Θ α ρ ύ π α ν* vocat; rectius tamen, ni fallor, solita nominum huius familiae terminatione Iustinus: *Tharybam* vel *Tharrybam;* in ea enim littera nihil plane variant codd. Cf. ad § 13.

§ 10. *intentiore*] Mss. omnes Bong., Goth.: *intentione.*

§ 12. *itaque leges*] Vulgo: *it. et leges,* ex 2 recc. Gronov. et vett. edd.; sic etiam Goth.

§ 13. *a Tharryba*] Goth.: *ad Thirbas stat.* Crac.: *ab Tyrba.* Ex reliquis nihil enotatur; nisi quod Bongars. recensitis lectionibus in § 10 addit: *Ita et paulo post.* Editiones: *ab Arryba.*

§ 14. *Huius filius Neoptolemus f.*] imo nepos; nam filius Tharrybae *Alcetas* fuit, ex quo nati sunt *Arrybas* et *Neoptolemus* fratres; v. Bongars. — 5 Gronov., Goth., Crac.: *mater magni Alex.*

§ 16. *frater Aeacides*] i. e. frater patruelis, Arrybae filius; vid. exempla huius usus in voce *frater* ap. Drakenb. ad Liv. XXXV, 10, § 9. — 1 Bong., Goth.: *Aeacidas;* al. Bong.: *Aeacida.*

§ 17. *filium unum*] Sic mss. aliquot Bong., Thuan.; in edit. Bongarsius: *vivum*, quod eodem redire videtur; recte eam lectionem defendit C. Benecke, cuius editionem, cum in hoc capite versarer, ad me misit humanissimus eiusdem redemtor (Lips., apud C. H. F. Hartmann. 1830). Gronovius e Leid. 5 edidit: *unicum.* Bong.: „Plutarch.: *νήπιον ὄντα.* Lego: *bimum admodum*, ut *parvulum* ex glossa sit.“ (*Bimum* praeter edd. vett. Goth., Crac., Prag.) Faber non male: *bimum admodum puerulum.*

§ 19. *Beroae*] 1 Bong: *Boroae.*

Glauciae] Codd. omnes: *Glauci;* nam quod Modius annotavit: „alii libri *Glauciae*“, ad edd. refero; de mss. non tam incerto loquitur. Graeci: *Γλαυκίας*, v. Bernecc.

ipsa genus Aeacidarum erat. Ibi eum seu misericordia fortunae eius 20
seu infantilibus blandimentis inductus rex adversum Cassandrum,
Macedoniae regem, qui eum sub belli comminatione deposcebat, diu
protexit, addito in auxilium etiam adoptionis officio. Quibus rebus 21
moti Epirotae odio in misericordiam verso annorum undecim eum in
regnum revocaverunt, datis tutoribus, qui regnum usque adultam
eius aetatem tuerentur. Adolescens deinde multa bella gessit; tan- 22
tusque rerum successu haberi coeptus est, ut Tarentinos solus ad-
versus Romanos tueri posse videretur.

---

genus Aeacid.] Sic ediderunt e mss. aliquot Bong., Med., 4 Leidd.; accedunt Goth., Crac., Prag. Ante legebatur: *generis A.*, etiam apud Bong., quod nondum damno. Cautione in his opus est maxima, ne calidius agamus; nam medii quoque aevi scriptores vocula *genus* ita utuntur, ut suam dicendi rationem intulisse videri possint.

§ 20. *sub belli comminatione*] et pollicitus 200 talenta.

§ 21. *undecim*] *δυοκαίδεκα.* Plutarch.

usque adult.] Sic Modii codd., 5 Gronov., Goth., Crac., Prag.; ita solet Iustinus; v. Freinshem. in ind.; neque tamen damnanda ideo altera lectio, quam Bong. habet sine v. l.: *usque ad adult.*

§ 22. *solus*] Deerat in codd. Modii.

LIBER XVIII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XVIII.*)

Octavo decimo volumine continentur res a Pyrrho Epirota in Italia gestae contra Romanos: postque id bellum transitus eius in Siciliam adversus Carthaginienses. Inde origines Phoenicum et Sidonis [1]) et Uticae [2]), Carthaginiensiumque [3]) res gestae in excessu dictae.

---

[1]) Cod. Maxim., Periz., Crac.: *Sidoniorum.* Has origines breviter tetigit Iustinus, diutius commoratus in antiquis rebus *Tyri*, quae proinde hic omitti non potuisse videntur. Quare Grauertus inseruit: *et Tyri.*

[2]) Sic emendarunt Bongarsius, Longuerr.; codd. ad unum omnes: *Veliae*, quae hic prorsus aliena est. Uticae in Africae ora conditae meminit Iustinus c. 4, § 2. Bongarsius edidit: *et Tyri.*

[3]) Sic Bong. et Crac.; vett.: *Carthaginumque.* Periz.: *Carthaginiensesque res.*

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Pyrrho Tarentinis adversus Romanos suppetias ferenti Valerius Laevinus occurrit; unde proelia et strages.*
2. *Carthaginiensium auxilium Romani remittunt. Pax cum Pyrrho componitur. Romanorum continentia. Pyrrhus Siciliam occupat.*
3. *De Carthaginis origine et veteribus incolis digressio, in qua etiam de Sidonis et Tyri conditoribus.*
4. *Incolae Tyri: inter quos Elissa, quae a Pygmalione fratre recedit, ut rebus suis consuleret.*
5. *Elissa agnomine Dido Cyprum appellit: deinde in sinum Africae defertur et Carthaginem condit.*
6. *Elissa propter Iarbae votum sibi vim infert. Carthaginiensium crudelis superstitio.*
7. *Clades Carthaginiensium in Sardinia. Superstites in exsilium pulsi patriam armis reciperare nituntur: unde Malchi patris in Cartalonem filium severitas et paullo post cruentus interitus.*

---

1 I. Igitur Pyrrhus, rex Epiri, cum iterata Tarentinorum legatione additis Samnitium et Lucanorum precibus, et ipsis auxilio adversus Romanos indigentibus, fatigaretur, non tam supplicum precibus quam spe invadendi Italiae imperii inductus venturum se cum
2 exercitu pollicetur. In quam rem inclinatum semel animum praecipitem agere coeperant exempla maiorum: ne aut inferior patruo suo Alexandro videretur, quo defensore iidem Tarentini adversus Bruttios usi fuerant; aut minores animos Magno Alexandro habuisse, qui
3 tam longa a domo militia Orientem subegit. Igitur relicto custode regni filio Ptolemaeo annos quindecim nato exercitum in portu Tarentino exponit, duobus parvulis filiis, Alexandro et Heleno, in
4 solatia longinquae secum expeditionis adductis. Cuius audito adventu consul Romanus Valerius Laevinus festinans, ut prius cum eo congrederetur, quam auxilia sociorum convenirent, exercitum

---

C. I. § 1. *auxilio adv. R. indigentibus*] Sic Bong. e suis et plurimi alii (Periz.: *auxilia*); sed hic codicum consensus vanis, quantum video, sive nullis potius rationibus reiectus est. Ex uno Bong. et 5 aliis interpolatis libris Gronovius avi et Schefferi suasu edidit: *auxilia* [sic praeter Periz. Aldina tantum; quos dixi codd. 6: *auxilium*] *adv. R. pollicentibus.*
§ 3. *filio Ptolem.*] v. ad XVII, 2, § 15.
annos quindecim n.] Mss. Bong. et coll. C. C.: *a. XII n.;* Leid. 1: *a. XI n.;* Leid. 2: *a. XX n.*
exponit] Mss. Bong.: *expendit* i. e. expedit. Iidem paullo post vocem *filiis* omittunt.

in aciem educit. Nec rex, tametsi numero militum inferior esset, 5
certamini moram fecit. Sed Romanos vincentes iam invisitata ante 6
elephantorum forma stupere primo, mox cedere proelio coëgit; victoresque iam nova Macedonum monstra repente vicerunt. Nec hostibus incruenta victoria fuit. Nam et ipse Pyrrhus graviter vulne- 7
ratus est et magna pars militum eius caesa; maioremque gloriam eius victoriae quam laetitiam habuit. Huius pugnae eventum multae 8
civitates secutae Pyrrho se tradunt. Inter ceteras etiam Locri pro- 9
dito praesidio Romano ad Pyrrhum deficiunt. Ex ea praeda Pyr- 10
rhus ducentos captivos militum Romam gratis remisit, ut cognita virtute eius Romani cognoscerent etiam liberalitatem. Interiectis 11
deinde diebus, cum sociorum exercitus supervenisset, iterato proelium cum Romanis facit; in quo par fortuna priori bello fuit.

II. Interea Mago, dux Carthaginiensium, in auxilium Roma- 1
norum cum centum viginti navibus missus senatum adiit, *aegre tulisse Carthaginienses* adfirmans, *quod bellum in Italia a peregrino rege paterentur. Ob quam causam missum se, ut, quoniam externo hoste* 2
oppugnarentur, externis auxiliis iuvarentur. Gratiae a senatu Car- 3
thaginiensibus actae auxiliaque remissa. Sed Mago Punico ingenio 4
post paucos dies tacitus, quasi pacificator Carthaginiensium, Pyrrhum adiit speculaturus consilia eius de Sicilia, quo eum arcessiri fama erat. Nam Romanis eadem causa mittendi auxilii Carthagi- 5

---

§ 4. *in aciem educit*] inter Pandosiam et Heracleam iuxta Sirin amnem in Lucania.

§ 6. *invisitata ante*] Ita coniecit I. Fr. Gronovius; codd.: *inusitata a.; inusitata* autem dicuntur quae sunt praeter vulgarem vitae usum et consuetudinem; e. c. *inusitatae formae navis* vel ut Caesar. B. G. IV, 25: *naves longas, quarum species erat barbaris inusitatior;* Accius Eurysace: *speciem humanam inusitatam, egregiam* cett. Plin. H. N. VIII, 40 s. 61: *inusitatae magnitudinis canis;* cf. infr. XXV, 1, § 6. Epit. Liv. XIII de hac ipsa re: *Valerius Laevinus consul parum prospere adversus Pyrrhum pugnavit elephantorum maxime inusitata facie territis militibus:* cuiusmodi locis nixus esse videtur Wopkensius, dum retinendam codd. lectionem censeret, quae vocula *ante* vitiosa planissime arguitur; v. Graev. et alia exempla eodem modo correcta apud Gronovium p. 885 sq.

Macedonum monstra] paullo ante a Macedonibus in Europam invecta; v. A. G. Schlegelii historiam ad XVII, 2, § 13 laudatam.

§ 11. *diebus*] imo integro ferme anno.

proelium] ad Asculum urbem Appuliae.

C. II. § 1. *Mago*] 1 Bong. hic et § 4: *Hanno.* Paullo post mss. eiusd., coll. C. C. et Goth. vocab. *rege* omittunt.

§ 2. *externo hoste*] recte; v. Wopkens.

§ 4. *arcessiri*] Sic Bong., Gronovii omnes praeter 1, Goth., Crac., edd. vett.; maxime autem defenditur imitatione Saxonis Gramm. indicata a Gron. p. 887. V. Doederlinum *de Synonymis Lat. l.* Vol. III. p. 282. Vulgo: *arcessi*, e mss. quibusdam Bong. et Med. 2.

§ 5. *mittendi auxilii*] Sic Bongars. e suis omnibus praeter unum;

niensibus fuerat, ut Romano bello, ne in Siciliam transire posset,
6 Pyrrhus in Italia detineretur. Dum haec aguntur, legatus a senatu
Romano Fabricius Luscinus missus pacem cum Pyrrho composuit.
7 Ad quam confirmandam Cyneas Romam cum ingentibus a Pyrrho
donis missus neminem, cuius domus muneribus pateret, invenit.
8 Huic continentiae Romanorum simile exemplum iisdem ferme tem-
9 poribus fuit. Nam missi a senatu Aegyptum legati cum ingentia
sibi a Ptolemaeo rege missa munera sprevissent, interiectis diebus
ad coenam invitatis aureae coronae missae sunt: quas illi honoris
10 causa receptas postera die statuis regis imposuerunt. Igitur Cyneas,
cum *turbatam cum Romanis pacem ab Appio Claudio* renuntiasset,
interrogatus a Pyrrho, *qualis Roma esset*, respondit *regum urbem*
11 *sibi visam.* Post haec legati Siculorum superveniunt tradentes Pyr-
rho totius insulae imperium, quae adsiduis Carthaginiensium bellis
12 vexabatur. Itaque relicto Locris Alexandro filio firmatisque sociorum
civitatibus valido praesidio in Siciliam exercitum traiecit.

1 III. Et quoniam ad Carthaginiensium mentionem ventum est,
de origine eorum pauca dicenda sunt, repetitis Tyriorum paullo al-
2 tius rebus, quorum casus etiam dolendi fuerunt. Tyriorum gens
3 condita a Phoenicibus fuit; qui terrae motu vexati relicto patriae
solo Assyrium stagnum primo, mox mari proximum litus incoluerunt,

---

Prag.; sed 9 Gronov., Goth., Crac.: *mitt. auxilia*, quod recte repudiatum esse censeo.

§ 7. *Cyneas*] Sic Bong. sine v. l.; vide Fabrum et praesertim Gronovium p. 887; nam aliis est *Cineas.*

§ 9. *Aegyptum*] Bong., Prag. et edd.: *in Aegyptum;* sed 10 Gronov., 4 Wopk., Goth., Crac. praepositionem omittunt; v. Wopkens. ad VII, 1, 7 et nos alibi.

a Ptolemaeo] Philadelpho, qui Romanis de discessu Pyrrhi ex Italia gratulatus populi Romani socius et amicus haberi voluit: quod cum laetum et honorificum Patribus videretur, legatos ad eum mitti placuit.

aureae sqq.] Mss. Bong., Crac.: *aureas coronas misit.*

honoris c.] Mss. Bong., 2 Gronov. (Dorv. 2): *hominis causa;* unde Freinsh.: *ominis c.*, ut Med. 2 et Franecq., quod probavit Graevius, q. v. Sed vulgata genuina est et certa. „Munera regis in ipsius regis honorem verterunt: quae non adulatio, sed Romana moderatio dici debuit.“ *Bernecc.*, exemplis hoc illustrans.

§ 10. *regum urbem*] Alii paullo aliter; v. locc. ap. Freinsh. suppl. Liv. XIII, 34.

§ 11. *quae ads.*] Mss. Bong.: *quia a.*

C. III. § 3. *patriae solo*] i. e. insulis Persici sinus *Tylo* vel *Tyro* et *Arado;* unde eos *Φοινίκων* nomen accepisse quidam auctores sunt; nam *Ἐρυθρὰ θάλασσα* vocabatur Persicus sinus.

Assyrium stagnum] Mss. Bong., Leid. 1: *ad Syriam st.* Intelligunt lacum *Γεννεσαρῖτιν* vel Tiberiadis. Sic etiam *Michaëlis* in *Spicileg. Geogr. sacr.* P. I. p. 168. — Magl.: *Syriorum st.;* Crac.: *Syrium st.*

condita ibi urbe, quam a piscium ubertate *Sidona* appellaverunt: 4
nam piscem Phoenices *sidon* vocant. Post multos deinde annos a 5
rege Ascaloniorum expugnati, navibus appulsi Tyron urbem ante
annum Troianae cladis condiderunt. Ibi Persarum bellis diu varie- 6
que fatigati victores quidem fuere; sed attritis viribus a servis suis
multitudine abundantibus indigna supplicia perpessi sunt: qui con- 7
spiratione facta omnem liberum populum cum dominis interficiunt;
atque ita potiti urbe lares dominorum occupant, rempublicam invadunt, coniuges ducunt, et, quod ipsi non erant, liberos procreant.
Unus ex tot millibus servorum fuit, qui miti ingenio senis domini 8
parvulique filii eius fortuna moveretur; dominosque non truci feritate, sed piae misericordiae humanitate respiceret. Itaque cum vel- 9
ut occisos alienasset, servisque de statu reipublicae deliberantibus
placuisset regem ex suo corpore creari eumque potissimum quasi acceptissimum diis, qui solem orientem primus vidisset: rem ad Stratonem (hoc enim ei nomen erat) dominum occulte latentem detulit.
Ab eo formatus, cum medio noctis omnes in unum campum proces- 10
sissent, ceteris in orientem spectantibus solus occidentis regionem
intuebatur. Id primum aliis videri furor, in occidente solis ortum 11
quaerere. Ubi vero dies adventare coepit editissimisque culminibus 12
urbis oriens splendere, exspectantibus aliis, ut ipsum solem adspi-

---

§ 4. *Sidona*] 1 Bong.: *Sidoniam*, ut *Babylonia.* V. Tzschuck. ad Pomp. Mel. T. V. p. 372 sq.

§ 5. *a rege Ascaloniorum*] Res aliunde non cognita.

ante annum Troi. cl.] anno fere 1250 a. C., auctore Iosepho; conf. Scalig. ad Euseb. p. 46. Sed alii aliter.

§ 6. *victores q. f.*] Victi certe non sunt, sed socios se Persis in expeditiones exteras adiunxere; an vero Tyrum etiam tetigerunt Stratonis Sidonii et Tennis defectiones? — Crac.: *vict. tandem f.*

a servis cett.] Hoc factum est inter reges *Hiromum*, cuius decimo quarto regni anno Cyrus rex Persarum exstitit, et *Azemilcum*, quem Alexander M. ibi regem invenit. Ex eo temporis intervallo solum *Mapenem* regem novimus, qui Xerxis signa in Graeciam secutus est. Assentientem habeo *Ch. D. Beckium* in *Anleitung zur Welt- und Völkergesch.* V. I. p. 591.

§ 7. *urbe*] Goth.: *urbem.*

§ 8. *tot mill.*] Mss. Bong. *tot* omittunt.

non tr. feritate, sed cett.] Sic Bongarsiani ad unum omnes et Gronoviani praeter 2. Notum synezeugmenon, de quo dixit Beneck. ad XIII, 1, § 4. Vulgo: *tr. fer. trucidaret, sed* cett., ex interpolatissimo Magl.; similiter Prag.; Periz., 3 Dorv., Goth., Crac.: *trucidavit, sed — respexit*, ut edd. vett. — Etiam haec solus Iustinus servavit.

§ 9. *potissimum quasi acceptissimum*] Hic Bongarsius e mss. var. lect. producit *placitissimum*, ex uno *pacatissimum;* prius pro voc. *acceptiss.* malit I. Fr. Gronovius ad Stat. Theb. XII, 302 assensumque tulit Graevii; sed voculae *potissimum* substitutum esse in mss. apparet et ex signis Bongarsii et e collatis Thuan., Leid. 4 ap. Gronov., Franecq. et Dorv. 2 ap. Wopkens.

cerent, hic primus omnibus fulgorem solis in summo fastigio civitatis
13 ostendit. Non servilis ingenii ratio visa; requirentibusque auctorem
14 de domino confitetur. Tunc intellectum est, quantum ingenua servilibus ingenia praestarent, malitiaque servos, non sapientia vincere.
15 Igitur venia seni filioque data est: et velut numine quodam reserva-
16 tos arbitrantes regem Stratonem creaverunt. Post cuius mortem
17 regnum ad filium ac deinde ad nepotes transiit. Celebre hoc servo-
18 rum facinus metuendumque exemplum toto orbe terrarum fuit. Itaque Alexander Magnus, cum interiecto tempore in Oriente bellum gereret, velut ultor publicae securitatis, expugnata eorum urbe omnes, qui proelio superfuerant, ob memoriam veteris caedis cruci-
19 bus adfixit: genus tantum Stratonis inviolatum servavit regnumque stirpi eius restituit, ingenuis et innoxiis incolis insulae attributis, ut exstirpato servili germine genus urbis ex integro conderetur.

1 IV. Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auspiciis conditi parcimo-
2 nia et labore quaerendi cito convaluere. Ante cladem dominorum cum et opibus et multitudine abundarent, missa in Africam iuventute
3 Uticam condidere: cum interim rex [*Mutgo*] * Tyro decedit, filio Pygmalione et Elissa filia, insignis formae virgine, heredibus insti-
4 tutis. Sed populus Pygmalioni admodum puero regnum tradidit.
5 Elissa quoque Acerbae avunculo suo, sacerdoti Herculis, qui honos

* [*multo*]

---

§ 13. *requirentibusque*] Mss. Bong., Prag., Crac.: *requirentibus a.*

§ 18. *crucibus adfixit*] Curt. IV, 4, § 15: *Quindecim millia subducta saevitiae sunt; — intra munimenta urbis sex millia armatorum trucidata sunt. Triste deinde spectaculum victoribus ira praebuit regis: duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies* (militum, regis iussu) *crucibus adfixi per ingens littoris spatium pependerunt.* Sed alii alia huius crudelitatis defensione utuntur: v. Arrian. *exp.* II, 24, § 6.

§ 19. *et innox.*] Mss. Bong.: *innoxiisque.*

insulae] parti Tyriorum urbis, quam Alexander aggere ducto cum continenti iunxit.

C. IV. § 1. *conditi*] instaurati. — Bong. ubique: *parcimonia.*

§ 2. *Uticam condidere*] annis 287 ante Carthaginem conditam, ut in Phoenicum historiis scriptum erat (Aristot. mirab. ausc. c. 146). Contrarium his: *cum interim* Iustinine est an Trogi?

§ 3. *rex* (*Mutgo*) *Tyro*] Bongars. et codd. longe plurimi: *rex Tyro*, quod genuinum puto. Sed 1 Bong., 4 interpolati Gronov.: *rex multo T.;* unde sagaciter Vossius effecit: *r. Mutgo T.;* nam praecessit in imperio Pygmalionem *Μάτγηνος*, etiam *Metten*, *Metenus* (in Euseb. Aram. I, c. 17), *Methres* (ap. Servium ad Aeneid. I, 343, ubi codd. Reg., Voss. et Guelferbytani *Mettes*) dictus; quod sane idem nomen esse videtur ac *Μύτγονος*, qui saeculis aliquot post regnavit; alios autem Graecos *Μάτγην* et *Μύτγων* (secundum 3. decl.) dixisse nihil est quod dubites. Sed Menander Ephesius, unde haec sumta, Pygmalionem et Didonem sanguine cum Matgene cognatos non prodidit.

decedit] Mss. Bong.: *reced.;* v. supra IX, 2, § 2; alibi.

§ 5. *Acerbae*] quem alii plerique mitiore sono *Sichaeum* vocant;

secundus a rege erat, nubit. Huic magnae, sed dissimulatae opes 6
erant; aurumque metu regis non tectis, sed terrae crediderat: quam 7
rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur. Qua incensus 8
Pygmalion, oblitus iuris humani, avunculum suum eumdemque generum sine respectu pietatis occidit. Elissa diu fratrem propter 9
scelus aversata ad postremum dissimulato odio mitigatoque interim vultu fugam tacito molitur, adsumtis quibusdam principibus in societatem, quibus par odium in regem esse eamdemque fugiendi cupiditatem arbitrabatur. Tunc fratrem dolo adgreditur: fingit *se ad* 10
eum migrare velle, ne amplius ei mariti domus cupidae oblivionis gravem luctus imaginem renovaret, neve ultra amara admonitio oculis eius occurrat. Non invitus Pygmalion verba sororis audivit existimans 11
cum ea et aurum Acerbae ad se venturum. Sed Elissa ministros 12
migrationis a rege missos navibus cum omnibus opibus suis prima vespera imponit, provectaque in altum compellit eos onera arenae pro pecunia involucris involuta in mare deiicere. Tunc deflens ipsa 13
lugubrique voce Acerbam ciet: orat, *ut libens opes suas recipiat,*

Servius l. l. ad peregrinam formam proprius accedens *Sicharbam* vel *Sicarbam* (1 cod.: *Sacarbam*), quo eodem redire quod hic legitur *Acerbam* iam intellexit Salmasius ad Solin. p. 323, D. 1 et hodie plenius doceri possit. *Sicharbam* exhibet fragmentum vetus Trogi apud Bongars., qui de libris suis ita narrat: „In ora mss. aliquot adscriptum est: *Hiarbae legendum:* falso Mauritanorum principem cum Didonis marito confundentes. Alii [cum quibusdam Gronov., Prag.] *Acervas* habent, *v* pro *b*.“ Idem est Gothani: *Acernas.* „Med. 2 *Atherba:* quae scriptura proxime accedit ad coniecturam Avi lib. IV. Obss. c. 20: *Adherba.*“ *Gronov.*

§ 8. *generum*] sororis maritum; v. Gronov. p. 889 et interpp. ad Nep. Pausan. 1, § 2.

§ 9. *tacita*] Sic Bong. sine v. l., multi etiam Gronovii; edd. vett. et recc. codd.: *tacite;* Gronovius e 6 suis *tacita* edidit; frustra.

quibusdam] Mss. Bong.: *quibusque.*

§ 10. *migrare*] ex Palaetyro, ubi templum Herculis ac proinde defuncti mariti domicilium, in insulam; cf. § 12.

cupidae oblivionis] Mss. Bong.: *cupidae oblivionem;* unus: *cupida* (imo *cupita*) *oblivione.*

renovaret, neve] Sic Bong., Goth.; *renovaret* etiam 3 vel 4 Gron., Prag.; *neve* autem in plurimis est. Ex Iuntina sua *renovet* Graevius reposuit, quod auctoribus 8 codd. (accedit Crac.) Gronovius quoque expressit. *Nec* (vulgatum pro *neve*) paucissimi habent, in quibus Prag. Quanta vero levitate temporum discrimen sustulerint in verbis *ne* — *renovaret*, *neve* — *occurrat*, intelliges ex Kruegeri scriptione: *von der Folge der Zeiten in der orat. obl.* p. 53 sqq. § 24, ubi noster locus addendus est. — In seqq. multa solus Iustinus, sed ceterorum vestigia eodem ducunt.

§ 13. *ciet: orat*] recte; v. Wopkens.; sed quod coniecerunt: *ciens orat*, scribitur in Goth. et Prag., neque tamen in ulla ed. vet., quae fere: *exorat.* Oudendorp. ad Appulei. Metamorph. IV. p. 316 „e MSS.“, ut ait: *lugubri voce*, deleta part. *que:* quam lectionem necessario recipiendam fuisse censuit ac recepit C. Benecke; sed primum qui sint isti

quas reliquerat; habeatque inferias, quas habuerat causam mortis.
14 Tunc ipsos ministros adgreditur: *sibi quidem* ait *optatam olim mortem; sed illis acerbos cruciatus et dira supplicia imminere, qui Acerbae opes, quarum spe parricidium rex fecerit, avaritiae tyranni subtraxe-*
15 *rint.* Hoc metu omnibus iniecto comites fugae accepit. Iunguntur et senatorum in eam noctem praeparata agmina; atque ita sacris Herculis, cuius sacerdos Acerbas fuerat, repetitis exsilio sedes quaerunt.
1 2 V. Primus illis appulsus terrae Cyprus insula fuit: ubi sacerdos Iovis cum coniuge et liberis deorum monitu comitem se Elissae sociumque fortunae praebuit, pactus sibi posterisque perpetuum hono-
3 4 rem sacerdotii. Conditio pro manifesto omine accepta. Mos erat Cypriis virgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quaesituras in quaestum ad litus maris mittere, pro reliqua pudicitia li-
5 bamenta Veneri soluturas. Harum igitur ex numero octoginta admodum virgines raptas navibus imponi Elissa iubet, ut et iuventus
6 matrimonia et urbs subolem habere posset. Dum haec aguntur, Pygmalion cognita sororis fuga, cum impio bello fugientem persequi
7 pararet, aegre precibus matris et deorum minis victus quievit: cui cum inspirati vates canerent *non impune laturum, si incrementa urbis toto orbe auspicatissimae interpellasset*, hoc modo spatium respirandi
8 fugientibus datum. Itaque Elissa delata in Africae sinum incolas loci eius adventu peregrinorum mutuarumque rerum commercio gau-
9 dentes in amicitiam sollicitat: deinde emto loco, qui corio bovis tegi posset, in quo fessos longa navigatione socios, quoad proficiscere-

---

codd., plane ignoratur, nisi forte quorum nonnunquam mentionem facit in scriptis suis Oudendorpius; h. autem l. alium ullum consentientem non novi; deinde non viderunt variari tantum orationem et ornatum quaeri dicendo: *flens lugubrique voce Ac. ciet* pro fletibus lugubrique v.

causam mortis] Sic Bong. et codd. omnes; inepte Gronovius e Med. 2 edidit: *causas mort.*

C. V. § 2. *sacerdos Iovis*] i. e. summi eorum dei Baali vel Beli, cui templum sine dubio conditum erat in vetustissima illa colonia *Cittio*, primaria Phoenicum sede in Cypro. Schefferus secundum Servium malebat: *Iunonis*, quae Astarte foret: v. Hugii *Untersuchungen über den Mythos der ber. V.* p. 118. 125; Boetticher *Gesch. der Carthag.* p. 83.

deorum m.] Edd. vett. et 4 recc. codd.: *dei m.*

fortunae] Haec vox suspecta est; deest ap. Bongars., Crac., Leid. 1 ac sine dubio pluribus Gron. Pro voc. *praebuit* edd. vett. et recc. codd.: *offert*, quod probatum Graevio recepit Wetzel.

§ 4. *reliqua*] in matrimonio servanda. De re v. laudd. ap. Bernecc. et Vorst.

§ 6. *pararet*] Mss. Bong., Crac.: *parasset.*

§ 8. *sinum*] prope Uticam.

§ 9. *emto loco*] ab Iarba rege *τῶν Μαζικῶν*, de quibus cap. seq.

tegi posset] Prudentius ceteri, Virgilius *circumdare;* Livius *amplecti*, Appianus *περιλαβεῖν*, Themistius *ἰσομέτρητον βύρσῃ.* Ac diserte Ser-

tur, reficere posset, corium in tenuissimas partes secari iubet; at-
que ita maius loci spatium, quam petierat, occupat: unde postea ei
loco *Byrsae* nomen fuit. Confluentibus deinde vicinis locorum, qui 10
spe lucri multa hospitibus venalia inferebant, sedesque ibi statuenti- 11
bus ex frequentia hominum velut instar civitatis effectum est. Uti- 12
censium quoque legati dona ut consanguineis attulerunt; hortatique
sunt, *urbem ibi conderent, ubi sedes sortiti essent.* Sed et Afros de- 13
tinendi advenas amor cepit. Itaque consentientibus omnibus Car- 14
thago conditur statuto annuo vectigali pro solo urbis. In primis fun- 15
damentis caput bubulum inventum est: quod auspicium quidem fru-
ctuosae, sed laboriosae perpetuoque servae urbis fuit: propter quod
in alium locum urbs translata. Ibi quoque equi caput repertum, 16
bellicosum potentemque populum futurum significans, urbi auspica-
tam sedem dedit. Tunc ad opinionem novae urbis concurrentibus 17
gentibus brevi et populus et civitas magna facta.

VI. Cum successu rerum florentes Carthaginis opes essent, 1
rex Maxitanorum Hiarbas decem Poenorum principibus ad se arces-
sitis Elissae nuptias sub belli denuntiatione petit. Quod legati re- 2
ginae referre metuentes Punico cum ea ingenio egerunt, nuntiantes
regem aliquem poscere, qui cultiores victus eum Afrosque perdoceat:

---

vius: „Quam rem leviter tangit Virgilius dicendo non *tegere*, sed *circumdare*.“ In Goth. eadem manus ad marginem scripsit: *cingi*, quod coniecerat Schefferus et exhibet Prag.

Byrsae] i. e. tergori. Sic vocabatur arx Carthaginis, in media urbe editissimo loco condita, sicut Strabo narrat; secundum alios ad maris littus in isthmo. Descriptionem arcis v. ap. Boetticherum, *Gesch. d. Carth.* p. 24 sq.

§ 15. *bubulum*] Mss. Bong., Crac.: *bubuli*, ob seqq. litteras.

quidem fructuosae, sed lab.] Vulgo: *q. fr. terrae, sed lab.;* sed vocula *terrae* abest ab omnibus Gronov. praeter Leid. 4, nescio quot Bong., Crac., Goth., Prag. Facile apparet, cur inseruerint, neque omissum aut defensione eget aut explicatione. Deinde iidem codd. praeter Goth.: *fructuosae quidem*, quod quia Bongarsius non recepit, in optimis non esse puto; ac sane speciem habet manus correctricis.

§ 16. *Ibi quoque*] Prag.: *Ibique*. Deinde voc. *populum* omittunt mss. Bong., fortasse quia sola littera *P* expressum fuerat.

C. VI. § 1. *Maxitanorum*] Sic Bong., sed quidam eius *Muxitanorum* (Goth.: *Musit.*); alii *Maurorum*, ut Leid. 3, coll. C. C., Magl.; vett. edd. et Crac., Prag.: *Mauritanorum.* Maxitani, quod 8 Gronov. exprimere videntur, Graecis *Μάζυες* vel *Μαζικοὶ* dicti, *νόμαδες* erant et illius regionis aborigines ac primi incolae; ipsi se vocabant *Mazig*, hodie *Amzig*. Vide haec doctissime explicantem *Castiglionum* in *Mémoire géographique et numismatique sur la partie orientale de la Barbarie appellée Afrikia par les Arabes* cett. Milan. 1826, cuius excerpta habes in Iahnii *Jahrbücher der Philol.* Vol. VIII. fasc. 3, ubi v. p. 279.

Hiarbas] Sic Bong. et codd. praeter Prag. Vulgo Bernecceri suasu: *Iarbas*, ut Graeci.

Poenorum] Mss. Bong.: *Maxitanorum.*

3 *sed quem inveniri posse, qui ad barbaros et ferarum more viventes*
4 *transire a consanguineis velit?* Tunc a regina castigati, *si pro salute patriae asperiorem vitam recusarent, cui etiam ipsa vita, si res exigat, debeatur*, regis mandata aperuere dicentes, *quae praecipiat aliis,*
5 *ipsi facienda esse, si velit urbi consultum esse.* Hoc dolo capta diu Acerbae viri nomine cum multis lacrimis et lamentatione flebili invocato ad postremum *ituram se, quo suae urbis fata vocarent*, respon-
6 dit. In hoc trium mensium sumto spatio, pyra in ultima parte urbis exstructa, velut placatura viri manes inferiasque ante nuptias mis-
7 sura multas hostias caedit et sumto gladio pyram conscendit; atque ita ad populum respiciens *ituram se ad virum, sicut praeceperant,*
8 dixit vitamque gladio finivit. Quamdiu Carthago invicta fuit, pro
9 dea culta est. Condita est urbs haec septuaginta duobus annis ante
10 quam Roma: cuius virtus sicut bello clara fuit, ita domi status variis
11 discordiarum casibus agitatus est. Cum inter cetera mala etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione et scelere pro remedio usi
12 sunt: quippe homines ut victimas immolabant; et impuberes, quae aetas etiam hostium misericordiam provocat, aris admovebant, pacem deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dii rogari maxime solent.

1 VII. Itaque adversis tanto scelere numinibus, cum in Sicilia diu feliciter dimicassent, translato in Sardiniam bello, amissa ma-
2 iore exercitus parte gravi proelio victi sunt: propter quod ducem suum *Malchum**, cuius auspiciis et Siciliae partem domuerant et ad-

* *Maleum*

---

§ 4. *consultum esse*] Sic codd. omnes praeter 5 correctos Gronov. et Prag., uti sententia postulat. Vulgo: *consultum.* Wopkensius e coni.: *consultum. Elissa hoc d.* — Paullo ante Goth.: *docentes.*

§ 5. *suae urbis*] Sic Bong. sine v. l. et 9 codd. Gronov.; neve offendas in collocatione verborum, *suae* cum vi dictum pro cara, quae curae cordique sibi esset. Vulgo: *quo sua ei urb.*, ut edd. vett., 3 interpolati Gronov., Goth., Prag., Crac.

§ 6. *exstructa*] Mss. Bong., 5 Gronov.: *instructa.*

§ 9. *septuaginta duobus ann.*] a. U. c. i. e. 825 a. C.; sed alii aliter; v. Bongars. et Bernecc. h l. et Heynii Exc. I ad Virg. Aeneid. IV. *Roma*] Periz. et Bodl.: *Alba.*

§ 12. *homines ut vict.* cett.] V. locc. vett. praeter not. Bernecc. ap. Tiraquell. ad Alex. ab Alex. D. genial. VI, 26, laudd. Ruperto ad Sil. IV, 767; Boettich. *Gesch. v. Carth.* p. 81 sq.

C. VII. § 1. *adversis*] Sic Bongarsii omnes, Orosii vetustiores, et ceteri praeter Med. 2, Dorv. 1. 2, Goth., Prag, Crac. et edd. vett.: qui vulgatum *aversis* tuentur. Differentiam et usum demonstravit C. Benecke. Explica: Cum ob tantum scelus adversa ipsis numina essent; altera autem ita capi debet: cum tanto scelere aversa a Carthaginiensibus numina essent, non: aversis a tanto scelere n.

feliciter] Nonnulli: *infeliciter;* male; v. Bongars.

§ 2. *Maleum*] Sic omnes Bongarsii praeter unum exhibent, Gronov.

versus Afros magnas res gesserant, cum parte exercitus, quae superfuerat, exsulare iusserunt. Quam rem aegre ferentes milites 3 legatos Carthaginem mittunt, qui reditum primo veniamque infelicis militiae petant; tum denuntient, *quod precibus nequeant, armis se consecuturos.* Cum et preces et minae legatorum spretae essent, in- 4 teriectis diebus conscensis navibus armati ad urbem veniunt; ibi deos 5 hominesque testati: *non se expugnatum, sed reciperatum patriam venire, ostensurosque civibus suis non virtutem sibi priore bello, sed fortunam defuisse*, prohibitis commeatibus obsessaque urbe in summam 6 desperationem Carthaginienses adduxerunt. Interea Cartalo, Mal- 7 chi exsulis ducis filius, cum praeter castra patris a Tyro, quo decimas Herculis ferre ex praeda Siciliensi, quam pater eius ceperat, a Carthaginiensibus missus fuerat, reverteretur arcessitusque a patre esset, *prius publicae se religionis officia exsecuturum quam privatae pietatis* respondit. Quam rem etsi indigne ferret pater, non tamen 8 vim adferre religioni ausus est. Interiectis deinde diebus Cartalo 9 petito commeatu a populo cum reversus ad patrem esset ornatusque purpura et infulis sacerdotii omnium se oculis ingereret, tunc in secretum abducto pater ait: *Ausus ne es, nefandissimum caput, ista* 10 *purpura et auro ornatus in conspectum tot miserorum civium venire? et maesta ac lugentia castra circumfluentibus quietae felicitatis insignibus velut exsultabundus intrare? Nusquamne te aliis iactare potuisti? Nullus locus aptior quam sordes patris et exsilii infelicis ae-* 11

---

etiam, ut videntur, et Crac.; id ex *Malcum* i. e. *Malchum* corruptum esse veri similiter statuit Is. Vossius, quem ceteri sequuntur. Sic Vincentius Bellov., nisi excerpta mea fallunt. Orosii codd., quibus Fabricius usus est, Florentini, Leidenses et Freculph. in *Mazeum* consentiunt; sic et 1 Bong., Goth.: *Maceum;* Prag.: *Macheum*, ut edd. vett.; Havercampus quidem suis Orosii libris profert: *Himelcho* vel *Himilco;* sed per errorem, quem ostendit Abr. Gronov. ad XIX, 2, § 1. — Centum sexaginta annis post conditam Carthaginem Phoenices sive adeo Poenos Sardiniam primum attigisse auctor est Diodorus V, 16. Haec autem posterius multo facta esse apparet; quae cum ab aliis non narrentur, praeteriri non debent quae Orosius IV, c. 6 his ipsis subiicit: *Haec temporibus Cyri regis Persarum gesta sunt.*

§ 5. *testati*] (Sic Goth., Crac., Prag., vett. edd.; Gronovius de suis tacet.) Bong.: *testari: non — defuisse. Prohibitis* cett.; sed illud melius; in codd. tamen inveniri infinitivum, ostendit mutatio in *testantur*, quam habes in 1 Bong. et Bodl.

§ 7. *Cartalo*] Oros.: *Carthalo*, ut Graeci: *Καρθάλων.* Vincent.: *Kartalo.*

decimas Herculis] quae Herculi solvi debebant; v. Bernecc. e Diod. XX, 14; sic autem Bong. sine v. l., Franecq. apud Burmann. ad Anthol. Lat. Vol. II, p. 361, Vincent. Bellov.; sed vulgo: *Herculi*, post Fabrum, ut 9 Gronov. et unus Oxon.; *decimam* 4 recc. Gron. et Vincent.

publicae se] Mss. Bong., Goth., Crac., Vincent.: *se publ.*

§ 8. *etsi*] 6 Gronov.: *tametsi*, de quo v. Gronov. p. 893. — Mss. Bong., 2 Gronov., Vincent.: *vim inferre*, non apte.

12 *rumnae fuerunt? Quid, quod paullo ante vocatus, non dico patrem,*
13 *ducem certe civium tuorum superbe sprevisti? Quid porro tu in purpura*
14 *ista coronisque aliud quam victoriarum mearum titulos geris? Quoniam*
igitur tu in patre nihil nisi exsulis nomen agnoscis, ego quoque imperatorem me magis quam patrem iudicabo; statuamque in te exemplum,
15 *ne quis posthac infelicibus miseriis patris illudat.* Atque ita eum cum
ornatu suo in altissimam crucem in conspectu urbis suffigi iussit.
16 Post paucos deinde dies Carthaginem capit; evocatoque populo ad
concionem exsilii iniuriam queritur, belli necessitatem excusat; *con-*
*tentum*que *victoria sua punitis auctoribus miserorum civium iniuriosi*
17 *exsilii omnibus se veniam dare* dicit. Atque ita decem senatoribus
18 interfectis urbem legibus suis reddidit. Nec multo post ipse adfe-
ctati regni accusatus duplicis, et in filio et in patria, parricidii poe-
19 nas dedit. Huic Mago imperator successit, cuius industria et opes
Carthaginiensium et imperii fines et bellicae gloriae laudes creverunt.

---

§ 12. *tuorum*] Omittunt mss. Bong.

§ 14. *iudicabo*] Sic omnes ubique codd. praeter Med. 2 et Dorv. 2, e quibus auctore Wopkensio, qui hoc „malit", Gronov. recepit: *cogitabo.*

§ 16. *victoria sua*] Goth., cod. Gryph. ap. Heins. ad Vellei. Pat. II, 88, Dorv. 3: *victoriarum suarum*, ut edd. vett. — In seqq. iunge: *punitis auctoribus iniuriosi exilii miserorum civium se omnibus* (aliis) *veniam dare* dixit; et mitte coniecturas, quarum hic locus feracissimus fuit.

§ 19. *gloriae laudes*] 1 Bong., 4 Gronov.: *gloriae primo l.*

LIBER XIX.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XIX.*)

Undevicesimo [1]) volumine continentur res Carthaginiensium in Africam [2]) per Asdrubalem, Amilcarem et Annonem [3]) ge-

---

[1]) Nonnulli: *Nono decimo.*

[2]) Hanc codd. lectionem cum Berneccero ad Iust. III, 1, § 1 defendit etiam Grauertus; i. e. *adversus Afros*, ut Iust. c. 1, § 3. Modius, Gronov., al.: *in Africa,* ut paullo post *in Sicilia*, ubi itidem codd.: *in Siciliam.*

[3]) Sic ms. P. Pithoei adscriptum habebat, apud Bongars., Colbertt., Maxim., Thuan., Crac. In vett. ap. Bong. et Modium monstra erant: *per rubellum annorum* et similia; unde in ed. Bong.: *per numerum multorum annorum.*

stae: et in Siciliam, cum Selinuntem et Camerinam et Gelam[4]) ceperunt: quo bello Dionysius Syracusanus Siciliae regnum occupavit. Bellum, quod cum eo Poeni per Imilconem[5]) gesserunt, quoad obsidione[6]) Syracusarum exercitum et classem amisit.

---

[4]) Haec ita emendavit Bong., qui in codd. invenerat: *cum Selinum, Temetegantum et Gam. et Gel.* c. Periz., Crac.: *Selinuntem et Tagantum*, omittentes *et Gelam*, ut Romani ap. Longuerr.; sed 2 Colbertt. alter *Gelam*, alter *Geram*. Haec Iustinus omisit et bellum Dionysii cum Siculis.

[5]) Sic Maximian., nisi quod *Him.*, Crac. Bong. in suis invenerat: *Phoeni per Homilc.*, recte emendans.

[6]) Sic totidem litteris Leid. 2, coll. C. C. Bong. libri: *quod obsid.*; Modiani: *quad-sidione*, unde ipse effecit: *quoad obs.* i. e. donec, ex usu Iustini. Ed. Bong.: *quo obs.*; Leid. 3: *qua obs.* I. Fr. Gronov. coniecit: *qui obs.*, ut Crac. habet. Thuan.: *quod insidiis Syr.*

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Magoni, Carthaginiensium imperatori, succedunt filii Hasdrubal et Hamilcar. Hasdrubal in Sardinia perit. Inde Siculum bellum. Persarum ad Carthagienses legatio.*
2. *Horum filii; et Carthaginiensis clades exercitus in Sicilia.*
3. *Imilco, dux huius exercitus, Carthaginem reversus spe omni abiecta mortem sibi infert.*

I. Mago, Carthaginiensium imperator, cum primus omnium 1
ordinata disciplina militari imperium Poenorum condidisset viresque civitatis non minus bellandi arte quam virtute firmasset, diem fungitur, relictis duobus filiis Hasdrubale et Hamilcare: qui per vesti- 2
gia paternae virtutis decurrentes sicuti generi, ita et magnitudini patris successerunt. His ducibus Sardiniae bellum illatum: adver- 3
sus Afros quoque vectigal pro solo urbis multorum annorum repetentes dimicatum. Sed Afrorum sicuti causa iustior, ita et fortuna 4
superior fuit; bellumque cum his solutione pecuniae, non armis fini- 5
tum. In Sardinia quoque Hasdrubal graviter vulneratus imperio 6
Hamilcari fratri tradito interiit: cuius mortem cum luctus civitatis, 7
tum et dictaturae undecim et triumphi quatuor insignem fecere.

C. I. § 1. *Mago*] 1 Bong.: *Hanno.* — Proxime sequentium apud alios vix vestigia extant.

§ 7. *dictaturae*] Iam Cato in Originib. apud Gell. X, 24 (quod

8 Hostibus quoque crevere animi, veluti cum duce vires Poenorum
9 cecidissent. Itaque Siciliae populis propter adsiduas Carthaginiensium iniurias ad Leonidam, fratrem regis Spartanorum, concurrentibus grave bellum natum; in quo et diu et varia victoria proeliatum
10 fuit. Dum haec aguntur, legati a Dario, Persarum rege, Carthaginem venerunt adferentes edictum, quo Poeni humanas hostias im-
11 molare et canina vesci prohibebantur; mortuorumque corpora cre-
12 mare potius quam terra obruere a rege iubebantur; petentes simul
13 auxilia adversus Graeciam, cui illaturus bellum Darius erat. Sed Carthaginienses auxilia negantes propter adsidua finitimorum bella ceteris, ne per omnia contumaces viderentur, cupide paruere.

---

fragm. Albertus Lion in *Catonianis*, ut alia multa, omisit) *Suffetem* Carthaginiensium *dictatorem* dixit; inde Livius, alii; v. Boettich. *Gesch. von Carth.* p. 44 sqq.

triumphi] Servius Danielis ad Aeneid. IV, 37: *Quidam dicunt Afros nunquam triumphasse. Plinius autem secundo historiae naturalis* (?) *et Pompeius Trogus Afros dicunt pompam triumphi primos invenisse, quam sibi Romani postea vindicaverunt.* — *quatuor*] Leid. 2: *tr. IX.*

§ 8. Anno fere 310 Agrigentini, Geloi et Messenii Sicilienses, ut ab Agathoclis violentia se vindicarent, legatos Spartam mittunt et ab *Acrotato*, Cleomenis regis filio, auxilia adipiscuntur; tandem vero eiecto ex Sicilia, conciliante foedus Hamilcare bellum cum Agathocle componunt in has conditiones: ut Heraclea, Selinus et Himera in Carthaginiensium ditione permanerent. (Diodor. XIX, 70 sq.) Quae nostro loco narratur, diversa plane res est, aliunde ignota; nam tempora hic ab epitomatore turbari nulla esse potest suspicio.

concurrentibus] Graevius voluit: *decurrentibus;* sed vulg. recte explicuit Wopkens.

§ 10. Eandem rem Theophrastus ἐν τῷ περὶ Τυρσηνῶν de Gelone rege, ad Himeram Carthaginiensium victore, narraverat; ac vere eos homines immolare desiisse: quod *St. Croix* in *examen critique* pag. 280 sive potius *Fréret* ibi laudatus ad eos tantum Carthaginienses refert, qui in Sicilia habitabant; nam Carthagine is mos usque ad excidium urbis retentus est; v. Curt. IV, 3, § 23 c. not. Sam. Pitisci, et *S. C. examen* p. 280 sqq. De nostro l. ille p. 279 iudicat: *ce qui est dénué de preuves et même de vraisemblance;* neque verisimilius esse *de Iphicrate*, quem idem praestitisse Porphyrius retulit.

Dario] Hystaspis f.

§ 11. *mortuorumque* cett.] Tale edictum a Persis proficisci potuisse, qui pollui ignem cadaveribus sibi persuadebant, omnibus incredibile visum; quare coniecturis loco succurrendum esse statuerunt. Codd. nihil hic mutant, nisi quod solita mutatione pro *mortuorumque* mss. Bong., 4 Gronov.: *mortuorum quoque c.* Errorem epitomatoris ipsius interpretes corrigere videntur: I. Fr. quidem Gronovius et Pignorius sic: — *cremare* (prohibebantur), *quae potius t.;* van Nispen et Iac. Gronov.: *cremare* (prohib.), *potiusque t.;* Freinshemius voces *a rege iub.* delens; Kirchmannus transpositione verborum: *corp. terra potius obr., quam cr. a r. i.;* Wopkensius: *cremare soliti, iam t. o.*

§ 13. *cupide par.*] Vid. Wopkens.; de re Berneccerum et laudd. ad § 10.

II. Interea Hamilcar bello Siciliensi interficitur, relictis tribus 1
filiis, Imilcone, Hannone, Giscone. Hasdrubali quoque par nume- 2
rus filiorum fuit: Hannibal et Hasdrubal et Sappho. Per hos res 3
Carthaginiensium ea tempestate gerebantur. Itaque et Mauris bel- 4
lum illatum et adversus Numidas pugnatum et Afri compulsi stipen-
dium urbis conditae Carthaginiensibus remittere. Deinde, cum fa- 5
milia tanta imperatorum gravis liberae civitati esset omniaque ipsi
agerent simul et iudicarent, centum ex numero senatorum iudices
deliguntur, qui reversis a bello ducibus rationem rerum gestarum 6
exigerent, ut hoc metu ita in bello imperia cogitarent, ut domi iu-
dicia legesque respicerent.

In Sicilia in locum Hamilcaris imperator Imilco succedit: qui 7
cum navali terrestrique bello secunda proelia fecisset multasque civi-
tates cepisset, repente pestilentis sideris vi exercitum amisit. Quae 8
res cum nuntiata Carthagini esset, maesta civitas fuit: omnia ulula-
tibus non secus, ac si urbs ipsa capta esset, personabant; clausae 9
privatae domus, clausa deorum templa; intermissa omnia sacra,
omnia privata officia damnata. Cuncti deinde ad portum congre- 10

C. II. § 1. *bello Siciliensi*] ad Himeram a. 480; a Gelone cum maiore parte exercitus caesus.

Imilcone] Nonnulli c. Oros. et Freculph.: *Himilcone;* Goth., 3 Gron.: *Amilc.* vel *Hamilcone;* v. Gronov. p. 896.

§ 2. *Hannibal*] Bong.: *Ann.;* sed e mss. profert: *Hann.* — Ad § 5 quae leguntur, solus Iustinus habet.

Hasdrubal] Prag.: *Alisbar.*

Sappho] Sic Bong.; eius mss., 7 Gronov., Goth.: *Sapho*, ut Ald. et Gronov. edidit. Is. Vossius Fabro Graevioque probantibus reposuit: *Psapho*, ut nomen Punicum.

§ 3. *gerebantur*] Mss. Bong., 6 Gronov., Goth., edd. vett.: *regebantur.*

§ 4. *stipendium — remittere*] Hoc non veri simile dicit Boetticher. *hist. Carth.* p. 101.

§ 5. *familia*] Magonis.

centum — iudices] De his praeter Graev. vide Boettich. *hist. Carth.* p. 51 sqq. et in Add. p. 479 sq.

§ 7. Carthaginiensium prius bellum cum Dionysio, Syracusarum tyranno, a. 405, cuius fine Carthaginiensis exercitus ingenti peste adflictus erat; narratur a Boettichero p. 111—114; sed mihi dubium non est, quin Iustinus alterum bellum annis 398 — 396 gestum, quo infaustissime confecto Imilco inedia mortem sibi conscivit, cum illo miscuerit et contaminaverit; vide modo prologi extrema. Posterioris belli historiam narrat Boetticherus p. 115 — 125.

in locum Hamilcaris] sed intercesserant prius alii; v. Boetticherum p. 101 sqq.

§ 8. *Carthagini*] Sic Bong., Goth., Prag., nonnulli Gronov., de quo satis dixit C. Benecke, q. v. Vulgo: *Carthagine*, ut mss. aliquot Bong., 6 Gronov., 4 Wopkens., Crac.; 2 Gronov.: *Carthaginem.*

§ 9. *privata off.*] Oros., Freculph., Vincentius: *privata publicaque off.*

gantur, egredientesque paucos e navibus, qui cladi superfuerant,
11 de suis percontantur. Ut vero dubia antea spe et suspenso metu, incerta orbitatis exspectatione casus suorum miseris eluxit, tunc toto litore plangentium gemitus, tunc infelicium matrum ululatus et flebiles querelae audiebantur.

1 III. Inter haec procedit inops e navi sua imperator sordida servilique tunica, discinctus; ad cuius conspectum plangentium agmina
2 iunguntur. Ipse quoque manus ad caelum tendens nunc sortem suam,
3 nunc publicam fortunam deflet; nunc *deos* accusat, *qui tanta belli decora et tot ornamenta victoriarum, quae ipsi dederant, abstulerint; qui captis tot urbibus totiesque hostibus terrestri navalique proelio victis*
4 *exercitum victorem non bello, sed peste deleverint. Deferre se tamen civibus suis non modica solatia, quod malis eorum hostes gaudere, non*
5 *gloriari possent: quippe cum neque eos, qui mortui sunt, a se occisos;*
6 *neque eos, qui reversi sunt, a se fugatos possint dicere. Praedam, quam relictis a se castris abstulerint, non esse talem, quam velut spolium victi hostis ostentent: sed quam possessione vacua fortuitis domi-*
7 *norum mortibus sicuti caduca occuparint. Quod ad hostes pertinet,*
8 *victores se recessisse; quod ad pestem, victos. Nihil tamen se gravius ferre, quam quod inter fortissimos viros mori non potuerit servatusque*
9 *sit non ad vitae iucunditatem, sed ad ludibrium calamitatis. Quamquam ubi miseras copiarum reliquias Carthaginem reduxerit, se quoque*
10 *secuturum commilitones suos; ostensurumque patriae non ideo se in eam diem vixisse, quoniam velit vivere: sed ne hos, quibus nefanda lues*
11 *pepercerat, inter hostium exercitus relictos morte sua proderet.* Tali vociferatione per urbem ingressus, ut ad limina domus suae venit,
12 prosecutam multitudinem velut postremo adloquio dimisit; obseratisque foribus ac nemine ad se, ne filiis quidem admissis, mortem sibi conscivit.

C. III. § 1. *imperator*] Mss. Bong. nomen *Imilco* addunt.

§ 4. *possent*] scil. cum in Sicilia esset in conspectu hostium; male igitur Wetzel. ex 1 Bong.: *possint.*

§ 6. *caduca*] scil. ut caduca bona occupari soleant. Vulgo coniectura I. Fr. Gronovii recepta: *caducam o.*

§ 7. *pertinet*] Gronov. e fraude ista, Med. 2, reposuit: *pertineat;* sed attende ad cetera.

§ 10. *relictos*] Mss. Bong. et coll. C. C. mire: *legatos.*

§ 12. *mortem sibi conscivit*] inedia; Diod. XIV, 76; sed Orosius et secuti eum Freculph. et Vincent.: *gladio dolorem vitamque finivit:* de quo recte Wesselingius: „Iustinum suum dum deserit Orosius, in errorem praeceps abiit.“ — Paullo ante mss. Bong.: *nec filiis q.* Addit Orosius: *Haec Darii temporibus gesta sunt.*

LIBER XX.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS XX.*)

Vicesimo volumine continentur res gestae Dionysii Siculi patris. Ut pulsis Poenis Italica bella sit molitus. Inde repetitae origines Venetorum et Graecorum et Gallorum, qui Italiam incolunt. Deductisque Dionysii rebus ad interitum eius dictae quas Hanno* Magnus in Africa gessit.

*) Codd. praeter Periz., Thuan., Crac. scriptura *Anno* videntur uti.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Dionysius, Siciliae tyrannus, Graeciam Magnam invadit.*
2. *Metapontinorum origo et fata.*
3. *Crotoniensium et Locrensium bella.*
4. *Pythagoras philosophus Crotonienses ad frugalitatem revocat.*
5. *Dionysius victis Locrensibus Crotonienses bello adgreditur; sed frustra. Eiusdem cum Gallis societas. Galli quas urbes in Italia condiderint. Dionysius propter adventum Carthaginiensium in Siciliam redit et tandem suorum insidiis opprimitur.*

I. Dionysius, e Sicilia Carthaginiensibus pulsis occupatoque 1
totius insulae imperio grave otium regno suo periculosamque desidiam tanti exercitus ratus, copias in Italiam traiecit: simul ut et 2
militum vires continuo labore acuerentur et regni fines proferrentur.
Prima illi militia adversus Graecos, qui proxima Italici maris litora 3
tenebant, fuit; quibus devictis finitimos quosque adgreditur omnes- 4

C. I. § 1. *Carthaginiensibus pulsis*] sub Magone, qui annis tribus post Himilconis cladem bellum instauraverat; cf. Boettich. *hist. Carthag.* p. 125 sq.

§ 2. *ut et m.*] Sic mss. Bong., 7 Gron., Goth., Crac. Sed Bong.: *ut mil.*, ut Prag.

§ 3. *proxima Ital. m. l.*] Rheginos. Vinc. Bell.: *proximi*, ut 1 Bong.

§ 4. *quibus devictis*] sed in altera demum expeditione Italica vicit. Scriptor dum ad origines properat, breviter bellorum ipsius consilium ac decursum significat.

5 que Graeci nominis Italiam possidentes hostes sibi destinat: quae
gentes non partem, sed universam ferme Italiam ea tempestate oc-
6 cupaverant. Denique multae urbes adhuc post tantam vetustatem
7 vestigia Graeci moris ostentant. Namque Tuscorum populi, qui
8 oram inferi maris possident, a Lydia venerunt; et Venetos, quos
incolas superi maris videmus, capta et expugnata Troia Antenore
9 duce misit; Adria quoque Illyrico mari proxima, quae et Adriatico
10 mari nomen dedit, Graeca urbs est; et Arpos Diomedes exciso Ilio
11 naufragio in ea loca delatus condidit. Sed et Pisae in Liguribus
Graecos auctores habent; et in Tuscis Tarquinii a Thessalis, et
*Spina in Umbris**; Perusini quoque originem ab Achaeis ducunt.
12 Quid Caere urbem dicam? Quid Latinos populos, qui ab Aenea

* *Spinambris*

---

§ 7. *a Lydia*] ita sibi veteres iam inde ab Herodoto (I, 94) persuaserant, inter quos etiam *Timaeus*, unde sua fortasse hausit Trogus; v. frag. inc. 43 in collect. Goelleri, qui doctos de ea re laudat p. 248 sq.

§ 8. *Venetos*] 1 Bong.: *Bunetos.* V. Bernecc. et Heynii excurs. VII ad Virg. Aen. I. p. 182 sqq. ed. 3.

§ 9. *Adria — Adriatico*] Sic Bong., al.; Gronov. e 4 suis: *Hadria — Hadr.* De re singularis locus est Stephani Byz.: *Ἀτρία, πόλις Τυῤῥηνίας, Διομήδους κτίσμα· χειμῶνος πλεύσαντος* (s. *πνεύσ.*) *καὶ μετὰ τὸ διασωθῆναι καλέσαι Αἴθρίαν.* Quibus adde Cluver. in *Ital. Antiq.* p. 135 sqq.

§ 10. *Arpos Diom.* cett.] v. locc. ap. Bong. et Bern.

§ 11. *Pisae*] v. Bernecc.; adde Servium ad Aeneid. X, 179.

Graecos] Pelasgos; cf. Niebuhr. *Röm. Gesch.* V. I. p. 117, alibi.

a Thessalis] Pelasgis; v. Niebuhr. l. l. p. 38. Eodem redit narratio de *Tarcone* conditore a Tyrrheno constituto, quem Cluverius (*It. Ant.* p. 518 sq.) *Tagem* esse vidit.

Spinambris] Sic Bong. et codd. quotquot sunt; unus: *et in spinambris.* Ignotum nomen. Quare Vossius, quem ceteri secuti sunt: „Lege, inquit, *Spina in Umbris.* Plurimi enim veterum confundunt Umbrorum et Tusciae terminos.“ Etruriae enim urbs est Spina, a Pelasgis, vel, ut alii narrant, a Diomede condita; vid. Cluverii *It. ant.* pag. 133 sqq. Glareanus scribendum duxit: *Spina et Ravenna*, de qua v. eius not. Bongarsius: *et Spina urbs*, quod ita corrumpi non poterat; scriptor denique de coloniis Graecis, *Raoul-Rochette*, Vol. I. p. 309: *a Thessalis e Spina urbe*, quia Dionysius auctor est Pelasgos in Italiam advenientes primum in Spinete ostio Padi appulisse; v. Cluv. l. l. p. 134.

Perusini] Hos qui praeter nostrum ad Achaeos referat, non novi; a Tyrrhenis conditos dicunt (v. Bernecc.) vel a Pelasgis, ut intellexit Cluverius *It. ant.* p. 576.

§ 12. *Caere*] *λέγεται Πελασγῶν κτίσμα τῶν ἐκ Θετταλίας ἀφιγμένων.* Strabo V. p. 152 Cas. Ceterum Bong., codd. omnes, Gronoviani praeter Periz., Crac., Goth.: *Ceren* vel (pauciores) *Caeren*; sed *Caere* indeclinabile est; vid. Vorstium et Cluver. *It. Ant.* p. 491, qui et ipse codd. scripturam, quia nullo exemplo firmari potuit, vitiosam iudicat.

Latini] v. XLIII, 1, § 9. 10.

conditi videntur? Iam Falisci, Nolani, Abellani nonne Chalciden- 13
sium coloni sunt? Quid tractus omnis Campaniae? Quid Bruttii Sa- 14
binique? Quid Samnites? Quid Tarentini, quos Lacedaemone pro- 15
fectos Spuriosque vocatos accepimus? Thurinorum urbem condidisse 16

---

§ 13. *Falisci*] Argivorum colonia per Halesum, quem Ovidius *Atriden* i. e. Agamemnonis filium spurium (v. Serv. ad Aen. VII, 723) vocat, deducta; v. ad Ovid. Fast. IV, 73 sq. et Amor. III, 13, 31 sqq. Steph. Byz. s. v., Solin. c. 8. Hos autem ob locos *Raoul-Rochette* Vol. III. p. 119 erroris Iustinum convincit, qui Falerios inter Chalcidensium colonos recenseat; neque alium eius narrationis auctorem invenit Cluverius, *It. Ant.* p. 544. In uno cod. Bong. erasa veteri scriptura legitur: *Iapygi.* Vett. edd.: *Falisci*, *Iapygii.*

Nolani] Nola alias etiam *Chalcidica* vocatur; cf. Niebuhr. *hist. Rom.* I. p. 92. Solinus vero a *Tyriis* conditam refert, quos Salmasius in *Thurios*, felicius Raoul-Rochett. l. l. in *Styraeos* mutavit, urbis Euboeae incolas, Atheniensium coloniam, ut Chalcis et Eretria. Martorellius (ap. Raoul-Roch.) illo tempore statuit Chalcidenses hanc coloniam deduxisse, quam terrae motibus e Pithecusis insulis eiicerentur; Strabo V. p. 247, D.

Abellani] Bong.: *Abelani*, ut vett. edd. Leid. 4: *Avell.* Abellam fama ferebat Graecos primo incoluisse, teste Servio ad Aeneid. VIII, 740. Nihil praeterea de origine eius notum.

§ 14. *Campaniae*] plenae coloniarum Graecarum.

Bruttii] non ob originem, de qua XXIII, 1, sed ob colonias. Plinius H. N. III, c. 10 ex Antiocho Syracusano: . . . *ager Lucanus Brutiusque —; nec ibi rara incolarum mutatio. Tenuerunt eam Pelasgi, Oenotrii, Itali, Morgetes, Siculi, Graeciae maxime populi.* Conf. Serv. ad Aen. XI, 265. — Bong.: *Brutii.*

Sabinique] Hos erant inter Romanos qui a *Lacedaemoniis* derivarent, ut Gellius in *Annalib.*, Hyginus *de origine urbium Italicarum;* v. Cluverii *It. ant.* p. 644 sq. Raoul-Rochett. *histoire de l'établ.* V. III. p. 113 sqq. coll. Niebuhr. *hist. R.* p. 104. — Prag.: *Sabini*, *Lucani.*

Samnites] a Sabinis orti. Lege *Raoul-Roch.* l. l. p. 117.

§ 15. *Spurios*] vel Parthenias. V. supra III, c. 4.

§ 16. *Thurinorum urbem*] imo *Sybarin*, in cuius demum ruinis Ol. 84, 1 *Thurium* condita est; v. de eiusdem origine Rhodensi narrationes apud Raoul-Rochett. *hist.* V. II. p. 328 sqq. Sed quae hic de Thurio, ea alii de *Petilia* narrant: conditam esse a Philoctete (Strabon. VI. p. 254 et ad Virg. Aen. III, 402) et servare Herculis sagittas, auctore diligentissimo viro Silio It. XII, 433, ubi ap. Rupertum plures vide de hac urbe. Petilia propinqua Crotoni erat. Non errare tamen Iustinum conficit locus in hac re classicus, in (Aristot.) Auscultt. mirab. c. 115: *Παρὰ δὲ τοῖς Συβαρίταις λέγεται Φιλοκτήτην τιμᾶσθαι· κατοικῆσαι γὰρ αὐτὸν ἐκ Τροίας ἀνακομισθέντα τὰ καλούμενα Μάκαλλα* [ita pro *μαλακὰ* legendum esse viderat Holsten., coll. Tzetz. ad Lycophr. 927] *τῆς Κροτωνιάδος, ἅ φασιν ἀπέχειν ἑκατὸν εἴκοσι σταδίων* (ab urbe), *καὶ ἀναθεῖναι ἱστοροῦσι τὰ τόξα τὰ Ἡράκλεια αὐτοῦ εἰς τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἁλίου* (Etym. M.: *Ἀλαίου*)*· ἐκεῖθεν δέ φασι τοὺς Κροτωνιάτας κατὰ τὴν ἐπικράτειαν ἀναθεῖναι αὐτὰ εἰς τὸ Ἀπολλώνιον τὸ παρ' αὐτοῖς· λέγεται δὲ καὶ τελευτήσαντα ἐκεῖ* (in Macallis) *κεῖσθαι αὐτὸν παρὰ τὸν ποταμὸν τὸν Σύβαριν, βοηθήσαντα Ῥοδίοις τοῖς μετὰ Τληπολέμου εἰς τοὺς ἐκεῖ τόπους ἀπενεχθεῖσι καὶ μάχην συνά-*

Philocteten ferunt; ibique adhuc monumentum eius visitur, et Her-
culis sagittae in Apollinis templo, quae fatum Troiae fuere.

1 II. Metapontini quoque in templo Minervae ferramenta, qui-
bus Epeos, a quo conditi sunt, equum Troianum fabricavit, osten-
2 tant. Propter quod omnis illa pars Italiae *Maior Graecia* appellata
est.

3 Sed principio originum Metapontini cum Sybaritanis et Croto-
4 niensibus pellere ceteros Graecos Italia statuerunt. Cum primum
urbem Sirim cepissent, in expugnatione eius quinquaginta iuvenes
amplexos Minervae simulacrum sacerdotemque deae velatum orna-
5 mentis inter ipsa altaria trucidaverunt. Ob haec cum peste et sedi-
tionibus vexarentur, priores Crotonienses Delphicum oraculum adi-
6 erunt. Responsum his est: *finem mali fore, si violatum Minervae*
7 *numen et interfectorum manes placassent.* Itaque cum statuas iuve-
nibus iustae magnitudinis et in primis Minervae fabricare coepissent,
Metapontini, cognito oraculo deorum occupandam manium et deae
pacem rati, iuvenibus modica et lapidea simulacra ponunt et deam
8 panificiis placant. Atque ita pestis utrobique sedata est, cum alteri
9 magnificentia, alteri velocitate certassent. Reciperata sanitate non
10 diu Crotonienses quievere. Itaque indignantes in oppugnatione Siris
11 auxilium contra se a Locrensibus latum, bellum his intulerunt. Quo
metu territi Locrenses ad Spartanos decurrunt: auxilium supplices

---

φασι πρὸς τοὺς ἐνοικοῦντας (τῶν βαρβάρων) ἐκείνην τὴν χώραν. Ubi cf. Beckm. p. 239. — 3 Gronov.: *urbes.*

Philocteten] Sic etiam Bong. Liber Goth.: *Philocratem.*

ibique a. monumentum] i. e. ἐν Μακάλλοις, de quibus Tzetz. ad Lycophr. 927: πόλις Ἰταλίας, ὅπου τάφος καὶ ἱερὸν Φιλοκτήτου ἁγιστευομένου παρὰ τῶν ἐπιχωρίων καὶ θυσίας βοῶν δεχομένου, ὥσπερ εἰ θεὸς αἰώνιος ὑπῆρχεν.

C. II. § 1. *Minervae*] *Εἰλενίας*, v. easdem auscultt. mirab. c. 116.

Epeos] Sic mss. Bong., Gronovii, Goth., Crac., Prag. Bongars.: *Epeus.* Deductos ab hoc esse Metapontinos praeter nostrum nemo refert. Ceteri fere *Pylios* conditores dicunt. Vid. Heynii opusc. acadd. V. II. p. 206 sqq.

§ 3. Horum gestorum tempus incertissimum est; conf. Heyn. l. l. p. 184 sq.

§ 4. *Sirim*] Mss. Bong.: *Sirum;* Vinc. Bellov. IV, 23: *Syrum.* Res ab aliis narratur de Troianis Achaeisque vel Ionibus, Siridis conditoribus, non de Metapontinis; v. narrationum diversitatem apud Raoul-Rochett. *hist. de l'établ.* V. II. p. 325 sq., Heynium l. l. p. 185. 235 sqq. Quae sequuntur celebratissimam pugnam ad Sagram praecedentia, nusquam tam diserte traduntur; cf. tamen Suidam v. ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ.

§ 7. *panificiis*] Ostertagius coni.: *pannificiis*, peplis dedicatis. Crac.: *pacificiis.*

§ 8. *utrobiquc*] Bong.: *utrubique;* in seq.: *Recup.*

§ 11. *ad Spartanos*] V. Heynium l. l. p. 56, Goellerum ad Timaei

deprecantur. Illi longinqua militia gravati *auxilium a Castore et* 12
Polluce petere eos iubent. Neque legati responsum sociae urbis spre- 13
verunt: profectique in proximum templum facto sacrificio auxilium
deorum implorant. Litatis hostiis obtentoque, ut rebantur, quod 14
petebant, haud secus laeti quam si deos ipsos secum avecturi essent,
pulvinaria iis in navi componunt; faustisque profecti ominibus sola-
tia suis pro auxiliis deportant.

III. His cognitis Crotonienses et ipsi legatos ad oraculum Del- 1
phos mittunt, victoriae facultatem bellique prosperos eventus depre-
cantes. Responsum *prius votis hostes quam armis vincendos.* Cum 2 3
vovissent Apollini decimas praedae, Locrenses et voto hostium et
responso dei cognito nonas voverunt; tacitamque eam rem habuere,
ne votis vincerentur. Itaque cum in aciem processissent et Croto- 4
niensium centum viginti millia armatorum constitissent, Locrenses
paucitatem suam circumspicientes (nam sola quindecim millia mili-
tum habebant) omissa spe victoriae in destinatam mortem conspi-
rant: tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se 5
putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honeste quae- 6
runt, feliciter vicerunt: nec alia causa victoriae fuit, quam quod de-
speraverunt. Pugnantibus Locris aquila ab acie numquam recessit, 7
eosque tam diu circumvolavit, quoad vincerent. In cornibus quoque 8
duo iuvenes diverso a ceteris armorum habitu, eximia magnitudine
et albis equis et coccineis paludamentis pugnare visi sunt; nec ultra
apparuerunt, quam pugnatum est. Hanc admirationem auxit incre- 9

---

fragg. p. 223 addito Polyb. XII, 6 in Ang. Maii *Collectione Scriptt. vett. Romana* p. 383 sq. Tomi II.

§ 12. *longinqua militia*] I. Fr. Gronovius et Lipsius subtiliter: *longinquam militiam;* sed recte iam Wopkens. ad h. l.; cf. Beneck.

§ 14. *avecturi*] Sic editur e mss. Modii, quibus Crac. videtur accedere. Bong., Prag., Goth.: *advecturi*, ut Gronoviani, nisi fallor, omnes, peius sane, non tamen ita, ut scribi plane ab Iustino non potuisset.

C. III. § 4. *in aciem*] ad Sagram, flumen Locridis inter Locros et Caulonem; v. Bong. et Heynium l. l. p. 184 sq. Circa Olympiadem *quinquagesimam* pugnam factam videri iam animadvertit Guil. Xylander apud Iunium in Add. ad Erasmi Adagg. p. 614 (ed. 1599). Numeros Strabo etiam auget: 130 millia fuisse Crotoniensium, Locrensium cum Rheginis non nisi 10 millia. In codd. haec diversitas: pro *quindecim mill.* Locrensium aliquot mss. Bong., 3 Gronov.: *duodecim mill.;* coll. N.: *XI m.;* sed *XV* etiam Vincentius firmat; at idem et Leid. 1: *centum millia Crotoniensium.*

§ 8. *eximia magnitudine*] Med. 2, Periz.: *eximiae magnitudinis.* In seqq. Med. 1, Leidd. 2. 5: *ex albis equis*, proclivi mutatione; sed, ut grassantem cognoscas interpolationem Aldinae, Fr. Asulanus inde effecit: *ex albis equis coccineis chlamydibus paludati pugnare visi sunt.* Sequitur, ut solet, Iuntina.

dibilis famae velocitas. Nam eadem die, qua in Italia pugnatum est,
et Corintho et Athenis et Lacedaemone nuntiata est victoria.
1 IV. Post haec Crotoniensibus nulla virtutis exercitatio, nulla
2 armorum cura fuit. Oderant enim quae infeliciter sumserant; mu-
3 tassentque vitam luxuria, ni Pythagoras philosophus fuisset. Hic
Sami Demarato, locuplete negotiatore natus magnisque sapientiae
incrementis formatus, Aegyptum primo, mox Babyloniam ad per-
discendos siderum motus originemque mundi spectandam profectus,
4 summam scientiam consecutus erat. Inde regressus Cretam et La-
cedaemona ad cognoscendas Minois et Lycurgi inclytas ea tempestate
5 leges contenderat. Quibus omnibus instructus Crotonam venit po-

---

§ 9. *Corintho*] Sic omnes ad unum codd. et Vincent., satis superque defensum a Wopkensio ad h. l.; tamen obtemperavit avo Gronovius reponens: *Corinthi*, ut est in ed. Rom. et Ald. Ludis Olympicis res nuntiata esse dicitur; v. locc. ap. Heyn. p. 185. not. k.

C. IV. § 1. 2. Trogum haec infelici ad Sagram cladi continuare voluisse probatur etiam seq. capitis § 1; Timaeus tamen: *οἱ Κροτωνιᾶται*, inquit, *μετὰ τὸ ἐξελεῖν Συβαρίτας* (Ol. 67, 3) *ἐξώκειλαν εἰς τρυφήν* (frag. 63 Goell.); at in eo bello, quo Sybaris deleta est, Pythagoram Sybaritarum monitorem fuisse Diodorus quoque narrat, XII, 9, in his rebus a Timaeo fere pendens. Propter quae Trogi et Diodori testimonia et ipsam rem in istis *μετὰ τὸ ἐξ. Συβ.* errorem esse coniicio. Sed vitiose Trogus seq. cap. subito ad Ol. 97 delatus mediis omnibus omissis infelix bellum Locrense proximum dicere videtur Dionysii expeditioni De aliis calamitatibus, quibus inter Ol. 50 et 97 affecti fuerint Crotoniatae, nihil certi tenemus; v. Heynii Opusc. T. II. p. 188 sqq.

§ 2. *philosophus fuisset*] Mss. Bong.: *venisset philosophus.*

§ 3. *Demarato, locuplete negot.*] at *Mnesarchus* vocabatur Pythagorae pater; secundum alios *Marmacus*, quod reponendum h. l. putavit Is. Vossius; huius tamen coniecturae ne quis in Io. Sarisberiensi praesidium inventum esse sibi persuadeat, cum legatur ibi: *cui nomen Maratus erat*, Gronovius pag. 899 recte docuit vitioso eum libro usum esse. Mnesarchus, quem alii gemmarum sculptorem appellant, a Porphyrio quidem frumentorum negotiator fuisse narratur et ab Iamblicho mercator, qui in exteras saepe terras navigarit (v. Christ. Schraderi diss. I *de Pythagora*, Lips. 1708. § II): omnium tamen maxime probabilis est sententia Dodwelli, cum *Damarato* eum *Corinthio*, Tarquinii Prisci patre, ab Iustino permutatum suspicantis; hic etiam *ἐμπορεύεσθαι προελόμενος ἔπλευσεν ἐς Ἰταλίαν ὁλκάδα τε οἰκεῖαν ἀνάγων καὶ φορτὸν ἴδιον* cett. Dionys. Hal. III. p. 184 Sylb.

negotiatore natus] Gronovius e 6 suis interpolatis edidit: *neg. patre natus;* accedit Crac.

formatus] Ita mss. Bong, Gronovii plures, Goth., Crac., Saresb., Gualt. Burlei, repositum suadente I. Fr. Gronovio. Bong., Dorv. 2, Prag., 6 Gronov. et Vincent.: *ornatus*, quod non plane damnandum; cf. Wopkens.

§ 4. *Lacedaemona*] Vincent. etiam: *Lacedaemoniam*, praeter Gualt., Periz.

§ 5. *Crotonam*] Sic Bong. et codd. fere omnes, cum Vincentio; v. Beneck. ad II, 6, p. 44. Vulgo: *Crotona*, ut Dorv. 1. — Ol. 67, 4 ad Dodwelli rationes *de aetate Pythagorae* p. 222.

pulumque in luxuriam lapsum auctoritate sua ad usum frugalitatis
revocavit. Laudabat quotidie virtutem et vitia luxuriae casusque ci- 6
vitatium ea peste perditarum enumerabat, tantumque studium ad 7
frugalitatem multitudinis provocavit, ut aliquos ex his luxuriatos in-
credibile videretur. Matronarum quoque separatam a viris doctri- 8
nam et puerorum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has 9
pudicitiam et obsequia in viros; nunc illos modestiam et litterarum
studium. Inter haec velut genetricem virtutum frugalitatem omnibus 10
ingerebat; consecutusque disputationum adsiduitate erat, ut matro- 11
nae auratas vestes ceteraque dignitatis suae ornamenta, velut in-
strumenta luxuriae, deponerent; eaque omnia delata in Iunonis ae-
dem ipsi deae consecrarent, prae se ferentes vera ornamenta matro- 12
narum pudicitiam, non vestes esse. In iuventute quoque quantum 13
profligatum sit, victi feminarum contumaces animi manifestant. Sed 14
trecenti ex iuvenibus cum sodalitii iure sacramento quodam nexi se-
paratam a ceteris civibus vitam exercerent: quasi coetum clande-
stinae coniurationis haberent, civitatem in se converterunt; quae 15
eos, cum in unam domum convenissent, cremare voluit. In quo 16
tumultu sexaginta ferme periere: ceteri in exsilium profecti. Pytha- 17
goras autem cum annos viginti Crotonae egisset, Metapontum mi-
gravit ibique decessit; cuius tanta admiratio fuit, ut ex domo eius 18
templum facerent eumque pro deo colerent.

---

§ 6. *casusque*] 1 Bong., 7 Gronov., Goth.: *casumque.*

§ 14. *trecenti ex iuvenibus*] Sic Dicaearchus, alii; vid. Meinersii *Gesch. der Wissenschaften* Vol. I. p. 402.

sodalitii iure] Sic Bong., Gronovii longe plures, 3 Dorv., Goth.; rectissime: nam ita struenda verba sunt: cum sodalitii iure, ut qui iureiurando se sibi invicem obstrinxerint, separatam a ceteris vitam agerent; hoc enim facti sodalitii ius est. Edd. tamen auctore I. Fr. Gronovio: *sodalitii iuris sacramento*, quod quomodo potuerit a quoquam intelligi non sane assequor; explicat Gronovius: „vinculo, quo continebatur societas eorum, qui coierant"; praeterita plane vocab. *iuris* notione hic alienissima; neque absoluta est explicatio a sequentibus interpp. Mss. quidem nescio quot. Bong., 7 Gronov., Sarisbar. genitivum praebuerunt, sed ob sequentem litt. *s* aberratio facillima erat. Unde Valesius: *sodalitio iure*, ignotum est; v. Gron. p. 901. Prag. voc. *iure* omittit.

§ 15. *convenissent*] cum ipso Pythagora, ut narrat Diog. Laert. VIII. p. 591 Casaub. Metaponti hoc factum esse a Cylonaeis auctor est Plutarchus *de genio Socr.* p. 583, A., ubi quod legitur *Κυκλώνειοι*, corrigendum est ex eodem *de repugn. Stoic.* p. 1051, C.: *Πυθαγόρου ζῶντος ἐμπρησμὸς ὑπὸ Κυλωναίων.* V. Dodwell. in diss. supr. laud., etiam ad § 17: *annos viginti*, contra Simson. et Bentlei. apud Gronovium pag. 902.

§ 17. *Crotonae*] Sic Bong. et codd. paene omnes; v. ad § 5.

decessit] inedia, ut Dicaearchus et Heraclides. — Multi codd., etiam Bongarsii quidam: *emigravit.*

§ 18. *templum*] Cereris; vicum autem, ubi habitaverat, Musis sacrabant. Sic Timaeus frag. inc. 61 Goeller.

1 V. Igitur Dionysius tyrannus, quem supra a Sicilia exercitum in Italiam traiecisse bellumque Graecis intulisse memoravimus, expugnatis Locris Crotonienses vix vires longo otio ex prioris belli clade
2 resumentes adgreditur: qui fortius cum paucis tanto exercitui eius
3 quam antea cum tot millibus Locrensium paucitati restiterunt. Tantum virtutis paupertas adversus insolentes divitias habet, tantoque
4 insperata interdum sperata victoria certior est. Sed Dionysium gerentem bellum legati Gallorum, qui ante menses Romam incende-
5 rant, societatem amicitiamque petentes adeunt: *gentem suam inter hostes eius positam esse magnoque usui ei futuram vel in acie bellanti*
6 *vel de tergo intentis in proelium hostibus* adfirmant. Grata legatio Dionysio fuit. Ita pacta societate et auxiliis Gallorum auctus bellum
7 velut ex integro restaurat. His autem Gallis causa in Italiam ve-

---

C. V. § 1. *expugnatis Locris*] Belli huius cum Locrensibus memoria apud ceteros intercidit; vel *Locris* explicandum Locride, Locrorum regione, ut certamina cum Rheginis intelligantur, de quibus Diodorus (XIV, 100): *περαιώσας τὴν δύναμιν ἐπὶ τοὺς ὅρους τῆς Λοκρίδος ἐκεῖθεν διὰ τῆς μεσογείου τὴν πορείαν ἐποιεῖτο τέμνων καὶ πυρπολῶν τὴν τῶν Ῥηγίνων χώραν* (Ol. 97, 3); deinde victus est classe Crotone instructa. Sed quae sequuntur melius referas ad maius bellum insequentis anni, in quo summus sociorum principatus penes *Crotoniatas* erat, Helori, Syracusano exule, duce; exercitus autem dum Cauloniam tendit a Dionysio obsessam, ad *Ἐλέπορον* (v. Wessel. ad Diod. XIV, 104. n. 29) fortissime licet pugnantes tandem superantur. (*Caulonia* Crotoniatarum vel, quod idem est, Achaeorum colonia erat; v. Wessel. l. l. n. 6.) — Minus probabiliter Heynius opusc. V. II. p. 56: „Suspicari licet Iustinum in nomine errasse et *Cauloniatis* Locros substituisse"; nam Locrenses socios et amicos Dionysio fuisse (ut satis probat p. 57); quos quidni primum terrore copiarum, deinde comitate ad partes suas facile perduxerit, praesertim aliis Graecis inimicos? Quam ob rem si in historiis ex alia lingua conversis, deinde non satis diligenter excerptis Locri vocantur *expugnati*, non est mirandum.

resumentes] v. ad c. praeced. § 1.

§ 2. *fortius — restiterunt*] non dixit eos vicisse; seqq. rhetorica sunt.

§ 4. *gerentem bellum*] dum Rhegium pertinaciter obsidebat; vid. Diod. XIV, 113; Ol. 98, 2 (Dodwell. *de aetate Pyth.* p. 199: Ol. 97¾). Pars Gallorum, qui Romam ceperant, in Iapygiam descendit; vid. eundem 117.

ante menses] v. I. Fr. Gronov. ad VI, 7, § 7 et Beneck. h. loc. Vossius: *ante mensem*, ut Ald., cod. Prag. (Goth.: *ante mensam*); Schefferus: *ante menses sex;* frustra. Mss. Bong.: *a. messes*, solito vitio, ut ostendit in V. L. p. 148.

§ 5. *bellanti*] Goth.: *bellantes.*

§ 6. *auxiliis Gallorum*] qualia etiam cum Hispanis Lacedaemoniis in opem misit; Xenoph. Hellen. VII, 1, § 20; Diod. XV, 70.

restaurat] Sic quicquid est codicum; v. ad II, 10, § 1. Ex una ed. Venet. edunt: *instaurat.* Sed mss. Bong: *ex int. relinquit.* (al. *reliquit.*) *Restauratis autem G.;* ad quae Vossius: „Hoc non frustra est; ita enim emendandum erat: *belli, velut ex int., reliquias restaurat. Iis a G.*"

§ 7. *His*] Bong. cum edd. vett.: *Iis a.* De re vide Liv. V, 34 et

niendi sedesque novas quaerendi intestina discordia et adsiduae domi dissensiones fuere: quarum taedio cum in Italiam venissent, sedibus 8
Tuscos expulerunt; et Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, *Bergomum* *, Tridentum, Vicentiam condiderunt. Tusci quoque 9
duce Raeto avitis sedibus amissis Alpes occupavere; et ex nomine ducis gentes Raetorum condiderunt. Sed Dionysium in Siciliam ad- 10
ventus Carthaginiensium revocavit: qui reparato exercitu bellum, quod lue deseruerant, auctis viribus repetebant. Dux belli Hanno 11

* *Vergamum* vel *Bergamum*

---

quae docte disputantur in *St. Martini histoire des Gaules* (Paris., 2 Voll.), quo libro excellenti ad Iustinum uti non poteram. *Amadei Thierrii* novam historiam Gallorum nondum vidi.

§ 8. *Mediolanum*] Livius V, 34: *fusis acie Tuscis haud procul Ticino flumine — ibi — condidere urbem: Mediolanum appellarunt.* Adiiciunt chronographi quidam ap. Gronov. pag. 902 sq.: *Ariminum*, quam Ptolemaeus Senonum urbem vocat, prius ab Umbris habitatam; Cluver. *It. ant.* p. 603. — Martino auctore a. U. c. 164.

Comum] Bodl.: *Cumum;* Otto Fris., Conrad. Ursperg. ex h. l.: *Cumas;* sic alii etiam per medium aevum ap. Cluver. p. 248, q. cf. Saresbar.: *Cornum*, nisi typographicum erratum est.

Brixiam, Veronam] Livius V, 35: *Alia subinde* (Gallorum) *manus Cenomanorum — quum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia et Verona urbes sunt (locos tenuere Libui) considunt.* Vide plures ap. Cluver. *It. ant.* p. 252 sq. 115 sqq.

Bergomum] Sic vetustiores scriptores et nostro loco praeter edd. vett. Med. 2, Crac. Bongars.: *Vergamum*, sine v. l. Goth.: *Bergamum*, ut Sarisbar.; Prag.: *Pergamum*, ut chron. Riccobaldi ap. Murat. scriptt. rer. It. T. IX. p. 203 ex h. l., aliique multi in Cluver. *It.* p. 247, ubi colliguntur aberrationes in hoc nomine. Oppidum in *Orobiis*, quorum nomen Cluverius Graece versum putat ex *Berghom* vel *Bergham*, qui ad montem domicilia haberent.

Tridentum] nomen raro obvium; ab nostro solo ad Gallos refertur, aliis ad *Raetos;* v. Bern. et Cluver. p. 115.

Vicentiam] (1 Bong., Bodl.: *Vincent.*) Huius oppidi origo apud alios non legitur; Cluver. p. 156 sq.

§ 9. V. Niebuhr. *hist. Rom.* V. I. p. 113, qui scripturam *Raeti* verissimam dicit; v. laudd. Gronov. p. 903, Cellar. Orthogr. V. I p. 116 Harl.; adde Monum. Ancyr. et Fea ad Horat. Od. IV, 4, 17. pag. 165. Bong.: *Rheto* — *Rhetorum*, de quo Cluver. p. 114, Salmas. ap. Cellar.

gentes] 5 Gronov., ut edd. vett.: *gentem.*

§ 10. *revocavit*] an ex Etruria? ubi Agyllaeos vicit et diripuit; Diod. XIV, 14; sed tum ultro bellum intulit Carthaginiensibus, non petitus est; Ol. 99, 2.

bellum, quod lue deseruerant — repetebant] cf. XIX, 2, § 7 sqq. Sed repetitum bellum iam Ol. 96, 4 per Magonem fuerat: quo victo Dionysius primum in Italiam traiecit; Diod. XIV, 90. Hoc vero bellum nullo modo intelligi posse apparet; veri tamen similius magnum illud, quod ex praeda Agyllensi vel Caeritana Ol. 99, 2 paravit; in eo Mago, dux Carthaginiensium, cecidit ad *Cabala*, occidentalis Siciliae oppidum; filius vero eius successor claram victoriam retulit ad *Cronion;* is fortasse fuit hic *Hanno;* nam nusquam neque illius Magonis filii neque *Suniati* inimici no-

12 Casthaginiensis erat: cuius inimicus Suniatus, potentissimus ea tempestate Poenorum, cum odio eius Graecis litteris Dionysio adventum exercitus et segnitiam ducis familiariter praenuntiasset, comprehensis
13 epistolis proditionis damnatur, facto senatusconsulto, *ne quis postea Carthaginiensis aut litteris Graecis aut sermoni studeret: ne aut loqui*
14 *cum hoste aut scribere sine interprete posset.* Nec multo post Dionysius, quem paullo ante non Sicilia, non Italia capiebat, adsiduis belli certaminibus victus fractusque insidiis ad postremum suorum interficitur.

---

men offendas. (Narrationem e Diodoro concinnatam habes ap. Boettich. *hist. Carth.* p. 127 sq.) At hoc bellum dici non poterat *repetitum*, postquam *lue* intermissum fuerit; postremum autem, quod cum Carthaginiensibus post pacem quatuordecim annorum Dionysius gessit, inceptum est post *pestilentiam*, inter Carthaginienses grassatam; v. Diod. XV, 73; non inepte igitur statuas hanc vel a Trogo vel a Iustino permutatam esse cum ista peste sub Imilcone et quae mediae erant Carthaginiensium res intercidisse: ita ut extremum vel *quartum* Dionysii bellum solum debeat intelligi, narratum a Boettich. p. 129. In eo qui dux fuerit Carthaginiensium, nusquam proditur, nisi forte hoc loco, quem plane neglexit Boettich. Sed dissimulandum non est, suspectam esse vocem *lue*, ut quae desideretur in mss. aliquot Bong., Prag., coll. C. C., Vincent. Bell.

§ 12. *Suniatus*] 5 Gron., Vincent.: *Suniator*, ut edd. vett.; Goth.: *sinuator*, quod idem est; Periz.: *Sanniator;* Crac.: *Surriator*, ut ed. Rom.; Magl.: *Simicus;* ed. Ald.: *Suniacus.*

segnitiam] Id reposuerunt e codd. Mod., 1 Bong., 5 Gron.; Bong., ut Vincent.: *segnitiem;* sed idem XXI, 2, § 1 sine v. l.: *segnitiam.*

prodit. damn.] Mss. Bong. et coll. N.: *proditionis eius damn.*, unde Ald.: *pr. reus damn.*

senatusconsulto] Mss. aliquot Bong., 2 interpolati Gronov.: *senatusconsultu*, de qua forma v. Beneck.

§ 13. 1 Bong., 3 Gronov.: *litteras Graecas aut sermonem stud.*] de quo recte Beneck. — De re v. Boettich. *hist.* p. 92 sq.

§ 14. *Nec multo post*] an post 14 pacis annos? sed v. ad § 10.

non Italia] Haec verba uncis inclusit Bong., ut in uno tantum recentiore reperta. Desunt etiam in coll. C. C.

insidiis suorum] i. e. Dionysii filii et medicorum. Nepos Dione 2 extr.: (Dionysius) *patri soporem* (φάρμακον ὑπνωτικὸν) *medicos dare coëgit. Hoc aeger sumto, ut somno sopitus, diem obiit supremum.* Haec e Timaeo, cuius v. fragm. 93. Cf. Wessel. ad Diodor. XV, 74. n. 46, et Bongars.

LIBER XXI.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXI.*)

Uno et vicesimo volumine continentur haec. Ut in Sicilia Dionysius filius a patre amissum [1]) tractavit imperium. Per Dionem eiectus [2]) bellum cum Siculis gessit: donec amissis liberis et fratribus Corinthum [abiit.]. Ut a Timoleonte [3]) Carthaginiensium bello sit liberata Sicilia: mortuoque *Sosistrato* * [4]) iterum facta seditione arcessiti ad bellum [5]) Car-

* *Pisistrato*

---

1) *Amissum* ex emendatione est Grauerti. Codd. omnes: *a patre amisso*, in quo praepositionem delebat Bong. assentientibus codd. Periz. et Crac. „Sed pater, inquit Grauertus, *victus fractusque insidiis postremum suorum* interfectus erat, ut ait Iust. XX extr. Amiserat ergo imperium: quod ego expressi."

2) Codd. Bong.: *Per Dionysius iectus*, unde restituit Bong., quod dedimus. Vat. 2, Maxim. et alius ap. Burmann.: *perinde eiectus*, unde Longuerrius: *per Dionem inde eiectus*, quod Gronov. recepit. Perizon.: *per in* (Crac.: *perinde*) *Dionysius ei.*

3) Codd. Bong.: *Corinthum statim oleonthe.* Unde Bong. effecit: *Cor. secessit. Ut a Timoleonte:* de quo Modius: „Bongarsii miram in hoc genere felicitatem multis locis nostrae membranae arguunt aut disertim ita habentes, ut ille scribendum fortean censuit, aut ea earum scripturarum vestigia referentes, quibus illae comprobentur: hic tamen diligentius inspectis eisdem libris meis malim ex ductu litterarum scribere: *Cor. abiit; ut a T.*" Quod recipiendum duximus. Vat. 2, Maxim., Crac., ms. ap. Burm., sine dubio Periz.: *Cor. statim proficiscitur, ut ab Agathocle Carth.;* falso. Res ab Iustino omissa. Quia non de *fratribus*, sed de uno fratre Dionysii scriptores narrant, ed. Oxon. non infeliciter: *donec amissis l. et fratre ibat Cor.*

4) Codd. Bong.: *mortuoque Pisistrato*, quod primus emendavit Longuerrius, ut suadebat Diod. XIX, 3. Sed „locum etiamnum corruptum" esse censebat Grauert. Multae illo tempore Syracusis seditiones movebantur: duae vel tres cogitari possunt, in quibus Sosistratus imperium ea ratione recepit, quae narratur a Polyaen. V, 37. De extrema haec Diodorus (XIX, 5): *μετὰ δὲ ταῦτα τῶν Συρακουσίων καταδεξαμένων τοὺς μετὰ Σωσιστράτου φυγάδας καὶ πρὸς Καρχηδονίους εἰρήνην συνθεμένων Ἀγαθοκλῆς φυγὰς ὢν ἰδίαν δύναμιν ἐν τῇ μεσογείῳ συνεστήσατο· γενόμενος δὲ φοβερὸς — ἐπείσθη κατελθεῖν εἰς τὴν πατρίδα* cett. adde Iustin. XXII, 2, § 5. Ad hanc si referas, vera lectio erit; alioquin inserendum est *ab: mortuoque* (sc. Timoleonte; vel ut I. Fr. Gron.: *m. eo*) *ab Sosistr.* Ed. Oxon.: *mortuoque Pisarcho*, ex Diod. XIX, 6, sine probabilitate. Etiam haec absunt ab epitome nostra.

5) Mss. Bong.: *quam ad bella.* Correxit Bong., non ita tamen, ut

thaginienses obsederunt Syracusas: quo bello Agathocles nanctus[6]) imperium est.

verum possit iudicari. Periz. et Crac.: *arcessitique a* (om. Cr.) *bello Carth.*, unde Gronov. recepit: *arcessitique.* Thuan.: *arcessitus est, quam* (a sec. m.: *quod*) *a bello C.* Fortasse scribendum: *mortuoque Sos. iterum facta seditio: arcessitique ad bellum* (i. e. hoc bellum, ex seditione modo ortum) *Carth.* cett. Longuerrius: *arcessiti tanquam adiutores belli Carth. seditiosi obs. S.* I. Fr. Gronov.: *arcessiti cum Hannibale C.* cett. imo: cum Hamilcare, v. Iust. XXII, 2, quae e Trogi libro XXI. petita esse Longuerrius statuit: falso, ut apparet ex seq. prol.; et plura iam notavimus eiusmodi repetitionis per Trogum factae exempla. Grauertus: „Videntur plura excidisse." Omisit Iustinus.

6) Ita codd.; tuetur idem Drakenb. saepius in Livio. Al.: *nactus.*

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Dionysii iunioris artes tyrannicae.*
2. *Eiusdem luxuria, crudelitas, doli, exsilium, tyrannis in Locrenses.*
3. *Callido commento Locrensium matronas spoliat et quarumdam maritos obtruncat. A Locrensibus pulsus in Siciliam redit et Syracusas per proditionem recipit.*
4. *Hannonis tyrannide Carthaginem occupare tentantis tragoediae.*
5. *Dionysius iunior Sicilia pulsus misere vitam agit Corinthi.*
6. *Hamilcar cognomine Rhodanus ad speculandos Alexandri Magni animos a Carthaginiensibus missus et Carthaginem reversus interficitur.*

1 I. Exstincto in Sicilia Dionysio tyranno in locum eius milites
2 maximum natu ex filiis eius, nomine Dionysium, suffecere, et naturae ius secuti, et quod firmius futurum esse regnum, si penes unum remansisset, quam si portionibus inter plures filios divide-
3 tur, arbitrabantur. Sed Dionysius inter initia regni avunculos fratrum suorum, veluti aemulos imperii sui hortatoresque puerorum ad

C. I. § 2. *naturae ius*] Sic Goth., Leid. 2, Magl.; ceteri, ut Bongars. omnes: *naturam eius*, unde Iac. Cuiacius coniectura verum elicuit; v. insignem notam Bong. Edd. vett. cum Prag.: *maturam aetatem eius.* Crac.: *naturae eius aetatem.*

et quod — esse] Mss. Bong: *eo quod — esset* (hoc etiam Goth.); post iidem: *arbitrantur;* Bodl., coll. C. C.: *arbitrarentur.*

§ 3. *avunculos fratrum suorum*] Solum *Dionem* ceteri nominant, fratrum Dionysii avunculum; nam Dionysius pater e Dionis sorore Aristo-

divisionem regni, tollere gestiebat. Quare paullisper dissimulatum 4
animum prius ad favorem popularium conciliandum intendit: excusatius facturus quod statuerat, si probatus ante omnibus foret. Igitur 5
nexorum tria millia e carcere dimittit; tributa populo per triennium remittit; et quibuscumque delinimentis potest, animos omnium sollicitat. Tunc ad destinatum facinus conversus non cognatos tantum 6
fratrum, sed etiam ipsos interficit: ut, quibus consortium regni de- 7
bebat, ne spiritus quidem consortium relinqueret, tyrannidem in suos prius quam in exteros auspicatus.

II. Sublatis deinde aemulis in segnitiam lapsus saginam corpo- 1
ris ex nimia luxuria oculorumque valetudinem contraxit: adeo, ut non solem, non pulverem, non denique splendorem ferre lucis ipsius posset. Propter quae dum contemni se putat, saevitia grassatur; 2
nec, ut pater, carcerem nexis, sed caedibus civitatem replet. Ob 3
quae non contemtior omnibus quam invisior fuit. Itaque cum bel- 4
lum adversus eum Syracusani decrevissent, diu dubitavit, imperium deponeret an bello resisteret. Sed a militibus praedam et urbis di- 5
reptionem sperantibus descendere in proelium cogitur. Victus, cum 6

---

mache peocreaverat *Hipparinum* et *Nysaeum*, ipsum autem e Doride Locrensi. V. locc. ap. Wetzel. Idem Dion de partiendo inter sororis filios regno cum moribundo Dionysio collocuturus fuerat, sed impeditus est parricidio iunioris tyranni; v. Nep. c. 2 et laudd. ad fin. sup. lib.

§ 4. *Quare p. dissimulatum*] Sic codd. omnes, praeter interpolatissimum Med. 2 et nescio quem Wopkensii, fort. eundem, qui: *Qua re p. dissimulata*, ut edidit Gronov. Periz.: *dissimulans animum.* I. Fr. Gronov. pro voc. *quare* coniecit: *Quem p.;* sed quomodo eundem animum, consilium idem ad aliam rem conferre poterat? Codd. scriptura integerrima est itaque explicanda: Quod quia facere gestiebat, animum, cuius consilia et molitiones paullisper tegebat, sive celatas et occultatas ceteris cogitationes intendit ad favorem cett.

§ 5. *e carcere*] Praepos. omittunt mss. Bong., Franecq.; cf. Wopk. — Neque haec benignitatis simulatio neque fratrum caedes ab aliis narratur.

remittit] Addit Ald.: *fratres revocat.* Seq. *et* abest a mss. Bong. Prag.: *quibusque.*

§ 6. *ipsos interf.*] Sic mss. Bongars., omnes, ut videtur, Gronov. praeter Magl., Goth., Prag.; sed Bong.: *ipsos fratres int.*, ut edd. vett., Crac.

§ 7. *prius quam*] *prius* abest a 4 codd. Bong., probante Vossio.

C. II. § 1. *Segnitiam* etiam Bong.; in seqq., ut solet: *valitud.*

pulverem] v. Wopkens. addito Veget. I, 3.

§ 2. *ut pater*] de quo praeter narrata Diodoro et al. v. Plutarch. *de fort. Alex.* II. p. 338, B. C.

§ 5. *in proelium*] Neque hoc proelium neque alterum in § 6 Diodorus narrat; sed ab Adria, dein Caulonia in Siciliam redux astu statim egisse memoratur XVI, 11; praefecti tamen eius ante in defectores improspere pugnaverant et tota demum urbe ad partes Dionis transeunte in arce se tenebant, in Insula. Inde fortasse natus error, in quo quid verum sit, timidum animi Dionysium a tyrannidis ministris, ut ultima auderet, esse compulsum, facile elicitur.

iterato non felicius fortunam tentasset, legatos ad Syracusanos mittit, spondens *se depositurum tyrannidem, si mitterent ad eum, qui-*
7 *buscum sibi de pace conveniret.* In quam rem missos primores in carcere retinet; atque ita incautis omnibus nec quidquam hostile me-
8 tuentibus exercitum ad delendam civitatem mittit. Fit igitur in ipsa urbe anceps proelium: in quo oppidanis multitudine superantibus Dionysius pellitur. Qui cum obsidionem arcis timeret, cum omni
9 regio apparatu in Italiam profugit tacitus. Exsul a Locrensibus sociis exceptus, velut iure regnaret, arcem occupat; solitamque sibi
10 saevitiam exercet. Coniuges principum ad stuprum rapi iubebat; virgines ante nuptias abducebat stupratasque sponsis reddebat; locupletissimos quosque aut civitate pellebat aut occidi imperabat, bonaque eorum invadebat.

1 III. Dein cum rapinae occasio deesset, universam civitatem
2 callido commento circumvenit. Cum Rheginorum tyranni Leophronis bello Locrenses premerentur, voverant, si victores forent, ut
3 die festo Veneris virgines suas prostituerent. Quo voto intermisso cum adversa bella cum Lucanis gererent, in concionem eos Dionysius vocat: hortatur, *ut uxores filiasque suas in templum Veneris*
4 *quam possint ornatissimas mittant: ex quibus sorte ductae centum voto publico fungantur religionisque gratia uno stent in lupanari mense*
5 *omnibus ante iuratis viris, ne quis ullam attaminet. Quae res ne*

---

§ 6. *si mitterent* cett.] et honores sibi insigniores in democratia deferrent. *quibuscum sibi de p.*] Goth.: *cum quibus de p.;* ante idem: *spondentes.*

§ 7. *mittit*] ex arce in Insula, unde prorupit.

§ 8. *profugit*] Ol. 106, 1, cum duodecim annos regnasset; sed bellum per praefectos eius in Sicilia aliquamdiu durabat.

§ 10. *sponsis*] Sic etiam Bong.; sed mss. eius: *procis*, ut edd. vetustiss.; al.: *proceribus;* al.: *sponsis procis.* Goth.: *precio*, quod e *procis* corruptum; idem: *loc. quoscunque.*

C. III. § 2. *Leophronis*] Sic Bong. quoque, ut in optimis suis lectum; idem in V. L.: „Mss., inquit, *Leoprofinis.* Haec in uno ms. antiqua lectione exscalpta ita leguntur: *Cum reginarum*, cui suprascriptum: Leg. (*Cum*) *ergo*, *tyrannide et finitimorum bello L. p.*" Sic etiam Magl. et Thuan. a sec. m.; Crac.: *Cum go tir.* cett. eodem modo. — *Leophron* tyrannus Anaxilai filius erat (v. supra IV, 2, § 5), cui e patris regno Rhegium cesserat, ut fratri Messana; v. Dionys. Hal. XIX, 4 in ed. Aug. Maii p. 145, schol. rec. ad Pind. Pyth. II, 34, ubi vitiose *Κλεόφρων* et alia errata. — Ceterum haec narratio tecte quidem a ceteris, Strabone, Aeliano, Clearcho περὶ βιῶν quarto apud Athen. XII. pag. 541, C — E, significata esse videtur, narrata a nemine; neque tamen ideo haec ad illustre illud Locrensium piaculum (vid. laudd. Wyttenbach. ad Plutarch. de sera numinis vind. p. 66 sq. [ed. a. 1772], Heyn. opusc. II. p. 53 sq.) referenda esse et ex errore inde orta putamus.

Veneris] Mss. Bong., 3 Gronov.: *Veneri.*

§ 3. *Lucanis*] qui illa aetate varia cum Graecis urbibus certamina inceperunt; cf. laudd. Heynii Opusc. V. II. p. 264 sqq.

§ 4. *iuratis*] Mss. Bong.: *iurari.*

virginibus voto civitatem solventibus fraudi esset, decretum facerent: Ne qua virgo nuberet, priusquam illae maritis traderentur. Probato 6
consilio, quo et superstitioni et pudicitiae virginum consulebatur, certatim omnes feminae impensius exornatae in templum Veneris conveniunt: quas omnes Dionysius immissis militibus spoliat orna- 7
mentaque matronarum in praedam suam vertit. Quarumdam viros 8
ditiores interficit; quasdam ad prodendas virorum pecunias torquet. Cum his artibus per annos sex regnasset, conspiratione Locrorum 9
civitate pulsus in Siciliam redit. Ibi Syracusas securis omnibus post 10
longam intercapedinem pacis per proditionem recepit.

IV. Dum haec in Sicilia geruntur, interim in Africa princeps 1
Carthaginiensium Hanno opes suas, quibus vires reipublicae superabat, ad occupandam dominationem intendit regnumque invadere interfecto senatu conatus est. Cui sceleri solemnem nuptiarum diem 2
filiae suae legit, ut religione votorum nefanda commenta facilius tegerentur. Itaque plebi epulas in publicis porticibus, senatui in do- 3
mo sua parat, ut poculis veneno infectis secretius senatum et sine arbitris interficeret orbamque rempublicam facilius invaderet. Qua 4
re magistratibus per ministros prodita scelus declinatum, non vindicatum est, ne in viro tam potenti plus negotii faceret res cognita quam cogitata. Contenti itaque cohibuisse decreto modum nuptia- 5
rum sumtibus statuunt; idque observari non ab uno, sed ab universis iubent, ne persona designata, non vitia correcta viderentur. Hoc consilio praeventus iterum servitia concitat statutaque rursus 6
caedium die, cum denuo se proditum videret, timens iudicium muni-

---

§ 9. *per annos sex*] sine dubio per plures; per *decem* vel minimo certe pauciores. Hic sane de corruptione antiquae scripturae: *per annos X reg.* in *annos sex* licet cogitare.

§ 10. *recepit*] Sic Bong., Goth., Crac.: quod eo magis necessarium est, quia in hoc facinore Siciliae rebus modum imponit, post digressionem ad easdem rediturus. Ob superius *redit* mutatum est inde ab Aldina in *recipit*, quod Gronovius in 6 interpolatis invenit (v. Addend.). Ita igitur hoc auctore legitur.

C. IV. Hannonis hoc inceptum, in solis historiis Philippicis servatum et ab Orosio inde repetitum IV, c. 6. p. 227, poni debet inter mortem maioris Dionysii et initum cum Timoleonte bellum, annos proinde 368 et 345 a. C. Mira incogitantia haec res ab auctore *historiae Carthaginis* plane omissa est.

§ 1. *ad occupandam*] Mss. Bong., 2 Gronov.: *in occ.*

§ 2. *filiae*] Oros.: *unicae filiae*, temere.

§ 5. *observari*] Mss. Bong.: *servari.*

non vitia] Sic Bong. sine v. l. et 4 Wopk.; Gronovius de suis plane tacet, tanquam exhiberent *sed vitia*, ut post Graevium ex edd. vett. legitur, quod recte Schefferus et Wopkens. non opus esse viderunt; ita tamen, ni fallor, Crac. et Prag.; Goth. dubium vocab. plane nescit. Codd. scriptura correctione ista aperte melior et scriptore nostro dignior; tuetur etiam Seidenstueckerus in *Rupertii* et *Schlichth. Comm. phil.* V. p. 3 sq.

tum quoddam castellum cum viginti millibus servorum armatis occu-
7 pat. Ibi dum Afros regemque Maurorum concitat, capitur virgisque caesus effossis oculis et manibus cruribusque fractis, velut a singulis membris poenae exigerentur, in conspectu populi occiditur; corpus
8 verberibus lacerum in crucem figitur. Filii quoque cognatique omnes, etiam innoxii, supplicio traduntur: ne quisquam aut ad imitandum scelus aut ad mortem ulciscendam ex tam nefaria domo superesset.

1 V. Interea Dionysius Syracusis receptus, cum gravior crudelior-
2 que in dies civitati esset, iterata conspiratione obsidetur. Tunc deposito imperio arcem Syracusanis cum exercitu tradidit; recepto-
3 que privato instrumento Corinthum in exsilium proficiscitur. Ibi humillima quaeque tutissima existimans in sordidissimum vitae genus
4 descendit: non contentus in publico vagari, sed potare; nec con-
5 spici in popinis lupanaribusque, sed totis diebus desidere; cum perditissimo quoque de minimis rebus disceptare; pannosus et squali-
6 dus incedere; risum libentius praebere quam captare; in macello
7 perstare; quod emere non poterat, oculis devorare; apud aediles adversus lenones iurgari: omniaque ita facere, ut contemnendus
8 magis quam metuendus videretur. Novissime ludimagistrum professus pueros in trivio docebat, ut aut a timentibus semper in publico
9 videretur aut a non timentibus facilius contemneretur. Nam licet tyrannus his vitiis semper abundaret, tamen simulatio haec vitiorum,

---

§ 7. *Maurorum*] Edd. vett. plurimae: *Mauritanorum;* sed illud Orosius quoque.

in crucem] Sic Bong. sine v. l., Leid. 5, coll. N., ubi ex vetustis vel servatum vel illatum est; Goth.; vulgo ex edd. vett.: *in cruce*, temere. Plautus Mil. IV, 4, 4: *figere palum in parietem*, de quo nemo dubitavit interpretum. — Oros. addit: *Haec temporibus Philippi gesta sunt.*

C. V. § 1. *receptus*] 2 Gronov.: *receptis.*

§ 2. *tradidit*] Sic Bong. et omnes codd.: verum unice, ut plus semel significavimus. Propter seq. *proficiscitur* ex edd. vett. male substituitur: *tradit.*

receptoque] i. e. retento sibi in traditione imperii; v. I. Fr. Gronov. h. l. et intt. ad Plaut. Trinumm. I, 2, 157.

§ 5. *pannosus et*] Sic mss. Bong. et reliqui, ut videtur; sed Bong.: *pannosusque*, ut edd. vett., e quibus hoc retentum puto.

§ 7. *apud aediles*] „quibus cura fornicum popinarumque fuit.“ *Bernecc.*

iurgari] Mss. Bong., Modii, 7 Gronov., Goth.: *iurgare:* ut reponendum esse videatur.

ita facere] Sic Bong., 3 Dorv., Goth., Prag.; suorum scripturam Gronovius non prodidit. Sed Scheffero auctore vulgo editur: *ista facere*, ut mss. Bong., edd. vett.: quod valde vereor ut Iustinus voluerit.

§ 8. Mss. Bong., Periz.: *ludim. se prof.* Bodl.: *ludimagisterium pr.*

§ 9. *tyrannus his vit.*] Bong., codd. praeter unum omnes, edd. vetustae et novae: *tyrannicis vitiis:* quod quomodo ad hunc diem interpretes intellexerint, non assequor. Scribendum facillima mutatione, quod dedimus et sententia postulat. V. supra c. 2, § 1 et Plutarch. Dion. p. 960

non naturae erat; magisque haec arte quam amisso regali pudore
faciebat, expertus, quam invisa tyrannorum forent etiam sine opi-
bus nomina. Laborabat itaque invidiam praeteritorum contemtu 10
praesentium demere; neque honesta, sed tuta consilia circumspicie-
bat. Inter has tamen simulationum artes insimulatus est adfectatae 11
tyrannidis; nec aliter quam dum contemnitur, liberatus est.

VI. Inter haec Carthaginienses tanto successu rerum Alexandri 1
Magni exterriti, verentes, ne Persico regno et Africam vellet adiun-
gere, mittunt ad speculandos eius animos Hamilcarem cognomento
Rhodanum, virum sollertia facundiaque praeter ceteros insignem.
Augebant enim metum et Tyrus urbs, auctor originis suae, capta 2
et Alexandria aemula Carthaginis in terminis Africae et Aegypti con- 3
dita et felicitas regis, apud quem nec cupiditas nec fortuna ullo 4
modo terminabantur. Igitur Hamilcar per Parmenionem aditu regis 5
obtento profugisse se ad regem expulsum patria fingit, militemque se
expeditionis offert. Atque ita consiliis eius exploratis in tabellis li- 6

---

extr. sq.: (Adulatores Dionysii) *εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς νέου τυράννου καὶ τεθραμμένου φαύλως ὁμιλίαν καὶ συνήθειαν ἡδοναῖς καὶ κολακείαις καταλαμβάνοντες ἀεί τινας ἔρωτας καὶ διατριβὰς ἐμνῶντο ῥεμβώδεις περὶ πότους καὶ γυναῖκας καὶ παιδιὰς ἑτέρας ἀσχήμονας· — ἡμέρας γὰρ (ὥς φασιν) ἐνενήκοντα συνεχῶς ἔπινεν ἀρξάμενος καὶ τὴν αὐλὴν ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ σπουδαίοις ἀνδράσι καὶ λόγοις ἄβατον καὶ ἀνείσοδον οὖσαν μέθαι καὶ σκώμματα καὶ ψαλμοὶ καὶ ὀρχήσεις καὶ βωμολοχίαι κατεῖχον·* turpiora etiam quae de Locrensi exilio narrantur. — Unus cod. Bong.: *tyrannus vit.;* edd. aliquot vett.: *tyranni vit.*, arbitraria mutatione.

naturae] Eleganter I. Fr. Gronov. post Freinshemium: *natura;* vid. Wopkens.

§ 11. *simulationum*] Hoc unde sit non inveni. Bong., ut vett. edd.: *dissimulationum*, ut Goth., qui saepe ex edd. correctus est; Prag.: *dissimulationis.* Gronov. tacet. Exspecto hic repetitam codd. collationem.

artes insim.] 7 Gronov., Goth., Prag., 4 mss. et edd. vett. Bongarsii: *artes ter insim.:* „quod fort. est ex posteriore syllaba *τοῦ artes.*" *Bong.* Res ignota.

C. VI. V. supra XII, 13, 1; Frontin. strateg. I, 2, § 3. *St. Croix, examen crit. des hist.* p. 480. Boettich. p. 141 sq.

§ 1. *regno et Africam*] Mss. Bong.: *regnum et Africum;* 7 Gron., Goth., Crac.: *Africum.*

Rhodanum] Sic etiam Oros., Vincent. et Bong., qui in notis: „Quidam mss.: *Rodonum*, alii *Rodonem*"; in V. L.: „Mss. *Rhodonem.* al. *Rodonum.* al. *Ronannum* [? *Roxannum*, ut Leid. 5, Med. 1, Bodl.]." Prag.: *Rosanum.* Goth. et Med. 2 ut editur. Dorvilliani: *Rodonum* et *Rhodonem*, ut Crac. et Magl. Quartus Reg.: *Rhodium*, ut nonnulli ap. Frontin.; quocum confert Gronov. Polybium I, 46: *Ἀννίβας ἐπικαλούμενος Ῥόδιος.* Frontin.: *Rhodinum*, quod Schefferus malit.

§ 2. *Tyrus*] 5 Gronov.: *Tyros;* v. p. 906.

§ 5. *Parmenionem*] Sic Bong. et codd. Gronov.: *Parmeniona*, quod habet tamen Vinc. Bellov. V, 63, fort. ex seq. *aditu.* Deinde pron. *se* deest in mss. Bong., 2 Gronov.

§ 6. Vinc. Bell.: *exploratis eius cons.*

gneis vacua desuper cera inducta civibus suis omnia perscribebat.
7 Sed Carthaginienses post mortem regis reversum in patriam, quasi urbem regi venditasset, non ingrato tantum, verum etiam crudeli animo necaverunt.

---

§ 7. *verum etiam crudeli*] Sic Crac.; Prag.: *verum et crud.* Bong. sine v. l., Goth. et alii procul dubio permulti: *verum etiam et crud.*, quod olim fortasse vindicabitur. Vulgo, ut Graevius ex Iuntina reposuit: *verum etiam invido et crud.*; quod e Franc. Asulani ingenio vel arbitrio provenit.

LIBER XXII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXII.*)

Secundo et vicesimo volumine continentur haec. Res gestae Agathoclis: ut a Poenis nanctus[1]) imperium bellum cum ipsis gessit, primum in Sicilia; dehinc victus traiecit in Africam, ubi possessa[2]) provincia Ophellam[3]), regem Cyrenarum, interfecit. Ut rursus in Siciliam reversus, occupata totius insulae dominatione cum revertisset in Africam, amissis copiis solus inde profugit in Siciliam: belloque ibi repetitus[4]) et cum Poenis pacem composuit et dissidentes a se Siculos subiecit[5]).

---

[1]) Sic codd.; al.: *nactus.*
[2]) Periz., Crac.: *obsessa.*
[3]) Codd.: *Opellam*; v. ad c. 7, § 4. Crac.: *Opelum.*
[4]) i. e. iterum petitus. Sed dubitabat de hac significatione Grauertus et correxit: *petitus*; quod in hac prologorum latinitate necessarium non erat. Plura igitur hostilia tum passus esse videtur Agathocles quam narrat Diod. XX, 77 sq.
[5]) Leidd. 1. 2, coll. C. C.: *eiecit.* — V. Diod. XX, 89 sqq.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Agathoclis, Siciliae tyranni, pueritia, adolescentia, misera conditio, felicitas bellica, nova dignitas, perfidia, crudelitas, tyrannis.*

2. *Carthaginienses in Hamilcarem proditorem tacita suffragia ferunt.*
3. *Bella Agathoclis.*
4. *Syracusis a Carthaginiensibus obsessis Agathocles audaci consilio bellum in Africam transfert.*
5. *Exposito in litore Africae exercitu gravi oratione suos ad pugnam accendit.*
6. *Discussa superstitionis nebula et navibus incensis Carthaginienses proelio superat et urbes nobilissimas capit.*
7. *Siciliam Carthaginienses relinquere coguntur et infeliciter cum Agathocle pugnant in Africa. Fatum acerbum Ophellae et Bomilcaris.*
8. *Agathocles totius Siciliae imperium occupat; in Africam reversus infeliciter pugnat; castra deserit: unde militum defectio et filiorum Agathoclis interitus; et Agathoclis pax inita cum Carthaginiensibus.*

I. Agathocles, Siciliae tyrannus, qui magnitudini prioris Dio- 1
nysii successit, ad regni maiestatem ex humili et sordido genere pervenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus non honestiorem pueri- 2
tiam quam principia originis habuit: siquidem forma et corporis 3
pulchritudine egregius diu vitam stupri patientia exhibuit. Annos 4
deinde pubertatis egressus libidinem a viris ad feminas transtulit. Post haec apud utrumque sexum famosus vitam latrociniis mutavit. 5
Interiecto tempore, cum Syracusas concessisset adscitusque in civi- 6
tatem inter incolas esset, diu sine fide fuit: quoniam nec in fortunis 7
quod amitteret, nec in verecundia quod inquinaret, habere videbatur: in summa gregariam militiam sortitus non minus tunc seditiosa 8
quam antea turpi vita in omne facinus promtissimus erat. Nam et 9
manu strenuus et in concionibus perfacundus habebatur. Brevi ita- 10

Agathoclis res Timaeus Tauromenita quinque postremis libris complexus fuerat; ab eo autem Trogum non ubique pependisse, ut vulgo statuunt (v. Goellerum ad *fragg. Tim.* p. 241 sqq.), persuadet consensus cum Diodoro, qui prudenti temperamento inter laudatores et obiurgatorem Agathoclis usus est; v. Heyn. *de fontib. hist.* Diod. p. LXXXVIII sq. Bip.

C. I. § 2. *patre*] Abest a mss. Bong., coll. C. C. „Multoties omittunt librarii, quae abesse possunt." *Wopkens.*

§ 5. *latrociniis mutavit*] i. e. priorem vitam commutavit latrociniis, quae iam nunc agere parabat; vitam ad latrocinia transtulit. Male Wetzelius.

§ 6. *adscitusque*] Sic Vincent. Bellov. V, c. 11 et Leid. 1, sive potius *ascit.*; recte; v. I. Fr. Gronov., Graev. Bong. et codd.: *accitusq.*, quod hic tolerari non potest; vid. Scheffer. Goth.: *adcit.* — Iam Fr. Asulanus in Aldina ediderat: *adscitusq.*

11 que centurio ac deinceps tribunus militum factus est. Primo bello
12 adversus Aetnaeos magna experimenta sui Syracusanis dedit. Se-
quenti Campanorum tantam de se spem omnibus fecit, ut in locum
13 demortui ducis Damasconis sufficeretur: cuius uxorem adulterio cogni-
14 tam post mortem viri in matrimonium recepit. Nec contentus, quod
ex inope repente dives factus esset, piraticam adversus patriam
15 exercuit. Saluti ei fuit, quod socii capti tortique de illo negave-
16 runt. Bis occupare imperium Syracusarum voluit: bis in exsilium
actus est.

1 II. A Murgantinis, apud quos exsulabat, odio Syracusanorum
2 primo praetor, mox dux creatur. In eo bello et urbem Leontino-

---

§ 11. *Aetnaeos*] Sic Bong. et codd. omnes praeter 1 Bong., qui: *Aethinaeos*; Periz.: *Etheos*, unde facile oriebatur quod in Goth. est: *Acheos*. Bernecc.: „Quid si *Enneos* aut *Ennenses* legas?“ Sed verum est, quod Iustinus scripsit. Nam Ol. 110, 2, quo Agathocles vigesimum annum sine dubio iam egerat (v. Wessel. ad Diodor. XIX, 2, nr. 5), sub Timoleonte Syracusani cum *Aetnaeis* pugnabant, Timoleonque τοὺς ἐν Αἴτνῃ Καμπάνους ἐκπολιορκήσας διέφθειρε (Diod. XVI, 82). Sic etiam apparet, quid in seq. § Iustinus erraverit: bellum ibi narrat cum *Agrigentinis* duce Damante gestum, ut collatus docebit Diodor. XIX, 3; sed obversantes etiamnum menti *Campanos*, quos Aetnae Timoleon deleverat, socios Carthaginiensium (v. Steph. Byz. v. Ἔντελα), his rebus per negligentiam intulit.

sui Syracus.] „Haec usque ad *locum* absunt a bonis libris: quia tamen sine iis manca esset oratio et in uno ms. reperiuntur, nihil mutare ausus sum: quamvis ea mihi valde suspecta sint.“ *Bong.* Immerito quidem: nam si Iustinum cum Diodoro et animadversiones nostras contuleris, non „*plurimum*“, ut ait Bongars., sed vix semel iterumve a nostro scriptore Diodorum discrepantem deprehendes. Vides autem ex eiusmodi locis, optimos illos Bongarsii ex uno libro antiquissimo derivatos esse: id quod multis modis, si locus sineret, ostendere esset in proclivi. Non reiicienda tamen ideo et pro spuriis habenda esse verba, quae ibi deerant: *sui Syr.* — *locum*, sed a correctoribus codicum ex genuinis aeque libris suppleta esse cognosces, quando legeris quae egregii viri *Ebertus* et *Perzius* de historia ac fatis librorum per medium aevum scripserunt.

§ 12. *Campanorum*] imo Agrigentinorum; v. ad § praeced. — Glareanus: „Suspicor legendum: *Cataneorum*.“

in locum demortui d. Damasconis] (Edd. vett.: *Damascenis*; Goth.: *Damaschontis*.) Diodorus *Damantem* vocat. In locum eius suffectum esse Agathoclem Diodorus, ut arbitror, oblitus est narrare. — Mss. Bong.: *experimenta* (§ 11), *cum Demortui*; al.: *exp. cum in locum Dem.*; al.: *exp. dedit. cum de* (cui suprascr. *loco*) *mort.* Goth.: *mortui.*

§ 14. *piraticam adv. patr. exercuit*] sine dubio cum expulsus a Sosistrato tyranno in Magnae Graeciae urbibus commorabatur, Diod. 4. — Haec omnia Timaei sunt.

§ 16. Semel factum erat sub Acestoride imperatore; Diod. 5; quando iterum, nemo prodidit.

C. II. § 1. 2. Haec non narrat, sed ut facta respicit Diodor. 5 lin. 23 sq., 6, l. 47 sqq. — Unus Bong.: *Mirgant.*; Goth.: *Ming.*; Prag.: *Ab Agrigentinis.*

rum capit et patriam suam Syracusas obsidere coepit: ad cuius auxi- 3
lium Hamilcar, dux Poenorum, imploratus depositis hostilibus odiis praesidia militum mittit. Ita uno eodemque tempore Syracusae et 4
ab hoste civili amore defensae et a cive hostili odio impugnatae sunt. Sed Agathocles, cum videret fortius defendi urbem quam oppugnari, 5
precibus per internuntios Hamilcarem exorat, ut inter se et Syracusanos pacis arbitria suscipiat, peculiaria in ipsum officia sui repromittens. Qua spe impletus Hamilcar societatem cum eo metu po- 6
tentiae eius iungit: ut quantum virium Agathocli adversus Syracusanos dedisset, tantum ipse ad incrementa domesticae potentiae reciperaret. Igitur non pax tantum Agathocli conciliatur, verum etiam 7
praetor Syracusis constituitur. Tunc Hamilcari expositis ignibus 8
Cereris tactisque in obsequia Poenorum iurat. Deinde acceptis ab 9
eo quinque millibus Afrorum potentissimos quosque ex principibus interficit: atque ita veluti reipublicae statum formaturus populum in 10
theatrum ad concionem vocari iubet contracto in gymnasio senatu, quasi quaedam prius ordinaturus. Sic compositis rebus immissis 11

---

§ 3. Brevius indicat Diod. 5 l. 22. 24 sqq.

§ 6. *metu potentiae*] Med. 2, Magl.: *mutuae pot.*

ad incrementa] Mss. Bong., Leidd. 1. 3. 4: *ad crementa;* v. Gronovium p. 907.

§ 7. *conciliatur*] Mss. Bong.: *cum civibus concil.:* quod facile excidere poterat ac nescio an genuinum est.

§ 8. *expositis ignibus Cereris*] Sic codd. omnes, nisi quod *cereis*, ex errore antiquae scripturae; *Cereris* invenit Sebisius, confirmavit I. Fr. Gronovius, exhibet cod. Med. 2. Sed aliae supererant dubitationes, quas vide ap. interpp.; *tangi* tamen *ignes Cereris* recte dicuntur; nam intelliguntur, inquit I. Fr. Gronov., altaria, in quibus foculus accensus fuit; neque Virgilii versus: *Tango aras mediosque ignes et numina* (Aen. XII, 201), quem Bernecceru laudaverat, repeti a Beneckio debebat, quod voc. *que* iam ab Heinsio ex optimis e. c. Pierii libris deleta fuerat. Moris exempla habes ap. Bernecc. ad XXIV, 2, § 8. Difficilius explicatu esse videbatur vox *expositis*, quam ferme omnes vexarunt; sunt autem ignes, ad quorum adspectum iam populus universus admittebatur (male Gronov. p. 907); Diodorus c. 5: (Agathocles) *παραχθεὶς εἰς τὸ Δήμητρος ἱερὸν ὑπὸ τῶν πολιτῶν ὤμοσε μηδὲν ἐναντιωθήσεσθαι τῇ δημοκρατίᾳ* (in obsequia Poenorum eundem iurasse simul, Diodorus narrare neglexit). Locum igitur post coniecturam Sebisii, quam cum Gronov. etiam Wessel. probat ad l. l. Diod. nr. 26, integrum censemus. Schefferus: *Hamilcari aris, positis ign. Cer., tactisque;* Nic. Heinsius: *Hamilcari aris rex positis insigni ceremonia* [v. ad II, 6, § 6] *tactisque;* Graevius: *H. aris positis et ign.* cett.

§ 9. Diodorus 6. l. 49 sqq.

potentissimos] Mss. Bong. et Modii Fuldenses: *potissimos*, e compendio.

§ 10. *gymnasio*] Timoleonteo. Gronovius corrigenti Fabro obsecutus edidit: *in gymnasium,* quod in Magl. invenerat; inutiliter; v. Beneck.

12 militibus populum obsidet, senatum trucidat: cuius peracta caede
ex plebe quoque locupletissimos et promtissimos interficit.
1 III. His ita gestis militem legit exercitumque conscribit: quo
instructus finitimas civitates nihil hostile metuentes ex improviso ad-
2 greditur. Poenorum quoque socios permittente Hamilcare foede
vexat: propter quod querelas Carthaginem socii non tam de Aga-
3 thocle quam de Hamilcare detulerunt, *hunc ut dominum et tyrannum,*
illum ut proditorem arguentes: *a quo infestissimo hosti fortunae so-*
4 *ciorum interposita pactione donatae sint: sicut ab initio Syracusae in*
pignus societatis sint traditae, urbs semper Poenis infesta et de impe-
rio Siciliae Carthaginis aemula, nunc insuper civitates sociorum eidem
5 *titulo pacis addictas. Denuntiare igitur se haec brevi ad ipsos redun-*
datura ac propediem sensuros, quantum malum non Siciliae magis
6 *quam ipsi Africae attulerint.* His querelis senatus in Hamilcarem ac-
cenditur: sed quoniam in imperio esset, tacita de eo suffragia tule-
runt et sententias, priusquam recitarentur, in urnam coniectas ob-
signari iusserunt, dum alter Hamilcar, Gisgonis filius, a Sicilia re-
7 verteretur. Sed haec callida commenta Poenorum et sententias inau-
ditas mors Hamilcaris praevenit, liberatusque est fati munere, quem
8 sui per iniuriam cives inauditum damnaverant. Quae res Agathocli

---

§ 12. *quoque*] Magl., Crac., ed. Rom.: *quosque.*

C. III. § 2. *foede vexat*] non diserte narrat Diod.

§ 4. *ab initio*] Desunt in mss. Bong., coll. C. C., Leid. 4.

civitates soc. eidem (Agathocli) *tit. pacis add.*] Intelligit pacem cum Agrigentinis, Gelois et Messeniis Agathocli ab Hamilcare conciliatam; Diod. XIX, 71 coll. 72, l. 65 sq.

§ 5. *malum*] Ita Bong., proinde optimi eius (nam ante eum edd.: *mali*), dimidia pars Gronov., Goth., 2 Wopk., in quibus Franecq. Extenuarunt sententiam, qui post I. Fr. Gronov. scripserunt *mali*, ut mss. aliquot Bong., 7 Gronov., 2 Dorv.; sic Gronov.

§ 6. *Gisgonis*] Hoc ob consensum et constantiam codd. paene omn., etiam Goth. et Prag., in barbaro nomine restitui ubique. Vulgo: *Gisconis; gr. Γίσκων:* ad quam scripturam defendendam quod proferri poterat, habes ap. Gron. p. 908.

a Sicilia] imo *in Siciliam*, ut Freinshemius legendum praecepit.

§ 7. *sententias inauditas*] „suffragia tacita illa, quorum paulo ante meminit.“ *Graevius.* Sic autem edd. vett., Goth., Prag., Crac.; quibuscum consentire Anglorum codd. videntur; quid in Gronovianis legatur, nescimus; Bongarsiani tamen omnes: *sent. inaudita* (unus: *audita*) *mors* i. e. cognita; sed hoc ut sententia loci ferat, (mortis nuntius praevenit, quominus senatus consulta et commenta exsequerentur) linguae usus repudiare videtur; nam „verbi *inaudire*, recte observante P. Manutio ad Cic. epp. ad Attic. VI, 1, p. 171 Graev., vis haec est, ut non nisi de rebus occultis usurpetur;“ neque participium eius verbi usquam animadverti. Faber, q. v., vocabula *et sent. inaud.* spuria iudicat.

§ 8. *Quae res*] Omisit certamina cum Dinocrate, exsulum Syracusanorum duce, quem Carthaginienses auxiliis adiuverant; Diodor. 103. 104. Adde eund. c. 60, l. 94 sqq.

adversus Poenos occasionem movendi belli dedit. Prima igitur illi 9
cum Hamilcare, Gisgonis filio, proelii congressio fuit: a quo victus
maiori mole reparaturus bellum Syracusas concessit. Sed secundi 10
certaminis eadem fortuna, quae et prioris, fuit.

IV. Cum igitur victores Poeni Syracusas obsidione cinxissent, 1
Agathocles, cum se neque viribus parem neque ad obsidionem ferendam instructum videret, super haec a sociis crudelitate eius offensis desertus esset: statuit bellum in Africam transferre: mira 2
prorsus audacia, ut, quibus in solo urbis suae par non erat, eorum urbi bellum inferret, et qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena victusque victoribus insultaret. Huius consilii non minus admirabile 3
silentium quam commentum fuit. Populo hoc solum professus, *invenisse se victoriae viam: animos illi tantum in brevem obsidionis patientiam firmarent; vel, si cui status praesentis fortunae displiceret, dare se ei discedendi liberam potestatem.* Cum mille sexcenti disces- 4
sissent, ceteros obsidionis necessitate frumento et stipendio instruit; quinquaginta tantum secum talenta ad praesentem usum aufert, cetera ex hoste melius quam ex sociis paraturus. Omnes deinde ser- 5
vos militaris aetatis libertate donatos sacramento adegit, eosque et maiorem partem ferme militum navibus imponit, ratus exaequata utriusque ordinis conditione mutuam inter eos virtutis aemulationem futuram; ceteros omnes ad tutelam patriae reliquit.

V. Septimo igitur imperii anno comitibus duobus adultis filiis, 1

---

§ 9. 10. Cf. Diod. 106—110. — Factum Ol. 97, 2.
maiori] Sic Bong. et codd. Gronoviani. Vulgo: *maiore.*
mole] Mss. Bong., Periz.: *dolo.*

C. IV. § 1. *Syracusas obsidione cinxissent*] id iterum narrare oblitus est Diod. lib. XIX extr.; nam XX, 5 idem Carthaginiensium stationes Syracusis tam prope admotas fuisse significat, ut Agathocles aliquamdiu portu exire non posset. Valer. Max. VII, 4, extr. 1: *Cum urbem eius* (Agathoclis) *maiore ex parte Carthaginienses occupassent, exercitum suum in Africam traiecit, ut metum metu, vim vi discuteret.*

Ag., cum se] Sic Bong. ut ex optimis suis, Gronoviani 4 et Thuan. a sec. m. neque offensioni est; v. notam Wopkens. Crac.: *Ag. quoque cum se.* Emendatricem manum satis aperte prodit altera scriptura: *Ag., quod se*, quae est in aliquot mss. Bong., 5 Gronov., Goth. Post Graevium ex edd. vett. legitur: *Agathoclesque se*, non sine aliquo periodi detrimento.

§ 3. *si cui*] *si* abest a mss. Bong., Goth.

§ 4. *obsidionis necessitate*] Sic Bong. e suis praeter unum, Thuan., Leidd. 1. 3. 4, qui ceteris magis genuini. De duobus ablativis v. Wopk. ad IX, 7, § 12. Burmann. ad Ovid. Metam. XIII, 216. p. 874. Vulgo cum edd. vett.: *ad obs. necessitatem.* Etiam Prag. praepos. nescit.

§ 5. *adegit*] 6 codd. Gronov.: *adigit:* cur non hoc etiam recepit? sequitur: *imponit.* Sic etiam Goth., Crac. Sed conf. ad I, 3, § 5 et alibi. Male iidem: *relinquit.*
et mai. partem] Mss. Bong., coll. C. C.: *ex maiori parte.*
ceteros] sub fratre Antandro.

C. V. § 1. *Septimo imper. anno*] Ob solis qui insecutus est defe-

Archagatho et Heraclida, nullo militum sciente quo veheretur, cur-
2 sum in Africam dirigit. Cum omnes aut in Italiam praedatum se
aut in Sardiniam ituros crederent, tum primum, exposito in Africae
3 litore exercitu, consilium suum omnibus aperit. Quo in loco Syra-
cusae positae sint, ostendit: *quibus aliud nullum auxilium superesset,*
4 *quam ut hostibus faciant, quae ipsi patiantur. Quippe aliter domi,*
aliter foris bella tractari. Domi ea sola auxilia esse, quae patriae
vires subministrent: foris hostem etiam suis viribus vinci, deficientibus
5 *sociis et odio diuturni imperii extera auxilia circumspicientibus. Huc*
accedere, quod urbes castellaque Africae non muris cinctae, non in
montibus positae sint, sed in planis campis sine ullis munimentis ia-
ceant: quas omnes metu excidii facile ad belli societatem perlici posse.
6 *Maius igitur Carthaginiensibus ab ipsa Africa quam ex Sicilia exar-*
surum bellum, coituraque auxilia omnium adversus unam urbem no-
mine quam opibus ampliorem, et quas non attulerit vires, inde sumtu-
7 *rum. Nec in repentino Poenorum metu modicum momentum victoriae*
8 *fore, qui tanta audacia hostium perculsi trepidaturi sint. Accessura*
et villarum incendia, castellorum urbiumque contumacium direptionem,
9 *tum ipsius Carthaginis obsidionem. Quibus omnibus non sibi tantum*
10 *in alios, sed et aliis in se sentient patere bella. His non solum Poenos*
vinci, sed et Siciliam liberari posse: nec enim moraturos in eius ob-
11 *sidione hostes, cum sua urgueantur. Nusquam igitur alibi facilius*
bellum, sed nec praedam uberiorem inveniri posse: nam capta Cartha-
12 *gine omnem Africam Siciliamque praemium victorum fore. Gloriam*
certe tam honestae militiae tantam in omne aevum futuram, ut termi-
nari nullo tempore oblivione possit: ut dicatur eos solos mortalium esse,
qui bella, quae domi ferre non poterant, ad hostes transtulerint victi-
13 *que victores insecuti sint et obsessores urbis suae obsederint. Omnibus*
igitur forti ac laeto animo bellum ineundum, quo nullum aliud possit
aut praemium victoribus uberius aut victis monumentum illustrius dare.

---

ctum hic annus adeoque dies accuratissime constitui potest: invenerunt *annum* 309 *a. C.* Augusti mensis diem XV. Vide peritorum sententias in Bodii *Astronomisches Taschenbuch auf das Jahr* 1824.

Archagatho] Bong. ubique, ut Goth.: *Archagato.* (Cf. Wessel. ad Diod. XX, 11, n. 64.)

§ 4. *extera*] Bong.: *externa*, ut edd. vett., e quibus fortasse remansit; ita 6 Gronov. peiores, Goth., Prag., Crac.; XL, 1, § 1 tamen *externa auxilia* habes sine v. l., ut h. l. dubium sit.

§ 7. *Nec in*] Mss. Bong.: *Et in*, ob praeced. *m.*

§ 12. *tempore oblivione*] Mss. Bong., 5 Gronov., 4 Wopk., Goth., Crac.: *oblivionis;* unde Med. 2: *oblivionis silentio.* In eiusmodi interpolatione hunc librum saepissime deprehendas.

victique vict.] rhetorice; quod qui nimium putarent, scripserunt: *ultroque victores*, ut legitur in mss Bongars. (*utroque* vitium typogr. est), 5 interpolatis Gronov., 4 Wopk., Goth., Crac., Prag., edd. vett. Schefferus: *ultroque victi victores.*

VI. His quidem adhortationibus animi militum erigebantur; sed 1
terrebat eos portenti religio, quod navigantibus eis sol defecerat.
Cuius rei rationem non minore cura rex quam belli reddebat adfir- 2
mans: *si prius quam proficiscerentur, factum esset, crediturum ad-
versum profecturos prodigium esse: nunc quia egressis acciderit, illis,
ad quos eatur, portendere. Porro defectus naturalium siderum sem-* 3
*per praesentem rerum statum mutare; certumque esse florentibus Car-
thaginiensium opibus et laboribus adversisque rebus suis commutationem
significari.* Sic consolatis militibus universas naves consentiente 4
exercitu incendi iubet, ut omnes scirent auxilio fugae ademto aut
vincendum aut moriendum esse. Deinde cum omnia, quacumque 5
ingrederentur, prosternerent, villas castellaque incenderent, obvius
ei fuit cum triginta millibus paganorum Hanno: sed proelio com- 6
misso duo de Siculis, tria millia de Poenis cum ipso duce cecidere.
Hac victoria et Siculorum animi eriguntur et Poenorum franguntur. 7
Agathocles victis hostibus urbes castellaque expugnat, praedas in- 8
gentes agit, hostium multa millia trucidat. Castra deinde in quinto 9

C. VI. § 1. *navigantibus eis*] Sic Bong., Gronovii plures, Goth. al. Sed Gronovius ut elegans reposuit *navig. sol*, omisso pronomine; sic unus tantum e Bongarsianis, 2 Medd., Thuan., coll. N. et „Leidenses", in quib. omnibus deesse non credam.

sol defecerat] Wessel. ad Diod. XX, 6, n. 68; supra ad 5, § 1.

§ 2. *factum esset*] Mss. Bong., Leid. 4: *factus esset.*

adversum profecturos] genuinum; v. Wopkens. ad h. l. Post J. Fr. Gronovium Graevius: *adv. profecturis.*

§ 3. *opibus et laboribus adv.*] Bong. et codd. longe plurimi: *opibus adversisque r.;* sed e Leidd. 2. 5, Bodl., duobus Medd. Gronov. edidit: *opib. et laboribus adv.*, melius sane et veri simile est librarios aberrasse ab OPIBUS ad ORIBUS, ut saepissime factum in Bongarsianis.

§ 5. *quacunque*] Mss. Bong., Franecq., 2 Dorv.: *quaec.* Prag.: *quaec. aggred.*

ei f.] Sic mss. Bong. omnes; ex reliquis nihil enotatur. Vulgo: *eis f.* Agathocles superioris § nomen subiectum fuit.

paganorum] Hoc reponere ausus sum e mss. nescio quot Bongars., 4 Gronov., coll. C. C., Goth. (inde etiam coll. N.: *pugnatorum dux Hanno Poenorum;* Med. 2: *aganorum dux Poen. H.*) Invadente autem Agathocle et per rura hostiliter grassante pagani in urbem confugerant; accessit quod *στρατόπεδον* (conductitium vel mercenarium) *οὐκ ἦν ἕτοιμον τὸ δυνάμενον ἀντιτάξασθαι.* Quidni igitur *paganis* sub signis esse iuberent? inde etiam explicari potest nostri et Diodori dissensus in numero copiarum; mercenarios enim noster omisit. Diodorus: 40 millia peditum, mille equites, duo millia curruum. — Vulgo, ut Oros., reliqui codd. et Bong.: *Poenorum.*

Hanno] et Bomilcar diversae factionis: quem cur omiserit Iustinus, ex ipsa pugnae narratione apparet, Diod. 10—12. 1 Bong. et ms. Oros.: *XX mill.*

§ 6. In numero caesorum valde dissentiebant scriptores; v. Diod. 13, ib. Wess.

§ 9. *in quinto lap.*] Sic mss. Bong. et 11 Gronov. (nisi quod aliqui

lapide a Carthagine statuit, ut damna carissimarum rerum vastita-
temque agrorum et incendia villarum de muris ipsius urbis specula-
10 rentur. Interea ingens tota Africa deleti Poenorum exercitus fama
11 occupatarumque urbium divulgatur. Stupor itaque omnes et admi-
ratio incessit, unde tanto imperio tam subitum bellum, praesertim
ab hoste iam victo; admiratio deinde paullatim in contemtum Poeno-
12 rum vertitur. Nec multo post non Afri tantum, verum etiam urbes
nobilissimae novitatem secutae ad Agathoclem defecere; frumento-
que et stipendio victorem instruxere.

1 VII. His Poenorum malis etiam deletus in Sicilia cum impera-
2 tore exercitus velut quidam aerumnarum cumulus accessit. Nam
post profectionem a Sicilia Agathoclis in obsidione Syracusarum
Poeni segniores redditi ab Antandro, fratre regis Agathoclis, occi-
3 dione caesi nuntiabantur. Itaque cum domi forisque eadem fortuna
Carthaginiensium esset, iam non tributariae tantum ab his urbes,
verum etiam socii reges deficiebant, amicitiarum iura non fide, sed
4 successu ponderantes. Erat inter ceteros rex Cyrenarum *Ophellas* *,
qui spe improba regnum totius Africae amplexus societatem cum
Agathocle per legatos iunxerat; pactusque cum eo fuerat, ut Sici-
5 liae illi, sibi Africae imperium victis Carthaginiensibus cederet. Ita-
que cum ad belli societatem cum ingenti exercitu ipse venisset, Aga-
thocles blando adloquio et humili adulatione, cum saepius simul
coenassent adoptatusque filius eius ab *Ophella* * esset, incautum in-

* *Aphellas*; *Aphella*

---

accus. addunt), omnes Wopk., Goth., Crac., Prag. Sed Bong.: *quinto l.*, quod non necessario repudiandum erat. — Intelliguntur castra ad *Tunetem* posita.

§ 12. *urbes nob.*] Graevius h. l. ex Iuntina sua contra scriptos libros omnes: *urb. tributariae nobil.*, quod edidit Gronov. Vere Fischerus: „Videtur *τὸ tribut.* huc translatum esse ex c. 7. s. 3.“ — Idem Gronov. pro more: *Agathoclen.*

C. VII. § 1. *cum imperatore*] Diod. c. 29 fin., ubi pro *ἐγκαταλιπόντων αὐτὸν τῶν στρατιωτῶν μόγις σωθεὶς ὑπὸ τῶν Συρακοσίων συνηρπάγη* cum Carolo Sintenis (*Obss. critt. in Diod.*, Servestae 1829. p. 18) legendum est: *μονωθείς*.

§ 2. *Antandro*] praefecto urbi relicto. 1 Bong.: *Adrando*; Goth.: *Atrondo.* Oros.: *Andro*, *Agathoclis frater.*

§ 4. *Aphellas*] Sic vel *Affellas* nullo excepto Bongarsiani, Gronoviani, Crac., Goth.; *Apellas*, deinde *Afellas* 3 codd. Oros.; Freculph.: *Asellas*, ut Prag.; quid in vetustioribus prologi mss. legatur, non satis constat: Bong. etiam ibi: *Aphellam.* Constans est igitur in his lit. *A.* Graeci tamen vel *Ὀφέλλας* vel *Ὀφέλτας*, ut edd. vett. nostri et Oros., Dorv. ap. Wopk.; v. interpp. ad h. l. et Wessel. ad Diodor. XVIII, 21, n. 76.

cederet] Mss. Bong.: *acced.*

terficit; occupatoque exercitu eius iterato Carthaginienses omnibus 6
viribus bellum cientes magno utriusque exercitus sanguine gravi proelio superat. Hoc certaminis discrimine tanta desperatio illata Poenis 7
est, ut, nisi in exercitu Agathoclis orta seditio fuisset, transiturus ad eum Bomilcar, rex Poenorum, cum exercitu fuerit. Ob quam 8
noxam in medio foro a Poenis patibulo suffixus est: ut idem locus monumentum suppliciorum eius esset, qui ante fuerat ornamentum honorum. Sed Bomilcar magno animo crudelitatem civium tulit, 9
adeo, ut de summa cruce, veluti de tribunali, in Poenorum scelera concionaretur, obiectans illis nunc *Hannonem falsa adfectati regni* 10
invidia circumventum; nunc *Gisgonis innocentis exsilium;* nunc *in Hamilcarem patruum suum tacita suffragia, quod Agathoclem socium illis facere quam hostem maluerit.* Haec cum in maxima populi con- 11
cione vociferatus esset, exspiravit.

VIII. Interea Agathocles profligatis in Africa rebus, tradito 1
Archagatho filio exercitu in Siciliam recurrit, nihil actum in Africa existimans, si amplius Syracusae obsiderentur. Nam post occisum 2
Hamilcarem, Gisgonis filium, novus eo a Poenis missus exercitus fuerat. Statim igitur primo adventu eius omnes Siciliae urbes audi- 3
tis rebus, quas in Africa gesserat, certatim se ei tradunt: atque ita pulsis e Sicilia Poenis totius insulae imperium occupavit. In Africam 4
deinde reversus seditione militum excipitur. Nam stipendiorum solutio in adventum patris dilata a filio fuerat. Igitur in concionem 5

---

§ 6. De hac victoria nihil Diodorus, nisi forte intelliguntur quae narrat XX, 38. 39 aliquantum aucta.

§ 7. Diodorus XX, 43: *καθ' ὃν καιρὸν Ἀγαθ. ἐπέθετο τοῖς περὶ τὸν Ὀφέλλαν, ὁρμῆσαι καὶ τοῦτον* (Bomilcarem) *συνέβη πρὸς τὴν δυναστεῖαν, ἀγνοούντων ἀμφοτέρων τὰ παρὰ τοῖς πολεμίοις πραττόμενα· οὔτε γὰρ Ἀγ. ἔγνω τὴν ἐπίθεσιν τῆς τυραννίδος καὶ τὴν ἐν τῇ πόλει ταραχὴν (ἐπεὶ ῥαδίως ἂν ἐκράτησε τῆς Καρχηδόνος* cett.), *οὔτε πάλιν οἱ Καρχηδόνιοι τὴν ἐπίθεσιν τὴν Ἀγαθοκλέους ἐπύθοντο. ῥαδίως γὰρ ἂν αὐτὸν ἐχειρώσαντο προσλαβόμενοι τὴν μετ' Ὀφέλλα δύναμιν.* Cett.

Bomilcar] 1 Bong.: *Hamilc.*, ut vulgati Orosii. Goth. ante: *Agathocli.*

rex Poen.] v. Bong.

§ 10. *Gisgonis*] v. ad c. 3, § 6. Vulgo: *Gisconis*, ut h. l. 2 Gron.

patruum] Mss. Bong.: *patrem.* — Gronov.: *Agathoclen*, ut seq. quoque cap. § 14.

C. VIII. § 1. *profligatis*] felicissime confectis; vid. Graev. et Beneck. — Factum est Ol. 118, 2.

§ 2. Non narratum a Diodoro, sed verisimillimum.

§ 3. Sic etiam prologus; sed moderatius paullo et accuratius Diod. c. 56 sq. 61—63.

§ 4. *reversus*] ob res filii adversas.

§ 5. *in conc.*] Sic omnes Gronov., 3 Dorv. apud Wopkens. p. 158, Goth., Prag., Crac.: ut verear, ne Bong. e suis corrigere sit oblitus,

vocatos blandis verbis permulsit: *stipendia illis non a se flagitanda*
esse, sed ab hoste quaerenda: communem victoriam, communem prae-
6 *dam futuram. Paullum modo adniterentur, dum belli reliquiae per-*
aguntur, cum sciant Carthaginem captam spes omnium expleturam.
7 Sedato militari tumultu interiectis diebus ad castra hostium exerci-
tum ducit: ibi inconsultius proelium committendo maiorem partem
8 exercitus perdidit. Cum itaque in castra fugisset versamque in se
invidiam temere commissi belli videret pristinamque offensam non
depensi stipendii metueret: concubia nocte solus a castris cum Ar-
9 chagatho filio profugit. Quod ubi milites cognovere, haud secus
quam si ab hoste capti essent, trepidavere, *bis se a rege suo in me-*
diis hostibus relictos esse proclamantes; *salutemque suam desertam ab*
10 *eo esse, quorum ne sepultura quidem relinquenda fuerit.* Cum persequi
regem vellent, a Numidis excepti in castra revertuntur, comprehenso
tamen reductoque Archagatho, qui a patre noctis errore discesserat.
11 Agathocles autem navibus, quibus reversus a Sicilia fuerat, cum
12 custodibus earumdem Syracusas defertur. Exemplum flagitii singu-
13 lare, rex exercitus sui desertor filiorumque pater proditor! Interim
in Africa post fugam regis milites pactione cum hostibus facta, inter-
14 fectis Agathoclis liberis Carthaginiensibus se tradidere. Archaga-
thus cum occideretur ab Arcesilao, amico antea patris, rogavit eum:
quidnam liberis eius facturum Agathoclem putet, per quem ipse liberis
careat? Tunc respondit *satis habere se, quod superstites eos esse Aga-*
15 *thoclis liberis sciat.* Post haec Poeni ad persequendum belli reli-
quias duces in Siciliam miserunt, cum quibus Agathocles pacem ae-
quis conditionibus fecit.

---

quod in edd. vett. legitur: *ad conc.*, quomodo sane alibi Iustinus; vid. Wopkens. ad XVI, 1, § 9; Gronov. h. l., qui *ad* servavit.

vocatos] Mss. Bong., Goth.: *vocatis.*

§ 8. *profugit*] quarto anno gesti in Africa belli.

§ 10. *reductoque*] Deest in mss. Bong., coll. C. C., Goth.

§ 14. *Arcesilao*] Bongars.: *Archesil.*, ut Prag. Alios quoque huius caedis participes fuisse ostendit Gronov. p. 912 e Polyb.

§ 15. *persequendum*] Mss. Bong.: *persequendi.*

LIBER XXIII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXIII.*)

Tertio et vicesimo volumine continentur haec. Ut Agathocles domita Sicilia bellum in Italia Bruttiis intulerit. Repetitae

inde Bruttiorum origines. Omnibus subactis rex seditione filii exheredati ac nepotis oppressus interiit. Inter peregrinos deinde milites eius et Siculos bellum motum[1]): quae causa Pyrrhum, regem Epiri, in Siciliam adduxit. Bella, quae[2]) Pyrrhus cum Poenis et Mamertinis ibi gessit: et [*ut*][3]) a Sicilia reversus in Italiam victus[4]) proelio a Romanis revertit[5]) in Epirum.

---

[1]) Quod Iustinus narrare omisit.
[2]) Ita scripsi cum Modio, probantibus interpp., confirmante ms. Reg. Ceteri: *bellaque*, contra morem prologorum.
[3]) *ut* inserui. Freinshem. et Vorstius corrigere maluerunt: *ut a Sic.*
[4]) Periz., Crac.: *victusque;* quod depravationis genus saepe obvium. Ita Modius.
[5]) 4 codd.: *revertitur.* — Crac.: *Cyprum.* Periz. *in* omittit.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Agathoclis in Italiam expeditio adversus Bruttios: quorum origo et potentia paucis perstringitur.*
2. *Agathocles vi morbi expugnatus revertitur in Siciliam: ubi turbae domesticae, quae uxorem et liberos Agathoclis in Aegyptum pellunt. Agathoclis obitus.*
3. *Pyrrhi Epirotae bella et res gestae cum in Sicilia, tum in Italia.*
4. *Hieronis, Siciliae principis laudatissimi, dignitas et virtus.*

I. Agathocles, rex Siciliae, pacificatus cum Carthaginiensi- 1
bus partem civitatium a se fiducia virium dissidentem armis
subegit. Dein quasi angustis insulae terminis clauderetur, cuius 2
imperii partem primis incrementis ne speraverat quidem, in Italiam transcendit, exemplum Dionysii secutus, qui multas civitates
Italiae subegerat. Primi igitur hostes illi Bruttii fuere, qui et fortis- 3
simi tum et opulentissimi videbantur, simul et ad iniurias vicinorum

---

C. I. § 1. *dissidentem*] Sic quicquid est codicum scriptorum; recte; v. Diod. XX, 89. 90. 101. At ex edd. vett. Graevius ceteris obsequentibus reposuit: *dissidentium*, alia sententia. Ita dum verbis nescio quem ornatum quaerunt, historiae gesta pessumdant.
§ 3. *Bruttii*] Sic h. l. Bong. etiam, qui supr. XX, 1: *Brutii*, ut utrobique Goth.

4 promti. Nam multas civitates Graeci nominis Italia expulerant;
5 auctores quoque suos Lucanos bello vicerant et pacem cum his ae-
6 quis legibus fecerant. Tanta feritas animorum erat, ut nec origini
7 suae parcerent. Namque Lucani iisdem legibus liberos suos, qui-
8 bus et Spartani, instituere soliti erant. Quippe ab initio pubertatis
in silvis inter pastores habebantur sine ministerio servili, sine veste,
quam induerent vel cui incubarent: ut a primis annis duritiae parci-
9 moniaeque sine ullo usu urbis adsuescerent. Cibus his praeda ve-
natica, potus aut lactis aut fontium liquor erat. Sic ad labores bel-
10 licos indurabantur. Horum igitur ex numero quinquaginta primo ex
agris finitimorum praedari soliti, confluente deinde multitudine sol-
licitati praeda, cum plures facti essent, infestas regiones reddebant.
11 Itaque fatigatus querelis sociorum Dionysius, Siciliae tyrannus, sex-
12 centos Afros ad compescendos eos miserat: quorum castellum pro-
ditum sibi per Bruttiam mulierem expugnaverunt; ibique civitatem
concurrentibus ad opinionem novae urbis pastoribus statuerunt;
13 *Bruttios*que se ex nomine mulieris vocaverunt. Primum illis cum
14 Lucanis, originis suae auctoribus, bellum fuit: qua victoria erecti,
cum pacem aequo iure fecissent, ceteros finitimos armis subegerunt;

---

§ 4. *civitates Graeci n.*] Terinam, Hipponium, Thurios, alias; Diod. XVI, 15.

expulerant] Bong. unus alterve: *extruserant.*

§ 5. *auctores* cett.] v. Cluverii *It. ant.* p. 1282 sq. et Niebuhr. *hist. Rom.* I. p. 97 sqq., hunc praesertim de *aequis legibus.*

§ 7. *Spartani*] v. supr. III, 2. 3.

§ 8. *sine veste*] Graevius coniecerat: *una veste*, coll. III, 3, § 5, nimis sollicite. Recte verbum *induerent* urget Scheffer.

§ 9. *potus aut l.*] Dorv. 3, ut vett. edd. plurimae: *p. mellis aut l.*

§ 10. *Horum*] iuvenum *ποιμαινόντων*, Strabo. — V. Diod. XVI, 15. Factum Ol. 106, 1 vel a. 396 a. C. Consentit Strabo VI, p. 176. l. 30. Cas.

sollicitati] Gronov. coni.: *sollicitata.*

§ 12. *per Bruttiam mulierem*] Errorem in his latere epitomatoris suspicor. Nam Iornandes, qui Trogo frequenter usus est, *de reb. Get.* c. 30: *Brutiorum regio*, inquit, — *nomen quondam a Brutia sortitur regina;* quod ne corruptum putes, eodem modo repetit Paulus Diacon. *de gest. Long.* II, 17. Alii *Bruttum* heroëm, Herculis et Valentiae filium, *ἀρχηγέτην* gentis finxerunt.

ibique civitatem concurrentibus — statuerunt] Hanc mihi persuasum est *Consentiam* fuisse, quam Strabo *μητρόπολιν τῶν Βρεττίων* vocat: unde nescio an solvitur quod dubitabat ill. Niebuhr. *hist. Rom.* I. p. 99. ed. 2.

Bruttiosque cett.] cf. Bong. et iam laudatos.

§ 14. *qua victoria*] Recte hoc defendit Beneck., q. v. h. l. et ad XX, 3, § 9. Gronovius ex interpolatissimis Med. 2, coll. N., Dorv. 2: *cuius vict.* — De re v. laudd. § 5.

tantasque opes brevi consecuti sunt, ut perniciosi etiam regibus ha-
berentur. Denique Alexander, rex Epiri, cum in auxilium Graeca- 15
rum civitatium cum magno exercitu in Italiam venisset, cum omnibus
copiis ab his deletus est. Quare feritas eorum successu felicitatis 16
incensa diu terribilis finitimis fuit. Ad postremum imploratus Aga- 17
thocles spe ampliandi regni a Sicilia in Italiam traiecit.
II. Principio adventus opinione eius concussi legatos ad eum 1
societatem amicitiamque petentes miserunt. Quos Agathocles ad 2
coenam invitatos, ne exercitum traiici viderent, et in posterum sta-
tuta his die conscensa nave frustratus est. Sed fraudis haud laetus 3
eventus fuit: siquidem reverti eum in Siciliam interiectis paucis die-
bus vis morbi coëgit; quo toto corpore comprehensus per omnes 4
nervos articulosque humore pestifero grassante, velut intestino sin-
gulorum membrorum bello, impugnabatur. Ex qua desperatione 5
bellum inter filium nepotemque eius regnum iam quasi mortui vindi-
cantibus oritur: occiso filio regnum nepos occupavit. Igitur Aga- 6
thocles, cum morbi cura et aegritudo graviores essent et inter se

---

regibus] Archidamo Lacedaemoniorum (v. ad prol. XII), Alexandro Epiri, Cleonymo Spartano (v. ad prol. XV).

§ 15. V. supr. XII, 2.

§ 17. An arcessitus in Italiam Agathocles fuerit, aliunde non constat, sed toto narrationis huius tenore a § 3 confirmari videtur. Bis autem, ut ex Excerptis Diodori colligo, traiecit in Italiam, ita ut libri XXI frag. 3 de priore, 8 fr. de altera expeditione narrare statuam.

C. II. § 1. *adventus opinione eius*] Sic Graevius praeeunte post Berneccerum I. Fr. Gronovio, qui: *adv. eius opinione*, ut Gron. nepos edidit. Omnes ubique codd.: *adventus opinionis eius* i. e. cum haec fama ad eos perveniret; sed Iustinus linguae castitatem nondum ita laesit, ut locutionibus utatur a natura singulorum verborum alienissimis; apud eum vox *opinio* ad animum percipientium ubique refertur, nunquam de sola fama vel de nuntio simpliciter; v. locc. ap. Freinshem. in indic. et Beneck. ad XII, 8, § 2. Scribonii quidem Largi locis, *de compos. med.* c. 171: *pervenit ad me opinio*, vel c. 94: *trahere opinionem magnam ex compositione*, Iustini mstam lectionem non defendam; neque opus esse videtur; nam qui scriptos codices inspexit, eum non latet, quam similia sint *e* et sigla *is*. — Eadem Diod. XXI, fr. 8, ut suspicio sit haec de *altera* expeditione narrari; quo eodem seqq. quoque ducunt. Vidit etiam Wetzel.

§ 2. *et in post.*] Sic Bong. codd. omnes et Prag.: quod recipere non dubitavi. Ap. Gronovium verae huius lectionis nusquam fit mentio. Cf. supr. ad XVIII, 4, § 13. Edd. omnes: *in post.*

§ 3. *vis morbi*] veneno Maenonis concita, ut nepoti Agathoclis viam ad regnum pararet. Diod. (fr. 12) auctor est tyrannum morbo correptum fuisse, cum novum bellum in Africam meditaretur.

§ 5. *filium*, Agathoclem; *nepotem*, Archagathum, Archagathi in Africa occisi filium.

vindicantibus] Sic omnes codd., defendentibus Vorstio et Wopkens., quos v. ad II, 3, § 16. Cf. Seidenstueck. ad Rupertii et Schlichthorst. *Comm. phil.* V. p. 5 sq. Vulgo post Graev. ex Ald. et Iunt.: *vindicantes.*

occiso fil.] Ita codd. omnes, e more Iustini. Vulgo iisdem auctoribus: *occisoque fil.*

alterum alterius malo cresceret, desperatis rebus uxorem suam Thexenam genitosque ex ea duos parvulos cum omni pecunia et familia regalique instrumento, quo praeter illum nemo regum ditior fuit, navibus impositos Aegyptum, unde uxorem acceperat, remittit: ti-
7 mens, ne praedonem regni sui hostem paterentur. Quamquam uxor diu, ne ab aegro divelleretur, deprecata est, ne discessus suus adiungi nepotis parricidio posset et tam cruente haec deseruisse virum
8 quam ille impugnasse avum videretur: *nubendo se non prosperae tantum, sed omnis fortunae inisse societatem; nec invitam periculo spiritus sui emturam, ut extremos viri spiritus exciperet; et exsequiarum officium, in quod profecta se nemo sit successurus, obsequio debitae*
9 *pietatis impleret.* Discedentes parvuli flebili ululatu amplexi patrem tenebant; ex altera parte uxor maritum non amplius visura osculis
10 fatigabat. Nec minus senis lacrimae miserabiles erant. Flebant hi morientem patrem; ille exsules liberos: hi discessu suo solitudinem patris, aegri senis; ille in spem regni susceptos relinqui in egestate
11 lugebat. Inter haec regia omnis adsistentium fletibus tam crudelis
12 discidii impleta resonabat. Tandem finem lacrimis necessitas profectionis imposuit et mors regis proficiscentes filios insecuta est.
13 Dum haec aguntur, Carthaginienses cognitis quae in Sicilia agebantur, occasionem totius insulae occupandae datam sibi existimantes magnis viribus eo traiiciunt; multasque civitates subigunt.
1 III. Eo tempore et Pyrrhus adversus Romanos bellum gerebat;
2 qui imploratus a Siculis in auxilium, sicuti dictum est, cum Syracusas venisset multasque civitates subegisset, rex Siciliae, sicut Epiri,
3 appellatur. Quarum rerum felicitate laetus Heleno filio Siciliae, velut avitum (nam susceptus ex filia Agathoclis regis erat), Alexan-
4 dro autem Italiae regnum destinat. Post haec multa secunda proelia

---

§ 6. *Thexenam*] Bong. e suis praeter unum: *Texenam; Thex.* Gronoviani habere videntur. Faber: „Vel tu *Thexenam* scribe, vel *Theuxenam;* est autem nomen Doricum pro Theoxenam.“ Bongars.: „Unus e mss. *Teoxenam*, forte *Theoxenam.*“ *Theoxenam* habent 4 Gronov.; Periz., Goth., Crac., ut vett. edd.: *Theogenam;* Prag.: *Theodoxenam.* Nemini praeterea memoratur.

§ 7. *discessus suus*] Mss. Bong.: *discessu suo.*

§ 8. *et exseq.*] Mss. Bong.: *ut exseq.*

§ 13. *multasque civ. subigunt*] Desunt haec in mss. aliquot Bong. ob praecedens: *traiiciunt.* Ne quis tamen recte abesse haec verba putet, utpote repetita seq. c. § 2: *multasque civitates subegisset*, prologum inspiciat moneo, unde multa hic in medio posita a Trogo fuisse apparet.

C. III. § 2. *Siculis*] Mss. Bong.: *Siculia.*

dictum est] supr. XVIII, 2 extr.

multasque civ. subegisset] Haec probabilius coniici possint e sup. cap. extr. de margine hic irrepsisse; nam in mss. nescio quot Bong legitur: *subigunt.* Crac.: *multaeque civ. subiguntur.* In 1 Bongars., Prag., Goth. plane desunt.

§ 3. *Heleno filio — Alexandro autem*] Permutasse hos inter se vi-

cum Carthaginiensibus facit. Interiecto deinde tempore legati ab 5
Italicis sociis venere nuntiantes: *Romanis resisti non posse, deditio-
nemque futuram, nisi subveniat.* Anxius tam ambiguo periculo in- 6
certusque quid ageret vel quibus primum subveniret, in utrumque
pronus consultabat: quippe instantibus hinc Carthaginiensibus, inde 7
Romanis periculosum videbatur exercitum in Italiam non traiicere,
periculosius a Sicilia deducere: ne aut illi non lata ope aut hi deserti
amitterentur. In hoc aestu periculorum tutissimus portus consilio- 8
rum visus est omnibus viribus decernere in Sicilia; et profligatis Car-
thaginiensibus victorem exercitum transponere in Italiam. Itaque 9
conserto proelio cum superior fuisset, quoniam tamen a Sicilia abi-
ret, pro victo fugere visus est: ac propterea socii ab eo defecerunt; 10
et imperium Siciliae tam cito amisit, quam facile quaesierat. Sed 11
nec in Italia meliore felicitate usus in Epirum revertitur. Admirabilis
utriusque rei casus in exemplum fuit. Nam sicut ante secunda for- 12
tuna rebus supra vota fluentibus Italiae Siciliaeque imperium et tot
de Romanis victorias adstruxerat: ita nunc adversa, velut in osten-
tationem fragilitatis humanae, destruens quae cumulaverat, Sici-
liensi ruinae naufragium maris et foedam adversus Romanos pugnam
turpemque ab Italia discessum adiecit.

IV. Post profectionem a Sicilia Pyrrhi magistratus Hiero crea- 1
tur; cuius tanta moderatio fuit, ut consentiente omnium civitatium 2
favore dux adversus Carthaginienses primum, mox rex crearetur.
Huius futurae maiestatis ipsa infantis educatio quasi praenuntia 3

---

detur; nam Plutarchus advertente iam Bongarsio (c. 9) e Lanassa Agathoclis Alexandrum, Helenum vero minimum natu e Bircenna, Illyriorum regis filia, prognatum fuisse tradit. Idem confirmat Diod. eclog. XXII, fr. 11.

§ 8. Accuratius ac paullo aliter narrat Plutarch. c. 24: qui volenti Pyrrho nuntium illum ex Italia venisse significat, ut cuius res iam labi incepissent.

decernere] Mss. Bong., 3 Gronov., Prag.: *decertare.*

§ 9. De hoc proelio me non memini legere; sed breviores in h. l. scriptores sunt.

§ 11. *in Italia*] ubi magno proelio victus est a M'. Curio Dentato consule ad Beneventum.

§ 12. *adstruxerat*] Ita in melioribus Bong. legi videtur; nam adscripsit huic verbo: „Vulgo: *attraxerat*, et ita mss. quidam. Illud malo; statim enim *destruens*, inquit, *quae cum.*“ Ex edd. autem ante Bong. nulla *adstruxerat*, nisi Aldina, quam non vidi usquam ab eo inspectam esse. *Adstruxerat* (scil. Pyrrho) etiam Med. 2 et Leid. 5, in quos ex antiquis illatum puto. 1 Bong., Prag., 3 Gronov.: *struxerat.* Goth.: *detraxerat.* Elegans est Burmanni coniectura ad Ovid. Art. Am. II, 119: *imperio tot de R. victorias adstr.*

C. IV. § 2. *adversus Carthag.*] imo contra *Mamertinos;* Polyb. I, 8. 9, sed cf. Casaub. p. 163 sq. Schw.

rex cr.] Ol. 126, 2; v. laudd. Siebelisio ad Pausan. El. p. 43.

§ 3. *ipsa infantis educatio*] Mss. Bongars.: *ipsa educatio infanti.* Prag.: *infantuli.* (Edd. vett., Goth., Crac., 5 Gronov.: *infantilis.*)

4 fuit: quippe genitus erat patre *Hierocle* *, nobili viro, cuius origo a
5 *Gelone* **, antiquo Siciliae tyranno, manabat: sed maternum illi
6 genus sordidum atque adeo pudibundum fuit. Nam ex ancilla natus
ac propterea a patre, velut dehonestamentum generis, expositus
7 erat. Sed parvulum et humanae opis egentem apes congesto circa
8 iacentem melle multis diebus aluere. Ob quam rem responso haru-
spicum admonitus pater, qui *regnum infanti portendi* canebant, par-
vulum recolligit omnique studio ad spem maiestatis, quae promitte-
9 batur, instituit. Eidem in ludo inter aequales discenti lupus tabu-
10 lam, in turba puerorum repente conspectus, eripuit. Adolescenti
quoque prima bella ineunti aquila in clypeo, noctua in hasta conse-
11 dit. Quod ostentum et consilio cautum et manu promtum regemque
12 futurum significabat. Denique adversus provocatores saepe pugna-
13 vit, semperque victoriam reportavit; a Pyrrho rege multis militari-
14 bus donis donatus est. Pulchritudo ei corporis insignis, vires quo-
15 que in homine admirabiles fuere. In adloquio blandus, in negotio
iustus, in imperio moderatus: prorsus ut nihil ei regium deesse
praeter regnum videretur.

* *Hieroclyto* ** *Gelo*

---

§ 4. *Hieroclyto* praebent omnes libri mss.; sed emendandum esse *Hierocle* vidit Paul. Leopardus, pluribus etiam confirmavit Gronovius p. 914 sq. Scheffer.: *Hierocle*, *inclyto v.*, deleta voce *nobili* ut glossa.

Gelo] iidem codd.; uni Bong. adscriptum erat leg.: *a Aeolo.* Sed *Gelone* correxit idem Leopardus, magis etiam probante Casaubono in stemmate Hieronis concinnato ad Dionys. Hal. VII, in. *Gelone* exhibet Magl., fort. etiam Crac. et Prag.

§ 5. *pudibundum*] Sic codd. ad unum omnes; et ita locutum esse Iustinum iisdem creditum oportuit. Sic laudante Bernecc. auctor Carm. *ad Pisonem* v. 114: *pudibundi sales*, pro pudendis. Ibidem Rufini loc. e *fab. Pasiph. ad metr. Hor.* v. 19 adducit Wernsdorf. Vulgo e coni. Bernecc.: *pudendum*, ut ed. Iunt.

§ 9. *inter aequales*] Sic Bong. e codd.; nam edd. ante ipsum *coaequales*, quod male reductum a Vorstio ceterisque est. Nam quod Sarisbar. idem praebet, nihil valet; neque quod in Goth., ac fort. Crac. et Prag. est.

turba] Mss. Bong.: *turbam.*

§ 10. Rupertus coni.: *noctua in clypeo*, *aquila in hasta;* sed vid. Gronov. p. 915. Picta vel ficta in clypeo aquila speciem hanc dare poterat; de noctua rem bene explicuit Berneccerus: „Potest, inquit, hoc accidisse, cum Agathocles bello Punico noctuas compluribus per castra locis clam emisit, quae per agmen volitantes, dum clypeis galeisque insident, animos militum confirmabant, pro felici id augurio accipientibus singulis cett."

§ 14. *ei*] Abest a mss. Bong., Periz., Goth.

in homine] Faber: *ut in hom.;* sed v. Wopkens.

§ 15. Hoc de septem annis ante initum regnum; vid. Casaub. laud. ad § 2.

LIBER XXIV.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXIV.*)

Quarto et vicesimo volumine continetur[1]) bellum, quod inter Antigonum Gonatam et Antiochum, Seleuci filium, in Asia gestum est[2]). Bellum, quod Ptolemaeus Ceraunus[3]) in Macedonia cum Monio[4]) Illyrio et Ptolemaeo, Lysimachi filio[5]), habuit: utque Arsinoën, sororem suam, imperio Macedonicarum urbium exuit, ipse cum Belgio, Gallorum duce, congressus interiit. Repetitae inde Gallorum origines, qui Illyricum occuparant[6]); atque ut ingressi Graeciam Brenno duce Delphis victi deletique sunt.

---

[1]) Ita primus Modius, e suis, ut opinor; etiam 2 Leidd.; alii codd.: *continentur haec: Bell.* Illud verum etiam Grauertus censuit. Mss. Bongars.: *continentur.*

[2]) Hoc leviter tetigit Iustinus init. Vide ad lib. XXV. princ.

[3]) 3 Gronov.: *Ceraunos.*

[4]) Sic codd. et plures et meliores. Gronovius tamen ex seq. prologo: *Mytillo*, ut recentes et interpolati (Periz.), Crac., Colb. 2, Thuan., vel *Mitilo.* Longuerrius quoque hoc nomen verum putabat. Rex ignotus, a Iustino quoque omissus.

[5]) V. ad c. 2, § 10.

[6]) Multi codd. ap. Gronov. cum Crac.: *occuparunt* vel *occupaverunt*: quod reponendum esse videtur. Ita etiam Modius.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Graeciae civitates aliae in alias adsurgunt.*
2. *Ptolemaei Macedonis in sororem Arsinoën conspiratio.*
3. *Ptolemaei et Arsinoës nuptiae tragicis casibus solvuntur.*
4. *Gallorum, qui Ptolemaeum vicerunt et interfecerunt, in Macedoniam irruptio.*
5. *Quo strategemate Ptolemaeum adgressi sint et oppresserint. Macedonum luctus et instauratio.*
6. *Alia Gallorum Brenno duce in Graeciam expeditio; et de spoliando Delphico templo consilium. Huius templi et oraculi descriptio.*

7. *Brenni et aliorum consultatio de templi oppugnatione; et hortatio ad milites.*
8. *Gallorum Delphos oppugnantium clades, ipsiusque Brenni interitus.*

---

1 I. Dum haec in Sicilia geruntur, interim in Graecia dissidentibus inter se bello Ptolemaeo Ceranno et Antiocho et Antigono re-
2 gibus omnes ferme Graeciae civitates ducibus Spartanis, velut occasione data ad spem libertatis erectae, missis invicem legatis, per
3 quos in societatis foedera adligarentur, in bellum prorumpunt; et, ne cum Antigono, sub cuius regno erant, bellum cepisse viderentur, socios eius Aetolos adgrediuntur, causas belli praetendentes,
4 quod consensu Graeciae sacratum Apollini Cirrhaeum campum per
5 vim occupassent. Huic bello ducem deligunt Arean, qui adunato exercitu urbes sataque in his campis posita depopulatur; quae au-
6 ferri non poterant, incendit. Quod cum e montibus conspicati Aetolorum pastores essent, congregati admodum quingenti sparsos hostes ignorantesque, quanta manus esset, quoniam conspectum illis metus et incendiorum fumus abstulerat, consectantur, trucida-
7 tisque admodum novem millibus praedones in fugam verterunt. Reparantibus deinde Spartanis bellum auxilium multae civitates nega-

---

C. I. § 1. *dissidentibus inter se* cett.] Harum rerum initia iam XVII, 2, § 10 indicata, ubi v. not.

Cerauno] Mss. Bong., coll. C. C.: *Cerauni*. 1 Bong., Goth.: *Ceraunio*, unde edd. vett.: *Ceraunico*.

§ 2. *omnes ferme Graeciae civitates* cett.] Alibi haec conspiratio eiusque belli gesta non narrantur; sed mentionis eiusdem vestigia indagatus optime de iis disseruit Christianus Lucas in egregio libro: *Ueber Polybius's Darstellung des Aetol. Bundes* (Koenigsb. 1827) p. 67 sqq.

adligarentur] Mss. Bong.: *allegarentur*.

§ 3. *socios eius Aetolos*] v. Lucas p. 69 extr. et 70.

§ 4. *consensu Graeciae*] in rhetore scriptore nihil nisi: non impedientibus Graecis.

Cirrhaeum] Bong.: *Cirraeum*, ut codd. — Facinoris vestigia v. in Lucae lib. l. p. 69.

§ 5. *Arean*] Sic codd. Bong. omnes et al., etiam in depravationibus, a nomin. *Areas;* Graeci tamen Ἀρεύς, v. Bong., quare quidam h. l. ediderunt: *Area*. Gronov. ad Prol. XXVI. 3 tantum ex suis habere *Arean* testatur, p. 1006. Rex Lacedaemoniorum erat.

urbes] Sic Bong., Goth., Crac., Prag.: quod, etiamsi vera essent et in hunc locum convenirent, quae Schefferus scripsit, in nostro scriptore mutari non debebat. Suorum scripturam Gronov. non narrat. Vulgo: *urbem;* Cirrham esse Lucas p. 68 putat, sed Aetolorum oppida intelligenda censeo. — 1 Bong.: *urbem in his c. positam;* alius: *urbem itaque* cett.

§ 6. *admodum quingenti*] Desunt in mss. Bong., ob similitudinem terminationum *gati* et *gēti*.

§ 7. Neque hoc satis ex aliis compertum.

verunt, existimantes dominationem eos, non libertatem Graeciae
quaerere. Interea inter reges bellum finitur: nam Ptolemaeus pulso 8
Antigono cum regnum totius Macedoniae occupasset, pacem cum
Antiocho facit; adfinitatemque cum Pyrrho rege data ei in matri-
monium filia sua iungit.

II. Exinde externo metu deposito impium et facinorosum ani- 1
mum ad domestica scelera convertit, insidiasque Arsinoae sorori
suae instruit, quibus et filios eius vita et ipsam Cassandreae urbis
possessione privaret. Primus ei dolus fuit simulato amore sororis 2
matrimonium petere: aliter enim ad sororis filios, quorum regnum
occupaverat, quam concordiae fraude pervenire non poterat. Sed 3
nota scelerata Ptolemaei voluntas sorori erat. Itaque non credenti 4
mandat *velle se cum filiis eius regni consortium iungere; cum quibus*
non ideo se armis contendisse, quoniam eripere his regnum, sed quod
id facere sui muneris vellet. In hoc mitteret arbitrum iurisiurandi, 5
quo praesente apud deos patrios, quibus vellet obsecrationibus, se obli-
garet. Incerta Arsinoë quid ageret: si mitteret, decipi periurio; 6
si non mitteret, provocare rabiem fraternae crudelitatis timebat.
Itaque plus liberis quam sibi timens, quos matrimonio suo protectu- 7
ram se arbitrabatur, mittit ex amicis suis Chodionem; quo perducto 8
in sanctissimum Iovis templum veterrimae Macedonum religionis Pto-
lemaeus sumtis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra et pul-
vinaria deorum inauditis ultimisque exsecrationibus adiurat: *se sin-* 9
cera fide matrimonium sororis petere; nuncupaturumque se eam regi-
nam; neque in contumeliam eius se aliam uxorem aliosve, quam filios
eius, liberos habiturum. Arsinoë postquam et spe impleta est et 10
metu soluta, ipsa cum fratre colloquitur; cuius vultus et blandientes

---

§ 8. *pulso Antigono*] in pugna maritima; vid. Memnon. pag. 226, l. 14 sqq. B. in Photio Bekk.

Pyrrho rege] Sic codd. nescio quot Bong., coll. C. C., Gronovii omnes, Goth., Prag.: quare non sprevi. Vulgo omittitur voc. *rege*. — Tertio iam vides Iustinum vel Trogum duos Ptolemaeos, Aegypti regem et Ceraunum, inter se permutasse; v. ad XVII, 2, § 15. Chr. quoque Lucas p. 68 not. 2 in eandem sententiam proclivis est. Erat autem non germana filia, sed privigna Ptolemaei; v. ad XVII,

C. II (et III). Haec breviter tantum significantur a Memnone p. 226 extr. Bekk.

§ 1. *Arsinoae*] Lysimachi viduae. — Edd. vett.: *Cassandriae.*

§ 5. *obsecrationibus*] I. Fr. Gronovius coni.: *exsecrationibus;* et sic diserte legitur in Goth. Cf. § 8.

§ 7. *Chodionem*, ut ignoti hominis nomen, non tetigi. Ita enim Bong. e suis et dimidia fere pars Gronov. 1 Bong.: *Quod.* Prag.: *Codionem*, ut Faber voluit: „scribendum *Cod.*, ob originem Graecam, quasi Latine *Pellionem* diceres.“ Detrita priore syllaba 1 Bong., 6 Gronov., Goth., Crac.: *Dionem;* unde Havercampus ap. Wopk. coniecit: *Dium;* ac sane templum Diense, quod memorat Liv. XLIV, 7, Iovis sine dubio fuisse arbitror.

oculi cum fidem non minorem quam iusiurandum promitterent, reclamante Ptolemaeo filio *fraudem subesse*, in matrimonium fratris concedit.

1 III. Nuptiae magno apparatu laetitiaque omnium celebrantur.
2 Ad concionem quoque vocato exercitu capiti sororis diadema impo-
3 nit, reginamque eam appellat. Quo nomine in laetitiam effusa Arsinoë, quia, quod morte Lysimachi prioris mariti amiserat, recepisset, ultro virum in urbem suam Cassandream invitat; cuius urbis
4 cupiditate fraus struebatur. Praegressa igitur virum diem festum urbi in adventum eius indicit: domos, templa ceteraque omnia ex-
5 ornari iubet; aras ubique hostiasque disponi: filios quoque suos, Lysimachum sexdecim annos natum, Philippum triennio minorem,
6 utrumque forma insignem, coronatos occurrere iubet. Quos Ptolemaeus ad celandam fraudem cupide et ultra modum verae adfectionis
7 amplexus osculis diu fatigat. Ubi ad portam ventum est, occupari arcem iubet; pueros interfici. Qui cum ad matrem confugissent, in
8 gremio eius inter ipsa oscula trucidantur, proclamante Arsinoë, *quod tantum nefas aut nubendo aut post nuptias contraxisset.* Pro filiis saepe se percussoribus obtulit; frequenter corpore suo puerorum corpora amplexata protexit; vulneraque excipere, quae liberis in-
9 tendebantur, voluit. Ad postremum etiam spoliata funeribus filiorum scissa veste et crinibus sparsis cum duobus servulis ex urbe protracta Samothraciam in exsilium abiit: eo miserior, quod mori cum
10 filiis ei non licuit. Sed nec Ptolemaeo inulta scelera fuerunt: quippe diis immortalibus tot periuria et tam cruenta parricidia vindicantibus brevi post a Gallis spoliatus regno captusque vitam ferro, ut meruerat, amisit.

1 IV. Namque Galli abundanti multitudine, cum eos non caperent terrae, quae genuerant, trecenta millia hominum ad sedes no-
2 vas quaerendas, velut ver sacrum, miserunt. Ex his portio in Italia

---

§ 10. *Ptolemaeo fil.*] Hunc Lysimachi filium non novimus nisi ex Prologo hui. l.; alii enim auctores duos tantum, *Philippum* et *Lysimachum*, ei filios tribuunt. Quare Wetzelius e vetustis edd. et Ald. recepit: *Lysimacho.* Sane hi ex Arsinoë erant; v. c. sq. § 5; sed ille ex Amastri relictus esse et insidias evasisse poterat.

C. III. § 4. *domos*] Mss. Bong., 4 Gronov.: *de more.*

ceteraque] Med. 2: *itineraque*, de quo Gronov. p. 917. Deinde *utique* pro *ub.* Mss. Bong., coll. N. et C. C.

§ 5. *sexdecim*] Med. 2: *VI ann.*

§ 6. *amplexus*] Goth.: *amplexos;* non male.

§ 8. *quod tantum*] vere, v. Wopkens. Mss. Bong., coll. C. C., Franecq., Dorv. 1: *quid t.;* idemque est Gothani: *quis.* — Mss. Bong.: *contraxissent.*

C. IV. § 1. *trecenta millia horum*] Sic Suidas v. *Γάλαται*, quem locum e Polybio excerptum esse Kuesterus putavit.

velut ver sacrum] Sic codd. Bong. praeter unum, Leid. 1, Crac. et

consedit, quae et urbem Romanam captam incendit; et portio Illy- 3
ricos sinus ducibus avibus (nam augurandi studio Galli praeter ce-
teros callent) per strages barbarorum penetravit et in Pannonia con-
sedit: gens aspera, audax, bellicosa, quae prima post Herculem, 4
cui ea res virtutis admirationem et immortalitatis fidem dedit, Alpium
invicta iuga et frigore intractabilia loca transcendit. Ibi domitis 5
Pannoniis per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hor- 6
tante deinde successu divisis agminibus alii Graeciam, alii Macedo-
niam omnia ferro proterentes petivere. Tantusque terror Gallici no- 7
minis erat, ut etiam reges non lacessiti ultro pacem ingenti pecunia
mercarentur. Solus rex Macedoniae Ptolemaeus adventum Gallo- 8
rum intrepidus audivit; hisque cum paucis et incompositis, quasi
bella non difficilius quam scelera patrarentur, parricidiorum furiis
agitatus occurrit. Dardanorum quoque legationem viginti millia 9
armatorum in auxilium offerentem sprevit, addita insuper contumelia
actum de Macedonia dicens, *si*, *cum totum Orientem soli domuerint*,
nunc in vindictam finium Dardanis egeant: milites se habere filios eo- 10
rum, *qui sub Alexandro rege stipendia toto orbe terrarum victores fe-*
cerint. Quae ubi Dardano regi nuntiata sunt: *inclytum illud Mace-* 11
doniae regnum brevi immaturi iuvenis temeritate casurum dixit.

---

ed. Rom. Goth.: *velut sacrum*; in marg. eadem manu: *al. peregrinatum.* V. interpp. ad h. l. Ceteri libri male: *velut peregrinatum.* — Gronov.: *abundante.*

§ 2. 3. Errat hic vel Trogus vel Iustinus, dum coniungunt quae temporibus maxime distant; v. Liv. V, 34 sq., Diod. XIV, 113 sqq. coll. Pausaniae accurata narratione X, 19.

§ 3. *augurandi studio*] v. Bernecc.; *οἰωνοσκοπίας* Gallorum meminit Diodor. V, 31. — In hac structura vocis *callent* multi offenderunt; sed recte Wopkens.: „*Studium* hic pro arte, cui studium adhibetur, ponitur, uti apud Velleium aliosque passim.“ Schefferus: *calent*, ut Horatius: *et calet uno scribendi studio.*

§ 4. *invicta*] Dorv. 2: *invia*, ut malebat etiam Graevius.

§ 5. Res non dubia; vestigia Gallorum in illis regionibus habes ap. Gottl. Wernsdorfium, *de republ. Galatarum* (Norimb. 1743) c. II, § 12, p. 80 sqq. Apud Pausaniam tamen X, 19, § 4 ex Amasaei versione non legerim *Παννονίαν* (pro *Παιονίαν*), quia neque commoratos ibi advenas illos narrat, et Brennum Acichoriumque, insequentium expeditionum duces, illi quoque praefuisse testatur.

§ 6. V. Wernsd. *de republ. Gal.* II. § 20, p. 100 sqq.

ferro proterentes] i. e. infesto impetu proterentes, ut Plautus laudatus Gronovio: *proterunt hostium copias*, apte de multitudine, cui resisti non potest, omnia quasi conculcante. Praetulerunt alii usitatam magis dictionem: *prosternentes*, quae est in mss. aliquot Bong., 5 Gronov., in quibus interpolatissimi omnium Magl. et coll. N., Crac., Prag.

§ 8. *Solus rex*] (Mss. Bong.: *S. autem r.*) et *πρῶτος ὧν ἴσμεν βασιλέων ἀντιτάξασθαι τολμήσας Γαλάταις*, Paus. I, 16, § 2.

§ 9. *viginti m*] 1 Bong.: *XXX m.*

§ 10. *rege*] Mss. Bong.: *regia.*

§ 11. *Quae*] Hoc in mss. Bong. deest.

1 V. Igitur Galli duce Belgio ad tentandos Macedonum animos
legatos ad Ptolemaeum mittunt, offerentes pacem, si emere velit:
2 sed Ptolemaeus inter suos *belli metu pacem Gallos petere* gloriatus
3 est. Nec minus ferociter se legatis quam inter amicos iactavit, *ali-
ter se pacem daturum* negando, *nisi principes suos obsides dederint et*
4 *arma tradiderint: non enim fidem se nisi inermibus habiturum.* Re-
nuntiata legatione risere Galli, undique acclamantes *brevi sensurum,*
5 *sibi an illi consulentes pacem obtulerint.* Interiectis diebus proelium
6 conseritur, victique Macedones caeduntur. Ptolemaeus multis vul-
neribus saucius capitur: caput eius amputatum et lancea fixum tota
7 acie ad terrorem hostium circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga
8 servavit: ceteri aut capti aut occisi. Haec cum nuntiata per omnem
Macedoniam essent, portae urbium clauduntur, luctu omnia replen-
9 tur; nunc orbitatem amissorum filiorum dolebant; nunc excidia ur-
bium metuebant; nunc Alexandri Philippique regum suorum nomi-
10 na, sicuti numina, in auxilium vocabant: *sub illis se non solum tutos,*
11 *verum etiam victores orbis terrarum exstitisse: ut tuerentur patriam
suam, quam gloria rerum gestarum caelo proximam reddidissent; ut
opem adflictis ferrent, quos furor et temeritas Ptolemaei regis perdi-*
12 *disset*, orabant. Desperantibus omnibus non votis agendum Sosthe-
nes, unus de Macedonum principibus, ratus contracta iuventute et
Gallos victoria exsultantes compescuit et Macedoniam ab hostili po-
13 pulatione defendit. Ob quae virtutis beneficia multis nobilibus re-
14 gnum Macedoniae adfectantibus ignobilis ipse praeponitur: et cum
rex ab exercitu appellatus esset, ipse non in regis, sed in ducis no-
men iurare milites compulit.

1 VI. Interea Brennus, quo duce portio Gallorum in Graeciam
se effuderat, audita victoria suorum, qui Belgio duce Macedonas
vicerant, indignatus parta victoria opimam praedam et Orientis spoliis

---

C. V. § 1. *Belgio*] Pausaniae hic *Βόλγιος* est.

§ 3. *se leg.*] Pronomen omittunt mss. Bong.

§ 6. *caput eius — circumfertur*] Ita mos erat Gallis; v. Liv. X, 26, § 8.

§ 11. Post hanc victoriam ὁ δεύτερος 'οὕτω στόλος ἐπανῆλθεν εἰς τὴν οἰκείαν, i. e., ut videtur, in Pannoniam; v. Wernsd. l. ad § 6 sup. c. laudato.

§ 12. *unus de Mac. principibus*] imo τὶς τῶν δημοτικῶν, ut Porphyrius ap. Euseb. pag. 63 Scal., ut paullo post: *ignobilis ipse.* Recte, ut videtur, Berneccerus: „Non regio sanguine cretus, sed tamen unus principum procerumve regni." Aliter Faber.

Gallos] sub Brenno, post novam impressionem.

§ 13. *multis nobilibus*] in quibus Meleagro, Ptolemaei fratre, Antipatro, Cassandri nepote.

§ 14. *sed in ducis*] Multi codd.: *sed ducis*, nullus tamen Bongars. — Per duos annos Macedoniae tanquam rex praefuit.

C. VI. § 1. *Macedonas*] Sic Gronov. ex 3 codd., ut Bong. alibi; h. l. Bong.: *Macedones.*

onustam tam facile relictam esse, ipse adunatis centum quinquaginta millibus peditum et quindecim millibus equitum in Macedoniam irrumpit. Cum agros villasque popularetur, occurrit ei cum instructo 2
exercitu Macedonum Sosthenes: sed pauci a pluribus, trepidi a valentibus facile vincuntur. Itaque cum victi se Macedones intra mu- 3
ros urbium condidissent, victor Brennus nemine prohibente totius Macedoniae agros depraedatur. Inde quasi terrena iam spolia sor- 4
derent, animum ad deorum immortalium templa convertit, scurriliter iocatus *locupletes deos largiri hominibus oportere.* Statim igitur Del- 5
phos iter vertit, praedam religioni, aurum offensae deorum immortalium praeferens: *quos nullis opibus egere, ut qui eas largiri hominibus soleant*, adfirmabat. Templum autem Apollinis Delphis posi- 6
tum est in monte Parnaso, in rupe undique impendente: ibi civitatem frequentia hominum fecit, qui ad adfirmationem maiestatis undique concurrentes in eo saxo consedere. Atque ita templum et 7
civitatem non muri, sed praecipitia; nec manu facta, sed naturalia praesidia defendunt: prorsus ut incertum sit, utrum munimentum loci, an maiestas dei plus hic admirationis habeat. Media saxi ru- 8
pes in formam theatri recessit. Quamobrem et hominum clamor et si quando accessit tubarum sonus, personantibus et respondentibus inter se rupibus multiplex audiri ampliorque quam editur resonare solet. Quae res maiorem maiestatis terrorem ignaris rei et admiratione stupentibus plerumque adfert. In hoc rupis anfractu media 9
ferme montis altitudine planities exigua est, atque in ea profundum

---

centum quinquag. mill. ped. et quindec. mill. eq.] Pausanias 152,000 peditum, 20,400 (Diodor.: 10,000) equitum cum 40,800 servis vel ambactis, quorum bini singulis equitibus adessent; ex hac multitudine Gottl. Wernsdorfius statuit in Dardanis seditione inter duces orta ad viginti millia a Brenno secedentes in Thraciam iter avertisse (p. 11); hinc pauciores apud Iustinum haberi.

§ 2. Ceteri an idem retulerint, incertum est; non cecidisse tamen in hac pugna Sosthenem, Porphyrii vox ἀποθνήσκει prodere videtur.

§ 6. *undique impendente — maiestatis*] Desunt in omnibus fere Bongars., ob repetitam vocem *undique.*

fecit] Sic Graevius edidit ex Iunt.; ita etiam Goth., Crac., Prag.; Gronovius suorum scripturam non indicat. Bongarsii *facit* nullius in hoc loco momenti est, cum in vetustis eius haec verba desint. Recte *fecit;* v. Strabon. IX. p. 289 Cas. Plutarch. *de orac. defectu* p. 414, B: καὶ τὸ χωρίον ἀνθρώποις ἐπλήθυε.

ad adfirmationem] Bodl., Goth., Dorv. 1. 3: *admiratione*, ut Ald.; Magl.: *ad admirationem;* Med. 2: *ad mirationem.* Sed v. Wopkens.

§ 7. *dei*] Mss. Bong.: *deorum;* unus: *templorum.*

§ 8. *recessit*] Mss. Bong., Vincent.: *cessit.*

respondentibus] Mss. Bong., Goth.: *resonantibus;* Goth. etiam: *accidit.*

admiratione stup.] Sic nulla paene mutatione Faber, multo concinnius quam Bongars. et codd. longe plurimi: *admirationem*, scil. adfert. *Admiratione* Med. 2, Periz., Dorv. 3 ac fort. Crac.

terrae foramen, quod in oracula patet: ex quo frigidus spiritus vi
quadam velut vento in sublime expulsus mentes vatum in vecordiam
10 vertit, impletasque deo responsa consulentibus dare cogit. Multa
igitur ibi et opulenta regum populorumque visuntur munera; quae-
que magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem et deorum
responsa manifestant.

1 VII. Igitur Brennus cum in conspectu haberet templum, diu
deliberavit, an confestim rem adgrederetur, an vero fessis via mili-
2 tibus noctis spatium ad resumendas vires daret. Emanus et Thessa-
lorus duces, qui se ad praedae societatem iunxerant, *amputari mo-
ras* iubent, *dum imparati hostes et recens adventus sui terror esset:*
3 *interiecta nocte et animos hostibus, forsitan et auxilia accessura; et*
4 *vias, quae nunc pateant, obstructum iri.* Sed Gallorum vulgus ex
longa inopia, ubi primum vino ceterisque commeatibus referta rura
invenit, non minus abundantia quam victoria laetum per agros se
5 sparserat; desertisque signis ad occupanda omnia pro victoribus va-
6 gabantur. Quae res dilationem Delphis dedit. Prima namque opi-
nione adventus Gallorum prohibiti agrestes oraculis feruntur messes
7 vinaque villis efferre. Cuius rei salutare praeceptum non prius in-
tellectum est, quam vini ceterarumque copiarum abundantia velut
8 mora Gallis obiecta auxilia finitimorum convenere. Prius itaque ur-
bem suam Delphi aucti viribus sociorum permunivere, quam Galli
9 vino velut praedae incubantes ad signa revocarentur. Habebat Bren-
nus lecta ex omni exercitu peditum sexaginta quinque millia: Delpho-
10 rum sociorumque non nisi quatuor millia militum erant; quorum

---

§ 9. *in oracula*] Mss. Bong. male: *in oraculo.*
deo] Aberat in mss. Bong., Franecq.; v. Wopkens.
C. VII. § 2. *Emanus*] 1 Bongars.: *Aemanus;* unde Bodl., Prag., Goth.: *Aenianus.* Al. Bong.: *Eumanus;* edd. vett. eiusd.: *Eridanus;* aliae: *Euridanus.*
Thessalorus] Edd. vett.: *Thessalonus;* Goth.: *Thesadorus.* Nomina ignota.
iubent] Mss. Bong., Goth.: *iubebant.*
terror] Sic legendum e coni. Freinshemii; v. Wopkens. Codd. omnes: *terrori.* Beneckius etiam *repens* coniecit, pro *recens.*
obstructum iri] Goth.: *obstructu muniri.*
§ 4. *laetum*] 3 Gronov., Goth.: *laeti — sparserant.*
§ 6. *agrestes*] In hac voce nulla alia causa Bongarsiani et edd. vett. tantopere turbant, quam quod *agrestis* scriptum fuerat. Unus: *agrenses,* ut Vincent.
§ 8. *permunivere*] Goth.: *promun.;* edd. vett.: *praemun.*
§ 9. *sexaginta*] Coll. C. C.: *quinquaginta;* Magl. omittit *quinque.*
quatuor millia] paullo plures; Paus. X, 23, § 2. Edd. vett.: *quatuordecim m.;* Ald.: *XV m.* Magl.: *III m.*
militum] Sic Bong.; eiusdem vero nescio quot codd., 6 Gron., Goth., Vincent.: *milites,* quod recepit Beneckius; sed laudanda erant exempla, in quibus nominativus post voc. *millia* poneretur; usus est talibus, quae vocem *millia* tanquam appositionem post nominativum habent.

contemtu Brennus ad acuendos suorum animos praedae ubertatem omnibus ostendebat; statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul visebatur, solido auro fusas esse, plusque in pondere quam in specie habere praedae adfirmabat.

VIII. Hac adseveratione incitati Galli, simul et hesterno mero 1
saucii sine respectu periculorum in bellum ruebant. Contra Delphi 2
plus in deo quam in viribus reponentes cum contemtu hostium resi-
stebant; scandentesque Gallos e summo montis vertice partim saxo,
partim armis obruebant. In hoc partium certamine repente univer- 3
sorum templorum antistites, simul et ipsi vates sparsis crinibus cum
insignibus atque infulis pavidi vecordesque in primam pugnantium
aciem procurrunt: *advenisse deum* clamant, *eumque se vidisse desilien-* 4
tem in templum per culminis aperta fastigia: dum omnes opem dei sup- 5
pliciter implorant, iuvenem supra humanum modum insignis pulchritu-
dinis comitesque ei duas armatas virgines ex propinquis duabus Dianae
Minervaeque aedibus occurrisse; nec oculis tantum haec se perspexisse: 6
audisse etiam stridorem arcus ac strepitum armorum: proinde ne cun- 7
ctarentur diis antesignanis hostem caedere et victoriae deorum socios se
adiungere, summis obsecrationibus monebant. Quibus vocibus in- 8
censi omnes certatim in proelium prosiliunt. Praesentiam dei et ipsi 9
statim sensere: nam et terrae motu portio montis abrupta Gallorum
stravit exercitum et confertissimi cunei non sine vulneribus hostium
dissipati ruebant. Insecuta deinde tempestas est, quae grandine 10
et frigore saucios ex vulneribus absumsit. Dux ipse Brennus cum 11
dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit. Alter ex 12
ducibus punitis belli auctoribus cum decem millibus sauciorum citato
agmine Graecia excedit. Sed nec fugientibus fortuna commodior 13
fuit: siquidem pavidis nulla sub tectis acta nox; nullus sine labore 14
et periculo dies; adsidui imbres et gelu nix concreta et fames et las-

---

C. VIII. § 2. *reponentes*] Mss. Bong., 5 Gronov.: *reputantes*.

scandentesque] Mss. Bongars.: *cadentesque*, quod confirmat Vincent. Mihi magis quam vulgata probatur.

§ 3. *ipsi vates*] Sic Bong.; sed mss. Fuldenses, Leid. 5, Med. 2, Prag., Goth.: *ipsae vates*: quod nonnulli praetulerunt, ut intelligantur tres προφητίδες et reliquae mulieres, unde hae legebantur. Sed *vates* sunt prophetae, primores fere Delphorum; v. van Dalen *de oraculis* V, § 5. p. 104 sqq. — Mss. Bong.: *sparsi c.*

§ 5. *duas armatas virgines*] λευκὰς κορὰς, v. interpp. ad Cic. de divin. I, 37.

§ 12. *Alter ex ducibus*] Acichorius vel Cichorius (quae esse eadem nomina ostendit Valesius; v. Siebelis ad Paus. l. IV. p. 218 sq.).
punitis] Mss. Bong.: *positis*.
cum decem mill.] ὄντας περὶ δισμυρίους, Diod. XXII. fr. 13.
§ 13. *nulla sub t.*] Mss. Bong.: *nullis s.*

situdo et super haec maximum pervigiliae malum miseras infelicis
15 belli reliquias obterebant. Gentes quoque nationesque, per quas
16 iter habebant, palantes velut praedam sectabantur. Quo pacto evenit, ut nemo ex tanto exercitu, qui paullo ante fiducia virium etiam adversus deos contendebat, vel ad memoriam tantae cladis superesset.

---

§ 14. *maximum*] Mss. Bong.: *maxime*, quod debile est; neque adeo hic legi posse censeo. *Maximum* est ingens.

pervigiliae] Coll. N., Prag., edd. Ven., Ald., Paris.: *pervigilii.* Exemplis istud alterum tueri non poteris, sed non est, cur continuo damnetur: sic etiam Charisius I. p. 43, P.: *Pervigilia neutrali genere plurali numero an pervigiliae fem. gen. plur. num. dici debeat quaeritur: et dicendae sunt pervigiliae, nec hoc laboriosa ratione adprobatur. Nam cum per se vigiliae dicantur, praepositione adiecta non naturam mutant, sed accipiunt temporis diuturnitatem, ut pervigilare.*

§ 15. *palantes*] Gronovius ex vestigiis aliquot mss. et edd vett. coni.: *vagos palantes.*

§ 16. *adversus*] Deest in 1 Bong.; quare 2 Gronov., Goth.: *deos contemnebat;* Prag.: *deos spoliare contendebat.*

nemo — superesset] Sic Diodorus pariter ac Pausanias; sed infra noster XXXII, 3, § 6 reliquiarum de Brenni exercitu *partem in Asiam, partem in Thraciam fugisse* scribit, et cum nostro alii, quos recenset Gottl. Wernsdorfius *de Galat. republ.* I. § 6. p. 18 sqq. qui in seqq. §§ in rem et testimonia accuratius inquirit; quem vide, addito Spanhem. ad Callim. hymn. Del. 145 et Siebelis. ad Pausan. X, 23, p. 232.

LIBER XXV.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXV.*)

Quinto et vicesimo volumine continentur haec. Ut Antigonus Gallos delevit; deinde cum Apollodoro, Cassandreae tyranno[1]), bellum habuit. Ut Galli transierint in Asiam bellumque cum rege Antiocho[2]) et Bithynis[3]) gesserint: quas regio-

---

[1]) De hoc crudelissimo tyranno, cuius mentionem Iustinus facere noluit, v. laudd. ap. Wessel. ad Diod. T. II. p. 562 sq., praesertim Heinsium ad Ovid. Pont. II, 9, 43.

[2]) Ita 2 Vatt, coll. C. C., Leidd., Thuan. Vett. ediderant: *Antigono*, quod falsum esse ostendit Longuerrius. Intelligitur Antiochus Seleuci Soter. Omisit hoc bellum Iustinus.

[3]) *κατὰ τῶν Βιθυνῶν* Nicomedi auxilium ferentes; Memnon. p. 227 sq.

nes Felini[4]) occuparunt. Ut Pyrrhus ex Italia reversus regno Macedoniae Antigonum exuerit; Lacedaemoniam obsederit; Argis interierit; filiusque eius Alexander Illyricum cum Mytilo[5]) bellum habuerit.

Bekk. Recte igitur emendavit Freinshemius codd. lectionem *Bithynio;* Periz.: *Bithynia;* 4 Gronov.: *Bithannio.* Non opus est quod Longuerrius volebat ex Liv. XXXVIII, 16: *Bithynio Z y b o e t e* vel *Z y p o e t e g.*

4) „Codd. mss. omnes depravati constanter retinent hanc vocem vel *Selini.*“ *Longuerr.* Crac.: *Philini;* ed. Oxon.: *Tileni.* Longuerr.: „Lege tuto: *Galli*“, et Grauert.: „legendum puto *Galli ipsi*“: qualia non depravantur. Res obscura.

5) Periz.: *Mytillo*, ut Gronov. edidit. Idem cum Crac.: *Al. cum rege Illyricum cum* (om. Cr.) *Myt. b. h.* Iustinus omisit.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Galli Antigono, Macedoniae regi, pacem venalem offerunt.*
2. *Dum ad praedam currunt, praedae fiunt ipsi: et Antigonus pacem obtinet. Nomen Gallorum formidabile et armorum invicta felicitas.*
3. *Pyrrhus Macedonia potitur Antigono eiecto.*
4. *Pyrrhus, dum monarchiam somniat, a Spartanis mulieribus atteritur.*
5. *Pyrrhus apud Argos occiditur: eiusdem elogium et rerum summa subiicitur.*

I. Inter duos reges, Antigonum et Antiochum, statuta pace 1
cum in Macedoniam Antigonus reverteretur, novus eidem repente
hostis exortus est. Quippe Galli, qui a Brenno duce, cum in Grae- 2
ciam proficisceretur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, ne

---

C. I. *Inter duos reges — statuta pace*] Memnon ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλείαν pag. 227 Phot. Bekk.: *Κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους* (antequam Galli ad Byzantium considerent et a Nicomede arcesserentur) *Ἀντιόχῳ τῷ Σελεύκου καὶ Ἀντιγόνῳ τῷ Δημητρίου μεγάλων ἑκατέρωθεν στρατευμάτων ἀντιπαραταττομένων κινεῖται ὁ πόλεμος καὶ χρόνον συχνὸν κατέτριψε· συνεμάχει δὲ τῷ μὲν ὁ τῆς Βιθυνίας βασιλεὺς Νικομήδης, Ἀντιόχῳ δὲ πολλοὶ ἕτεροι. οὔπω δὲ συῤῥαγεὶς Ἀντίοχος Ἀντιγόνῳ τὸν πρὸς Νικομήδην χειρίζεται πόλεμον· ὁ δὲ Νικομήδης — — λοιπὸν ἀντικαθίσταται τῷ τοῦ Ἀντιόχου στόλῳ. ἐπὶ χρόνον δέ τινα ἀντικαταστάντες ἀλλήλοις, οὐδέτεροι μάχης ἦρξαν, ἀλλ' ἄπρακτοι διελύθησαν.*

§ 2. *proficisceretur*] Sic Goth., Crac., Prag.; Gronovius de suis non memorat. Bong.: *proficiscerentur*, ut edd. ante ipsum, quod praetervidisse eum puto.

soli desides viderentur, peditum quindecim millia, equitum tria
3 millia armaverunt; fugatisque Getarum Triballorumque copiis Macedoniae imminentes legatos ad regem miserunt, qui pacem ei vena-
4 lem offerrent, simul et regis castra specularentur. Quos Antigonus pro regali munificentia ingenti apparatu epularum ad coenam invita-
5 vit. Sed Galli expositum grande auri argentique pondus admirantes atque praedae ubertate sollicitati infestiores quam venerant revertun-
6 tur. Quibus et elephantos ad terrorem velut inusitatas barbaris for-
7 mas rex ostendi iusserat et naves onustas copiis demonstrari: ignarus, quod, quibus ostentatione virium metum se iniicere existimabat,
8 eorum animos ut ad opimam praedam sollicitabat. Itaque legati ad suos reversi omnia in maius extollentes opes pariter et negligentiam
9 regis ostendunt: *referta auro et argento castra, sed neque vallo fossave munita; et quasi satis munimenti in divitiis haberent, ita eos*
10 *omnia officia militaria intermisisse: prorsus quasi ferri auxilio non indigerent, quoniam abundarent auro.*

1 II. Hac relatione avidae gentis animi satis ad praedam incita-
2 bantur; accedebat tamen et exemplum Belgii, qui non magno ante
3 tempore Macedonum exercitum cum rege trucidaverat. Itaque consentientibus omnibus nocte castra regis adgrediuntur: qui praesentiens tantam tempestatem signum pridie dederat, ut omnibus rebus ablatis in proxima silva taciti se occultarent. Neque aliter servata
4 castra quam quod deserta sunt: siquidem Galli, ubi omnia vacantia nec sine defensoribus modo, verum etiam sine custodibus vident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes diu intrare portas timue-
5 runt. Ad postremum integris et intactis munimentis scrutantes po-
6 tius quam diripientes castra occupaverunt. Tunc ablatis quae invenerant, ad litus convertuntur. Ibi dum naves incautius diripiunt, a remigibus et ab exercitus parte, quae eo cum coniugibus et liberis
7 confugerant, nihil tale metuentes trucidantur: tantaque caedes Gal-

---

quindecim mill.] Prag., Crac.: *XXV m.*, ut ed. Rom.
tria mill.] Med. 1: *quatuor*, ut 2 edd. vett.

§ 4. *munificentia*] Haec constans librorum omnium lectio est, nisi quod unus Bong.: *magnificentia*, quod unice verum putavit Wopkensius, recepit Beneck. (adde Gronov. pag. 924.) Sed hoc Iustinus voluit: Rex legatos non ad colloquium tantum admisit, sed regia liberalitate epulis magnificentissimis adhibuit.

§ 6. *inusitatas*] Defendi posse hanc dictionem puto iis, quae ad XVIII, 1, § 5 congessimus. I. Fr. Gronov. reponendum censuit: *invisitatas*, ut habetur in ms. Oxon. et Dorv. 2; v. etiam Wopk. ad h. l. — Vid. A. G. Schlegel. *ad hist. eleph.;* Bibl. Ind. I. p. 181.

C. II. § 6. *confugerant*] Sic omnes ad unum codd., etiam edd. vett. praeter unam. Sed satis imperiose Beneckius: „*Der Pluralis confugerant — kann auf keine Weise gerechtfertigt werden.*" V. D. additum: *cum coniugibus* cett., dum hoc pronunciaret, plane praetervidit; v. Ramsh. *gr. lat.* p. 154. Grotef. § 153 not. 2 p. 237. Bentlei. ad Hor.

lorum fuit, ut Antigono pacem opinio huius victoriae non a Gallis
tantum, verum etiam a finitimorum feritate praestiterit. Quamquam 8
Gallorum ea tempestate tantae fecunditatis iuventus fuit, ut Asiam
omnem velut examine aliquo implerent. Denique neque reges Orien- 9
tis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt; neque
pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerunt. Tantus terror 10
Gallici nominis et armorum invicta felicitas erat, ut aliter neque ma-
iestatem suam tutari neque amissam reciperare se posse sine Gallica
virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium a Bithyniae rege invocati 11
regnum cum eo parta victoria diviserunt; eamque regionem *Gallo-graeciam* cognominaverunt.

III. Dum haec in Asia geruntur, interim in Sicilia Pyrrhus a 1
Poenis navali proelio victus ab Antigono, Macedoniae rege, supple-
mentum militum per legatos petit, denuntians, *ni mittat, redire se* 2
*in regnum necesse habere, incrementa rerum, quae de Romanis volue-
rit, de ipso quaesiturum.* Quod ubi negatum legati retulerunt, dis- 3
simulatis causis repentinam fingit profectionem. Socios interim pa- 4
rare bellum iubet: arcis Tarentinae custodiam Heleno filio et amico
Miloni tradit. Reversus in Epirum statim fines Macedoniae invadit: 5

Serm. I, 7, 20. Frotscherus quoque: *confugerat*, ut Med. 2, qui nullius prorsus fidei est, et omnium recentissimus Dorv. 2; Gronov. tamen: *confugerant*. I. Fr. Gronov.: *qui eo*, sicuti diserte legitur in Dorv. 3 et Goth. — De re dubitandum esse videtur; certe non dilucide satis narrata est.

§ 8. Accuratiora et aliorum narrationes vide apud Gottl. Wernsd., *respbl. Galat.* I. § 9. p. 23 sqq.

§ 9. 10. Vide singula omnia in Wernsd. l. l. I, c. 4. p. 131 sqq. et ante quaedam p. 29 sqq.

§ 10. *tutari*] Sic in Aldina Franc. Asulanus, deinde Bongarsius coniecit: codd. enim omnes: *tutam*, quod maxime inconcinnum est.

sine Gall. virt.] Retinui hanc codd. tantum non omnium lectionem; nam satis longe praepositio abest a voc. *aliter*, ut ea neglecta mutatam structuram scriptor ad extrema referre sine magna offensione possit. Gronov. e cod. coll. N. interpolatissimo, uno Bong., quem recentem eius esse consensus Pragensis (et Crac.) probat, et Dorv. 2 edidit: *nisi Gall.*, ut voci *aliter* sua structura constet, de qua praeter Wopk. Gronov. p. 925.

§ 11. *a Bithyniae rege*] Nicomede, non Eumene, ut falso Vincentius; v. Gisb. Cuperum *Observv.* IV, 11, p. 438 sqq. ed. Schmid., qui multus est in his rebus; adde Memnon. p. 227 Bekk.

invocati] Mss. Bong. et chronogr. aliquot vett.: *vocati*. Illud habes ap. Quintil. IV. prooem. § 5: *nunc omnes in auxilium deos ipsumque — invocem*.

regnum — diviserunt] rhetorice; vid. Gottl. Wernsdorf. l. l. p. 38. Memnon: (Galli) πολλὴν ἐπελθόντες χώραν αὖθις ἀνεχώρησαν καὶ τῆς αἱρεθείσης αὐτοῖς ἀπετέμοντο τὴν νῦν Γαλατίαν καλουμένην.

parta victoria] de Bithynis Zipoetae addictis.

C. III. § 1. *a Poenis n. pr. victus*] Supra XXIII, 3, § 9 Iustinus hoc proelium commemorare neglexit. V. Appian Samnit. exc. XII, al.

§ 3. *fingit*] molitur, adornat; v. Graev.

cui Antigonus cum exercitu occurrit; victusque proelio in fugam ver-
6 titur. Atque ita Pyrrhus Macedoniam in deditionem accipit; et vel-
uti damna amissae Siciliae Italiaeque adquisito Macedoniae regno
7 pensasset, relictum Tarenti filium et amicum arcessit. Antigonus
autem cum paucis equitibus, fugae comitibus, repente fortunae or-
namentis destitutus amissi regni speculaturus eventus Thessalonicam
se recepit: ut inde cum conducta Gallorum mercenaria manu bellum
8 repararet. Rursus a Ptolemaeo, Pyrrhi filio, funditus victus, cum
septem comitibus fugiens non iam reciperandi regni spem, sed salu-
tis latebras ac fugae solitudines captat.

1 IV. Igitur Pyrrhus in tanto fastigio regni collocatus iam nec
eo, ad quod votis perveniendum fuerat, contentus Graeciae Asiae-
2 que regna meditatur. Neque illi maior ex imperio quam ex bello
voluptas erat: nec quisquam Pyrrhum, qua tulisset impetum, susti-
3 nere valuit. Sed ut ad devincenda regna invictus habebatur, ita
devictis adquisitisque celeriter carebat. Tanto melius studebat ad-
4 quirere imperia quam retinere. Itaque cum copias Cherroneso trans-
posuisset, legationibus Atheniensium et Achaeorum Messeniorumque
5 excipitur. Sed et Graecia omnis admiratione nominis eius, simul
et rerum adversus Romanos Poenosque gestarum gloria attonita ad-
6 ventum eius exspectabat. Primum illi bellum adversus Spartanos
fuit: ubi maiore mulierum quam virorum virtute exceptus Ptole-
7 maeum filium et exercitus partem robustissimam amisit: quippe op-
pugnanti urbem ad tutelam patriae tanta multitudo feminarum con-
8 currit, ut non fortius victus quam verecundius recederet. Porro

---

§ 7. *eventus*] Sic etiam Bong. sine v. l., Goth., 5 Gronov.; vide Wopkens. Multi: *eventum*.

§ 8. *solitudines*] Mss. Bongars., coll. C. C.: *solitudinisque*. — Hoc proelium non recordor alibi usquam memoratum esse.

C. IV. § 2. *quisquam*] Mss. Bong.: *quidquam*.

qua tulisset impetum] i. e. quacunque impetum in aliquos convertisset, direxisset. Mss. aliquot Bong. et coll. C. C.: *imperium*; unde Schefferus: *q. tul. impetus eum*; Beneckius cum pessimis libris, coll. N. et Dorv. 2, legendum censet: *qua tulisset impetus*, debilitata maxime sententia. Si quid mutandum est, voculae *qua* substituendum *quo*; sed neque hoc necessarium.

§ 4. *Cherroneso*] Peloponnesi peninsulam intelligit, in quam per Isthmum Corinthium pervenit. Dativus *Cherroneso* copiose defenditur a Wopkens. ad h. l. I. F. enim Gronovius correxerat probante Graevio: *Cherroneson*; Magl.: *Cherronesum*. — Glareanus: „Ego omnino legendum puto *Peloponneso*;“ cui adstipulatur Faber.

Messeniorumque exc.] at Messenii et Argivi inter Spartanorum auxilia recensentur, Pausan. I, 13, § 5.

§ 5. *gloria*] Sic Bong. sine v. l.; sed abest vocabulum ab omnibus Gronov., Crac., Goth., Prag., edd. vett.: quare suspectum est.

§ 6. *ubi*] Deest in mss. Bong., Crac.; iidem male: *exceptum*.

§ 7. *verecundius*] V. Beneck.

Ptolemaeum filium eius adeo strenuum et manu fortem fuisse tradunt, ut urbem Corcyram cum sexagesimo ceperit; idem proelio navali quinqueremem ex scapha cum septimo insiluerit captamque tenuerit; in oppugnatione quoque Spartanorum usque in mediam urbem equo 9
procurrerit, ibique concursu multitudinis interfectus sit. Cuius cor- 10
pus ut relatum patri est, dixisse Pyrrhum ferunt: *aliquanto tardius eum, quam timuerit ipse vel temeritas eius meruerit, occisum esse.*

V. Repulsus a Spartanis Pyrrhus Argos petit: ibi, dum Anti- 1
gonum in urbe clausum expugnare conatur, inter confertissimos violentissime dimicans saxo de muris ictus occiditur. Caput eius Anti- 2
gono refertur: qui victoria mitius usus filium eius Helenum cum Epirotis sibi deditum in regnum remisit, eique insepulti patris ossa in patriam referenda tradidit.

Satis constans inter omnes auctores fama est, nullum nec eius 3
nec superioris aetatis regem comparandum Pyrrho fuisse; raroque non inter reges tantum, verum etiam inter illustres viros aut vitae sanctioris aut iustitiae probatioris visum fuisse: scientiam certe rei 4
militaris in illo viro tantam fuisse, ut cum Lysimacho, Demetrio, Antigono, tantis regibus bella gesserit, invictus semper fuerit; Illy- 5
riorum quoque, Siculorum Romanorumque et Carthaginiensium bel-

---

§ 8. *urbem Corcyram*] Hoc in prima eius oppugnatione factum esse non potest; nam *Πύῤῥος βασιλεύσας πρώτοις ἐπέθετο Ἑλλήνων Κορκυραίοις* (Pausan. I, 11, § 6 coll. 12, 2); illo autem tempore Pyrrhus ne tricesimum quidem annum attigerat; sed post erepta ei a Demetrio; inde sine dubio repetita est iterato bello.

cum sexagesimo — cum septimo] Sic mss. nescio quot Bong., mss. Wopk., 5 Gronov., posterius adeo 10 Gronov., edd. vett. Restituendum censuit I. Fr. Gronov., quem vide praesertim in Mantissa de Pecun. vet. c. 1 et al. ap. Gronov. p. 927. Ceteri codd. cum Bong.: *c. sexaginta — cum septem*, quod ne ipsum quidem falsum esse ostendit Wopkens., sed h. l. fortasse ex signis numerorum ortum.

idem] Sic omnes, ut videtur, Gronovii et al. Bong.: *item.*

quinqueremem] Edd. vett.: *triremem.*

C. V. § 2. *refertur*] Magl., Dorv. 1. 2, Goth.: *defertur*, de quo v. Wopkens. — Ceterum non praetereundum videtur, quod nuper in Caecil. Apuleii libello *de orthogr.* editum est § 16. p. 7: „*Pyrrhus — rex Epiri — interemptus fuit a Cercre sub mulieris Argivae specie, Herophilo Polignoque* (scr. *Polybioque;* v. Osann.), *poeta Leucea ac Pausania* (v. Attic. 13), *in suo templo; sive in aede Dianae a quadam muliere, Trogo, Sallustio et Luceio . . . .*"

insepulti] Quae controversia huic lectioni mota fuerit, v. ap. Wopk. Est: nondum sepulti, licet iam cremati; v. Valer. Max. V, 1 extr. § 4. — 4 mss. ap. Wopk., Prag.: *sepulti.*

§ 4. *gesserit*] Sic universi codd. Bongars. et Modii, Prag., Goth., edd. vett.: quod verum esse cognosces, si legendo vocem *semper* magis acuas. Vulgo: *gerens.*

6 lis numquam inferior, plerumque etiam victor exstiterit: qui patriam certe suam angustam ignobilemque fama rerum gestarum et claritate nominis sui toto orbe illustrem reddiderit.

§ 6. *qui*] Hoc Wopkens. delendum censet; frustra.

LIBER XXVI.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXVI.*)

Sexto et vicesimo volumine continentur haec. Quibus in urbibus Graeciae dominationem Antigonus Gonatas constituerit. Ut defectores Gallos Megaris*) delevit[1]) regemque Lacedaemoniorum Arean[2]) Corinthi interfecit: dehinc cum fratris sui Crateri[3]) filio) Alexandro bellum habuerit[4]). Ut princeps Achaiae Aratus Sicuonem[5]) et Corinthum et Megara[6]) occupavit. Ut in Syria rex Antiochus cognomine Soter altero filio occiso, altero rege nuncupato Antiocho[7]) decesserit. Ut in Asia[8]) filius Ptolemaei regis socio Timarcho desciverit a patre. Ut frater Antigoni Demetrius occupato Cyrenis regno interiit. Ut mortuo rege Antiocho[9]) filius eius Seleucus Callinicus[10]) regnum acceperit.**

*) Ed. pr.: *Magaris.*

[1]) Vide ad c. 2, § 1.

[2]) Sic Iustin. XXIV, 1, § 5; h. l. Modius et Gron. Colbertt. et Crac.: *Aream.* Bong.: *Area.* De re v. ad c. 2, § 7.

[3]) Huius memoriam prope intermortuam instauravit Niebuhrius in illustrissima scriptione *de vers. Armen. Eusebii Chron.* p. 225 sq. Opusculorum, ubi etiam de hoc bello ab Iust. praeterito.

**) 5 codd. Gronov., Crac. hic inserunt *suo.*

[4]) „Nescio an *habuit.* Certe non plene distinguendum ante verb. *dehinc.*“ *Grauert.* Cf. finem seq. prolog.

[5]) Mod.: *Sicion.* Periz., Crac.: *Niconem.* Omissa ab Iustino haec origo foederis Achaeorum.

[6]) Mod.: *Megaram.*

[7]) Cognomine *Deo.* Omisit Iust.

[8]) „Imo in *Aegypto;* v. Iust. c. 3. Quod corrige.“ *Grauert.* Male; v. Niebuhr. in script. modo laud. p. 268 sqq. Opusc., ubi vide qua luce haec perfundantur. Nihil horum apud Iustinum.

[9]) Sic coniecerunt Cuperus et Longuerr., exhibent Periz. et Crac. Codd.: *Antigono.* Frequens permutatio.

[10]) Vett.: *Gallinicus.* Omisit Iustinus.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Peloponnesii per proditionem Antigono traduntur. Aristotimus tyrannus Epirotas adfligit et Hellanici prudentia opprimitur.*
2. *Antigonus Gallis occurrit, qui in furorem versi coniuges et liberos suos trucidant: deinde numinis vindicta omnes internecione delentur. Antigoni bellum cum Atheniensibus.*
3. *Alexander, Pyrrhi filius, in regnum restituitur. Regni Cyrenarum turbulentus status.*

I. Post mortem Pyrrhi non in Macedonia tantum, verum etiam 1
in Asia Graeciaque magni bellorum motus fuere. Nam et Pelopon- 2
nesii per proditionem Antigono traditi: et variante hominum partim 3
dolore, partim gaudio, prout singulae civitates aut auxilium de Pyrrho speraverant aut metus sustinuerant, ita aut cum Antigono societatem iungebant aut mutuis inter se odiis in bellum ruebant. Inter 4
hunc turbatarum provinciarum motum *Epiorum** quoque urbs ab Aristotimo principe per tyrannidem occupatur: a quo cum multi ex 5
primoribus occisi, plures in exsilium acti essent, Aetolis per legatos postulantibus, *coniuges liberosque exsulum redderet*, primo negavit; postea, quasi poeniteret, proficiscendi ad suos omnibus matronis 6
potestatem dedit; diemque profectionis statuit. Illae, quasi in per- 7

* *Epirorum*

C. I. § 2. *per proditionem*] Accuratiora hic nescimus. — 1 Bong.: *per traditionem;* et plures: *sunt traditi*, ut Crac.

§ 3. *dolore*] Mss. Bong.: *metu.*

§ 4. *Epiorum*] i. e. Eleorum, quorum opinor origines h. l. Trogus paucis repetierat; inde factum, ut Iustinus harum rerum non insigniter gnarus vetustius nomen pro recentiore excerperet. Pausanias de Elide (c. I, § 3. 6.): Ἐπειοὶ πρῶτον τότε ὧν ἦρχεν (ὁ Ἐπειὸς) ὠνομάσθησαν· — τὴν δὲ Ἐπειῶν ἔσχεν ἀρχὴν Ἠλεῖος — καὶ τὸ ὄνομα οἱ ἄνθρωποι τὸ νῦν ἀντὶ Ἐπειῶν ἀπὸ τοῦ Ἠλείου μεταβεβλήκεσαν. Debemus autem emendationem hanc facillimam Fabro, quam recipiendam duxi, quod notissimum nomen *Eleorum* vel *Eliorum* mutari vel corrumpi potuisse non est credibile. Bongars. et codd. plurimi: *Epirorum;* unus Bong.: *Epirotorum;* Prag. et edd. aliquot vett.: *Epirotarum.* Historia iubente Bongarsius probante etiam I. Fr. Gronovio correxerat: *Eliorum.* Praeterea Iustinus *Epirotas* ubique illos homines appellat, *Epiros* nusquam. Rem multis narrat Plutarchus *de virtutt. mul.* p. 250 sqq. cuius immemor erat Glareanus, dum proponeret: *Epidauriorum.*

occupatus] auxiliante Antigono.

§ 5. *primoribus*] Addit Ald.: *qui forte ad eum confugerant.*

Aetolis] Vide hoc explicantem Christianum Lucas *über Polyb. Darst. des Aetol. B.* p. 71 sq.

petuum cum viris exsulaturae, pretiosissima quaeque auferentes, cum
ad portam quasi uno agmine profecturae convenissent, omnibus re-
bus exspoliatae in carcerem recluduntur, occisis prius in gremio ma-
8 trum parvulis liberis virginibusque ad stuprum direptis. Ad tam
saevam dominationem stupentibus omnibus princeps eorum Hellani-
cus, senex et liberis orbus, ut qui nec aetatis nec pigneris respectu
timeret, contractos domum fidissimos amicorum in vindictam patriae
9 hortatur. Cunctantibus privato periculo publicum finire et delibe-
randi spatium postulantibus arcessitis servis iubet obserari fores ty-
rannoque nuntiari, *mitteret qui coniuratos apud se comprehenderet;*
obiectans singulis *se, quia liberandae patriae auctor esse non possit,*
10 *desertae ultorem futurum.* Tunc illi ancipiti periculo circumventi
honestiorem viam eligentes coniurant in tyranni necem: atque ita
Aristotimus quinto postquam tyrannidem occupaverat mense oppri-
mitur.

1 II. Interea Antigonus cum multiplici bello et Ptolemaei regis et
Spartanorum premeretur; novusque illi hostis Gallograeciae exercitus

---

§ 8. *Hellanicus*] Edd. vett.: *Helematus.*

ut qui] Mss. Bong. et Franecq.: *et qui;* 2 Gronov.: *et quia.*

pigneris] Sic omnes Bong., q. v., etiam 4 Leidd.: quod eo magis verum iudico, quia Agroetii grammatici regulae adversatur, p. 1347, 29 ap. Gothofr.; cf. Schneider. in *declin. lat.* p. 177. Vulgo: *pignoris.*

§ 9. *obserari*] 1 Bong., 6 Gronov.: *observari;* de quo vid. Schefferum.

§ 10. *quinto*] Per sex menses eum tyrannidem tenuisse Pausanias refert.

postquam t.] Fortasse ex uno Bong. et 9 Gronov., 4 Wopk. reponendum erat: *quinto quam tyr.*, de quo v. Gron. p. 929. Goth.: *quo.*

C. II. § 1. *Ptolemaei regis et Spartanorum*] Ptolemaeus intelligitur Aegypti rex, Philadelphus. (Male Wetzelius de Ptolemaeo Pyrrhi iam ante patrem defuncto cogitavit.) Antigonus enim, dum post mortem Pyrrhi *in urbibus Graeciae dominationem constituebat*, ut auctor Prologi loquitur, sive instaurabat potius et amplificare studebat, Athenas terra marique aggressus est; his autem Ptolemaeus cum classe et Lacedaemonii πανδημεὶ in auxilium venerunt: inde hoc bellum Antigono exortum est. Locos, praesertim Pausaniae, collegit Chr. Lucas lib. l. p. 72.

Gallograeciae exercitus] In hoc recte offenderunt interpretes, sed corrigendum non erat. Post narrationem in XXV, 2 extr. Iustinus sibi persuaserat Gallos in Europa non amplius superfuisse, verum qui postea ibi pugnabant e Gallograecia advenisse; Trogus, quantum intelligi potest e prologo, recte *Gallos* vocaverat, et *Gallos* quidem *defectores*: in fidem igitur et societatem ab Antigono recepti fuerant. Habebat autem Pyrrhus Gallorum duo millia ac fortasse plures in exercitu contra Spartanos et Argivos: quos deletos esse nusquam legimus; occiso tamen Pyrrho ad Antigonum transiisse probabile est; denique qui iam usus fuerat Gallorum emto auxilio (XXV, 3, § 7), is nonne in tanta belli necessitate hos mercenarios sibi compararet iterum? et ex Thracia peti poterant (vid. infr. XXXII, 3, § 6 addito Gottl. Wernsd. p. 27), unde arcessitos probabiliter statuit idem Wernsd. p. 31 sq., recte de nostro l. iudicans et Cu-

adfluxisset: in speciem castrorum parva manu adversus ceteros re-
licta adversus Gallos totis viribus proficiscitur. Quibus cognitis Galli, 2
cum et ipsi se proelio pararent, in auspicia pugnae hostias caedunt:
quarum extis cum magna caedes interitusque omnium praediceretur,
non in timorem, sed in furorem versi sperantesque deorum minas
expiari caede suorum posse, coniuges et liberos suos trucidant, au-
spicia belli a parricidio incipientes. Tanta rabies feros animos in- 3
vaserat, ut non parcerent aetati, cui etiam hostes pepercissent;
bellumque internecivum cum liberis liberorumque matribus gererent,
pro quibus bella suscipi solent. Itaque quasi scelere vitam victo- 4
riamque redemissent, sicut erant cruenti ex recenti suorum caede,
in proelium non meliore eventu quam omine proficiscuntur: siqui- 5
dem pugnantes prius parricidiorum furiae quam hostes circumvenere;
obversantibusque ante oculos manibus interemtorum omnes occidione
caesi. Tanta strages fuit, ut pariter cum hominibus dii consen- 6
sisse in exitium parricidarum viderentur. Post huius pugnae even- 7
tum Ptolemaeus et Spartani victorem hostium exercitum declinantes
in tutiora se recipiunt. Antigonus quoque ubi eorum discessum vi- 8
det, recenti adhuc ex priori victoria militum ardore bellum Athenien-

---

perum refutans. Ex Iustini de his Gallis sententia provenit etiam vox: *adfluxisset*, qua uti non debebat. Res ad Megara gesta est; non in Macedonia, ut Wetzelius, qui Gallos Pyrrhi in occupanda Macedonia socios (Diod. XXII, p. 563 Wess.) intellexit: „hos a Pyrrho in Peloponnesum festinante ad Macedoniam tutandam relictos, sed in terra amica hostiliter agentes debellabat Antigonus.“ Somnia! — 2 Gronov.: *Gallograeciâ;* coll. N., Prag.: *Gallograecorum.*

§ 2. *in auspicia* sqq.] Cf. ad XXV, 4, § 3.

a parricidio] ut seq. libri initio. Sed praepositio deerat in omnibus Bongars., coll. C. C., Bodl., Goth.: de quo Schefferus: „hoc quia sit et alibi apud nostrum [ubinam?], etiam hic puto omittendam.“ Equidem nondum audeo.

§ 3. *internecivum*] E suis restituit Bongars., Gronov. e 4 suorum. Ceteri libri: *internecinum.* — Ab hostibus enim undique cincti erant illi Galli, neque habebant quo confugerent.

§ 6. *consensisse*] Mss. Bong.: *coisse.* — Edd. vett. et Magl. cum Prag.: *excidium.*

§ 7. Hoc ceteri confirmant. Areus, Lacedaemoniorum dux, consumto fere omni commeatu desertis Athenis exercitum reduxit, ad patriae usus quid reliquum esset opum servandum, neque propter socios temere profundendum ratus; in eo autem reditu Corinthum, Antigoni sedem, per occasionem adortus esse videtur, ubi ab eodem interfectum esse ex prologo constat; adde Plutarch. Agide c. 3. (Pausan. Lacon. 6, § 3.) De Ptolemaeo autem Pausanias: ἀλλὰ γὰρ ἀπ᾽ αὐτοῦ οὐδὲν μέγα ἐγένετο ἐς σωτηρίαν Ἀθηναίοις. (Attic. 7 extr.) Post horum igitur discessum Antigonus Athenienses nemine ἐν τοῖς ὑπαιθρίοις prohibente acrius oppugnat: quare tum primum *illatum esse Atheniensibus bellum* Iustinus putavit.

§ 8. *ardore bellum*] Mss. Bong.: *ardore belli bellum;* unde Vossius: *bellandi.*

9 sibus infert. In quo cum occupatus esset, interim Alexander, rex Epiri, ulcisci mortem patris Pyrrhi cupiens fines Macedoniae depo-
10 pulatur. Adversus quem cum reversus a Graecia Antigonus esset, transitione militum destitutus regnum Macedoniae cum exercitu amit-
11 tit. Huius filius Demetrius, puer admodum, absente patre reparato exercitu non solum amissam Macedoniam recipit; verum etiam
12 Epiri regno Alexandrum spoliat. Tanta vel mobilitas militum vel fortunae varietas erat, ut vicissim reges nunc exsules, nunc reges viderentur.

1 III. Igitur Alexander, cum exsul ad Acarnanas confugisset, non minore Epirotarum desiderio quam sociorum auxilio in regnum restituitur.

2 Per idem tempus rex Cyrenarum *Magas** decedit: qui ante infirmitatem Beronicen, unicam filiam, ad finienda cum Ptolemaeo
3 fratre certamina filio eius desponderat. Sed post mortem regis mater virginis, Arsinoë, ut invita se contractum matrimonium solveretur,

* *Agas*

---

§ 9. Haec igitur causa erat, cur τοῖς Ἀθηναίοις ἀντισχοῦσιν ἐπὶ μακρότατον ἐποιήσατο Ἀντίγονος εἰρήνην cett. Pausan. Lacon. l. l.

§ 10. 11. Euseb. e vers. Armen. I, c. 39: *Circa hos annos* (extremos Antigoni) *Pyrrhus* (lege: Pyrrhi filius) *receptis in deditionem Antigoni copiis paucisque locis potitus, proelio deinde Derdii* [quod recte tuetur ill. *Niebuhr.* in Opusculis T. I. p. 228 sq.] *a Demetrio, filio Antigoni, debellatus est rebusque exutus.*

§ 11. *Huius filius Dem.*] De eo bis etiam Euseb. l. l. et Plutarchus eodem usum esse testatur patrem in recuperanda Corintho; vit. Arat. 17. Niebuhrius tamen l. l. e fratribus Antigoni eiusdem nominis unum fuisse censet.

reparato ex.] Mss. Bong. *patrato* (?) *ex.*, ut Periz. Deinde vett. edd. ante Ald. cum Goth., Prag.: *recepit.*

C. III. § 1. *ad Acarnanas*] 1 Bong.: *Acarnansnon;* al. *Acarnanos;* Bodl., Goth.: *Carnanos.* Edd. vett.: *Arcadas.* — Acarnania iam Pyrrho obedierat (v. Plut. 6), ab Alexandro autem *in portionem belli accepta est* (infr. XXVIII princ.).

§ 2. *Agas*] Sic Bongars. et codd.; edd. quaedam: *Agys;* coll. N.: *Magius;* Bodl.: *lasangas;* Prag.: *Sangas magnus.* Verum nomen: *Magas*, quod multi Graeci servarunt, a Trogo scriptum esse videtur, litt. *M* apud Iustinum ob praecedentem vocem abrepta. Ita iam correxerat P. Leopardus.

Ptolemaeo fratre] Philadelpho, cui frater erat ex matre Berenice, filius Philippi, prioris eiusdem mariti. Cf. ad XVI, 2, § 7. A Ptolemaeo autem praepositus fuerat Cyrenensibus, quibus, ut a fratre deficerent et bello Aegyptum peterent, persuasit. Deinde partim Marmaridarum, quae Libyum Nomadum gens est, defectione, partim Antiochi Dei, quem in societatem belli sollicitaverat, a Ptolemaeo variis modis pressi infirmitate motus (Pausan. I, 7) a bello destitisse videtur.

filio eius] 1 Bong., coll. C. C., Leid. 3 addunt: *qui vocatus est Gallinicus;* male.

misit qui ad nuptias virginis regnumque Cyrenarum Demetrium, fratrem regis Antigoni, a Macedonia arcessererent: qui et ipse ex filia Ptolemaei procreatus erat. Sed nec Demetrius moram fecit. Itaque 4 cum secundante vento celeriter Cyrenas advolasset, fiducia pulchritudinis, qua nimis placere socrui coeperat, statim a principio superbus regiae familiae militibusque impotens erat; studiumque placendi a virgine in matrem contulerat. Quae res suspecta primo virgini, 5 dein popularibus militibusque invisa fuit. Itaque versis omnium ani- 6 mis in Ptolemaei filium insidiae Demetrio comparantur: cui, cum in lectum socrus concessisset, percussores immittuntur. Sed Arsinoë 7 audita voce filiae ad fores stantis et praecipientis, *ut matri parceretur*, adulterum paullisper corpore suo protexit. Quo interfecto Be- 8 ronice et stupra matris salva pietate ulta est et in matrimonio sortiendo iudicium patris secuta.

---

§ 3. *Demetrium*] Demetrii Poliorcetis filium e Ptolemaide, Ptolemaei Lagidae et Eurydicae Antipatri filia, cognomine *Pulchri*.

qui et ipse ex filia Ptol.] ut Beronice ex filio Ptolemaei, licet privigno, Maga. Ad Arsinoën referri nequit, nisi hic etiam duas feminas eiusdem nominis permutavit Iustinus vel Trogus. Cognosce de Arsinoë, quae fuerit, coniecturam Niebuhrii, *Opusc.* I. p. 230.

§ 4. *socrui*] Mss. Bong.: *socrus*.

§ 6. *Ptolemaei* (Philadelphi) *filium*] Euergeten, cuius deinde uxor facta est. De temporibus harum rerum v. Niebuhr. l. l. p. 237 sqq.

LIBER XXVII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXVII.*)

Septimo et vicesimo volumine continentur haec. Seleuci bellum in Syria adversus Ptolemaeum[1]: item in Asia adversus fratrem suum Hieracem[2]: quo bello Ancurae[3]) victus est a

---

[1]) Longuerrius addendum censebat e cod. Maxim.: *Tryphonem;* quod cum Gronov. in Periz. invenisset (accedit Crac.), recipere non dubitavit. Sed a lectoris alicuius manu profectum est.

[2]) Gronov.: *Antiochum Hier.*, ut 5 codd., quibus usus est, Crac. et Modius.

[3]) Vett. codd.: *Angurae*, quod Vorstius tuetur. Intelligitur Ἄγκυρα, nobilis urbs Galatarum. Maxim.: *Ancyrae*, ut vulgo legunt. Crac.: *Antigare*.

Gallis. Utque Galli Pergamo victi ab Attalo[4]) Zielam Bithunum[5]) occiderint. Ut Ptolemaeus Achaeum[6]) denuo captum interfecerit; et Antigonum Andro[7]) proelio navali . . . . .[8]) vicerit. Ut[9]) a Callinico fusus in Mesopotamia Antiochus insidiantem sibi effugit Ariamenem[10]), dein postea custodes Tryphonis[11]): quo a Gallis occiso Seleucus quoque, frater eius, decesserit maioremque filium eius *Apaturius**[12]) occiderit.

* *Epatorius*

---

[4]) V. ad c. 3, § 1. Quia pugnae clarissimae locus alibi non significatur, Cuperus: *Pergameno;* male.

[5]) Vett. hic: *ab Ataloziae Lambitunum.* Modius: *ab Attalo Lambitunum.* Freinshemius: *ab Attalo*, *Zybaeam Bithynum* s. *Bithunum*, de quo *Zypoete* locos hic congessit; sed melius esse ipse vidit quod Valesius invenerat: *Zielam* (v. Longuerr. et nos ad c. 3, § 1), confirmatum per Maxim. et 1 Colb., qui praeterea *Bithynium* vel *Bithunium*, Leid. 4, Thuan. a pr. m. Periz.: *Ziaela orbitunum.* Thuan. a sec. m.: *ab Antiocho Eumenem Bithinium*, ut Crac. et vetus vers. Ital. ap. Gron., qui recte vidit e Iustino 3, 1 et 5 id esse illatum. Cuperus: *acciverint* pro *occiderint;* male; v. Phylarchum apud Athen. II. p. 58, C. Gronovius: *Zielan.*

[6]) Vett. et, ut videtur, Longuerriani: *eum;* sed 5 Gronovii: *adeum*, in quo Niebuhrii acumen detexit nomen *Achaei.* Hoc a vero non abesse puto. V. Opusc. I. p. 259—61. In voce *denuo* loci nomen latere coniecit, ubi captus esset. In temporis ordinem peccaverat Longuerrius reponens: *ut Ptolemaeus* (Ceraunus) *Ptolemaeum* (Lysimachi filium) *d. c. i.*, quod operose defendit.

[7]) Hanc victoriam Euergetis Niebuhrius l. l. p. 297 refert ad Antigoni *Dosonis* expeditionem navalem, quam in Callinici gratiam susceperat; v. prolog. seq.

[8]) Bong.: *prona;* Modius: *oprona*, ut 5 Gron. Longuerrii codd. *Oprona* vel *Oppiona.* Qua erasa voce, ex qua nemo invenit quid efficeret, codd. Thuan. et Crac.: *et Ant. Androgothus* (Cr.: *Androgutus;* vers. It.: *Anotogato*) *p. n. vic.* Longuerr.: *p. n. perviccrit*, quod recepit Gronovius.

[9]) Ita Reg., Periz., Crac., ut voluerat Freinshem. Ceteri omnes: *et a.* Vett.: *Gallin.*

[10]) Ita codd. Rom. et Gronov. omnes. Vett.: *Artamenem*, quod primus correxit Vossius. Gronovius: *Ariamenen.* De re v. nos ad c. 3, § 6. 7.

[11]) Sic codd. Rom., Periz., Crac. Ante Freinsh. et Longuerrium, q. cf., legebatur: *custode Stryponio.* *Trypho* est Euergetes.

[12]) Ita ab omnibus vocatur interfector *Seleuci Cerauni*, Polyb. IV, 48, 9, Hieron. p. 507. Vett.: *Epacorios;* Romani, Periz.: *Epatorius;* Colbertt.: *Epicarium* s. *Epacorium.* Crac.: *Epicarius.* Correxit Freinshemius. Postremum ab Iustino omissum.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Seleucus Callinicus novercam et fratrem infantem interficit.*
2. *Classe naufragio amissa civitates amissas recipit; proelio victus aufugit; auxilium noxium a fratre Antiocho Hierace petit et impetrat.*
3. *Asiae turbulentus status. In Antiochum Hieracem et Seleucum numinis vindicta.*

I. Mortuo Syriae rege Antiocho, cum in locum eius filius Se- 1
leucus successisset, hortante matre Laudice, quae prohibere debuerat, auspicia regni a parricidio coepit: quippe Beronicen, novercam 2
suam, sororem Ptolemaei regis Aegypti, cum parvulo fratre ex ea suscepto interficit. Quo facinore perpetrato et infamiae maculam 3
subiit et Ptolemaei bello se implicuit. Porro Beronice, cum ad se 4
interficiendam missos didicisset, Daphnae se claudit. Ubi cum 5
obsideri eam cum parvulo filio nuntiatum Asiae civitatibus esset, recordatione paternae maiorumque eius dignitatis casum tam indignae fortunae miserantes auxilia ei omnes misere. Frater quoque Ptole- 6
maeus periculo sororis exterritus relicto regno cum omnibus viribus advolat. Sed Beronice ante adventum auxiliorum, cum vi expugnari 7
non posset, dolo circumventa trucidatur. Indigna res omnibus visa. Itaque cum universae civitates, quae defecerant, ingentem classem 8
comparassent, repente exemplo crudelitatis exterritae simul et in ultionem eius, quam defensuri erant, Ptolemaeo se tradunt: qui, 9
nisi in Aegyptum domestica seditione revocatus esset, totum regnum

---

C. I. § 1. *Antiocho*] cognomine *Dei*.
Seleucus] Callinicus.
hortante] Mss. Bong.: *orante*.
Laudice] Sic Bongars. Vulgo: *Laodice;* v. ad XV, 4, § 3. Prior Antiochi coniux, filia Achaei. Hanc facinus non hortatam esse, sed ipsam perpetrasse narrat Appian. Syr. 65.
a parr.] Praepos. omittunt Dorv. 2. 3, ut codd. supra XXVI, 2, § 2.
§ 2. *sororem Ptolemaei*] Euergetae, filiam Philadelphi, cuius nuptiis pax inter Ptolemaeum Phil. et Antiochum Deum constituta est.
§ 3. *bello se*] 8 Gronov., Goth.: *se bello*.
§ 4. *Daphnae*] Mss. Bong.: *Dafine*. (Goth.: *clam.*) Edd. vett.: *paternae Daphnae*. Oppidum erat cum lucu et templo Apollinis in suburbiis Antiochiae; cf. ad XV, 4, § 8. — Accurate haec narrantur apud Niebuhr., *Opusc.* I. p. 273 sqq.
§ 8. *erant*] Mss. Bong., 2 Gronov., in quibus Magl., Goth., Crac.: *fuerant:* quod e correctione profectum videtur.
§ 9. *totum regnum Seleuci*] quod partim expugnatum a Ptolemaeo erat, partim defecerat, ut praeter Lydiam et Phrygiam maiorem Seleucus de regno suo nihil retineret.

10 Seleuci occupasset. Tantum vel illi odium parricidiale scelus vel
huic favorem indigne peremtae mors sororis attulerat.
1 II. Post discessum Ptolemaei Seleucus cum adversus civitates,
quae defecerant, ingentem classem comparasset, repente veluti diis
ipsis parricidium vindicantibus orta tempestate classem naufragio
2 amittit: nec quidquam illi ex tanto apparatu praeter nudum corpus
3 et spiritum et paucos naufragii comites residuos fortuna fecit. Misera
quidem res, sed optanda Seleuco fuit: siquidem civitates, quae
odio eius ad Ptolemaeum transierant, velut diis arbitris satisfactum
sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragii misericordiam
4 versae imperio se eius restituunt. Laetus igitur malis suis et damnis
5 ditior redditus, veluti par viribus, bellum Ptolemaeo infert: sed
quasi ad ludibrium tantum fortunae natus esset nec propter aliud
opes regni recepisset, quam ut amitteret, victus proelio non multo
6 quam post naufragium comitatior trepidus Antiochiam confugit. Inde
ad Antiochum fratrem litteras facit: quibus auxilium eius implorat
7 oblata ei Asia intra finem Tauri montis in praemium latae opis. Antiochus autem, cum esset annos quatuordecim natus, supra aetatem
regni avidus occasionem non tam pio animo, quam offerebatur, adripuit: sed latronis more totum fratri eripere cupiens puer sceleratam
8 virilemque sumit audaciam. Unde *Hierax* est cognominatus: quia
non hominis, sed accipitris ritu in alienis eripiendis vitam sectaretur.
9 Interea Ptolemaeus [Euergetes] cum Antiochum in auxilium Seleuco
venire cognovisset, ne cum duobus uno tempore dimicaret, in annos
10 decem cum Seleuco pacem facit: sed pax ab hoste data interpellatur
a fratre: qui conducto Gallorum mercenario exercitu pro auxilio bel-
11 lum, pro fratre hostem imploratus exhibuit. In eo proelio virtute
Gallorum victor quidem Antiochus fuit: sed Galli arbitrantes Seleu-

---

§ 10. *parricidiale*] Ita Bong. (Crac., Prag.) et quos vidit Wopkens.; recte; v. Wopkensium ad h. l. Gronovius, ignotum qua causa: *parricidale*.

C. II. § 1 sqq. Vide Niebuhr. l. l. p. 278 sqq.

comparasset] per Rhodios et regem Macedoniae.

§ 3. Vide Niebuhr. *de bello Chremonideo*, Opusc. I. pag. 457: qui vidit intelligendos esse Rhodios, Chios, Lesbios et Byzantium.

§ 6. *intra finem*] Sic omnes codd. Bong., 10 Gronov.: quod exemplis recte firmarunt Scheffer. et Beneck., nisi quod uterque cum 4 Gron. et aliis recentissimis retinuit *inter*. Vulgo: *inter fines*, male.

latae opis] Mss. Bong.: *laetae opes*.

§ 9. *Ptol.* [*Euergetes*]] Deest vox uncis inclusa in edd. vett. plurimis, apud Bong. et in codd. Goth., Crac., Prag. Delendam esse quivis videt. Exstat tamen in aliquot mss. Bong., fortasse etiam Gronovianis, e quibus nihil h. l. enotatur.

Antiochum] Edd. vett.: *regem Ant.*; Prag.: *regem Tyriacum*.

pacem facit] Prag., Goth.: *fecit*. — Ol. 135, 1. U. C. 513 *Nieb.*

§ 10. *pax*] Mss. Bong.: *pace*.

§ 11. *proelio*] ad Ancyram; v. prolog.

cum in proelio cecidisse in ipsum Antiochum arma vertere: liberius depopulaturi Asiam, si omnem stirpem regiam exstinxissent. Quod 12 ubi sensit Antiochus, velut a praedonibus, auro se redimit societatemque cum mercenariis suis iungit.

III. Interea rex Bithyniae Eumenes sparsis consumtisque fratri- 1 bus bello intestinae discordiae quasi vacantem Asiae possessionem invasurus victorem Antiochum Gallosque adgreditur. Nec difficile 2 saucios adhuc ex superiore congressione integer ipse viribus superat. Ea namque tempestate omnia bella in exitium Asiae gerebantur: uti 3 quisque fortior fuisset, Asiam velut praedam occupabat. Seleucus 4 et Antiochus fratres bellum propter Asiam gerebant; Ptolemaeus, rex Aegypti, sub specie sororiae ultionis Asiae inhiabat. Hinc Bithynus 5 Eumenes, inde Galli, humiliorum semper mercenaria manus, Asiam depopulabantur: cum interea nemo defensor Asiae inter tot praedones inveniebatur. Victo Antiocho, cum Eumenes maiorem partem 6

C. III. § 1. *rex Bithyniae Eumenes*] Duplex hic peccatum Iustini, quod collato prologo praeclare invenit et exposuit Iac. Perizonius in *Animadverss. hist.* p. 76 sqq. Harl., breviter repetitus a Graevio ad h. l. Pergami rex *Attalus*, non Eumenes, clarissimam de Gallis mercenariis Antiochi victoriam retulerat (v. praeter Gottl. Wernsdorf. *de republ. Gal.* I, c. 22, Longuerr. ad prolog., Siebelis. ad Pausan. X, 15, § 2, praesertim Niebuhr. p. 286 sq.). Idem, quod Iustinus h. l., vitium commisit Frontinus, I, c. 11, § 15 de *Eumene* referens quae de eodem *Attalo* Gallorum victore praeeunte Polyaeno (IV, 19) narranda erant. Bithynia autem obversabatur nostro ob *Zielam* (qui Ζηΐλας Memnoni p. 228 Bekk., Ζῆλας vel Ζήλας Phylarcho et Straboni), Nicomedis, Bithyniae regis, filium, a patre in regnum relictum, cuius filia ab Antiocho in matrimonium ducta est; is post Attali victoriam a Gallis, quorum auxilio ante usus fuerat, occisus est: unde provenit Iustino error. De bello inter Antiochum et Attalum gesto v. Euseb. e vers. Armen. I, c. 40, 10; Niebuhr. p. 284. — I. Fr. Gronovius reposuerat: *rex Bithyniae Nicomedes;* falso; v. Periz. l. l. Peius vero Wetzelius *Pergami* scribendum praecepit pro voce *Bithyniae*, „quia *Eumenis* nomen postulet historia.“ Vehementer errat de Livii locis.

§ 2. *ex superiore congressione*] sine dubio altera intelligitur e duabus cladibus apud Porphyrium: „*Deinde* (post nuptias cum Zielae filia) *Ol.* 137, 4 *in Lydia bis armis motis debellatus est. Tum etiam circa Choloen* (?) *certavit cum Attalo.*“ *Victorem* vero si Antiochum appellavit Iustinus, ad Seleucum referendum est, quem Antiochus vicerat, ipse post a Gallis attritus.

§ 5. *Bithynus Eumenes*] vid. ad § 1. Inimicitias tamen Antiocho Hieraci iam cum Eumene I Pergameno ortas fuisse verisimiliter admodum ex hoc errore coniicit Niebuhr. p. 286 sq. not.; adde quod idem ex Strabone p. 277 not. 71. Ita saepe nomina miscuit epitomator in iis, quae e Trogi pleniore narratione contraxit.

humiliorum] i. e. eorum, qui se infirmiores sentiebant ac proinde ad Gallorum auxilia confugiebant; v. locos Beneckio laudatos. Male Boxhorn.: *horum omnium.* 1 Bong.: *humiliorem — manu;* al. eiusdem cum 5 Gron.: *humiliore — manu.*

§ 6. *Eumenes*] imo Attalus.

Asiae occupasset, ne tunc quidem fratres, perdito praemio, propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt: sed omisso externo
7 hoste in mutuum exitium bellum reparant. In eo Antiochus denuo victus multorum dierum fuga fatigatus tandem ad socerum suum
8 *Ariamenem* *, regem Cappadociae, pervehitur. A quo cum primum benigne exceptus esset, interiectis diebus cognito quod insidiae sibi
9 pararentur, salutem fuga quaesivit. Igitur cum profugo nusquam tutus locus esset, ad Ptolemaeum hostem, cuius fidem tutiorem quam fratris existimabat, decurrit, memor vel quae facturus fratri
10 esset vel quae meruisset a fratre. Sed Ptolemaeus non amici debito
11 quam hostis functus servari eum artissima custodia iubet. Hinc quoque Antiochus opera cuiusdam meretricis adiutus, quam familiarius

* *Artamenem*

---

bellum reparant] in Mesopotamia, ut apparet ex prologo; cf. Niebuhr. p. 286. Res etiam a Chronicorum auctoribus omissa, sed certa cum ex h. l., tum e Polyaeno IV, 17: *Ἀντίοχος Σελεύκου τοῦ ἀδελφοῦ ἀποστὰς ἔφυγεν εἰς τὴν μέσην τῶν ποταμῶν· ὅτε καὶ αὐτὸν τὰ τῶν Ἀρμενίων ὄρη διελθόντα φίλος ὢν Ἀρσάβης* (Ariamenes, ut iam Casaub. monuit) *ὑπεδέξατο, στρατηγοὶ Σελεύκου Ἀχαιὸς καὶ Ἀνδρόμαχος μετὰ πολλῆς δυνάμεως ἐδίωκον* cett. Reliqua ubi ponenda sint, ante insidias Ariamenis an post, non liquet. — In una ed. Bong.: *basium mihi reparant*, in quo videndum quid lateat.

§ 7. *ad socerum suum Artamenem*] „Ms. [Bong., Bodl.] habebat *Arimenem*. Puto verum esse: *Ariamenem* [sic coll. N., Leid. 3, Dorv. 2, Prag., teste Gronovio meliores codd. prologi]. Nam Diodorus epitome [libri XXXI. p. 538 Wessel.] habet *Ἀριάμνης*. Huius Antiochi sororem Stratonicen uxorem duxerat Ariarathes, filius Ariamenis. *Socerum* itaque eius laxius vocat Iustinus [tanquam diceret *κηδεστὴν*, vid. Niebuhrium p. 284]." *Voss*.

pervehitur] Sic Bong. e suis omnibus, 6 Gronov. Edd. vett. c. ceteris codd.: *provehitur*, quod Gronovius expressit, neque reiiciendum in Iustino arbitror. Idem: *Ariamenen*, ut Leid. 3.

§ 9. *locus*] Mss. Bong.: *solus*. An: *tutum solum?*

Ptolemaeum] „ducem potius copiarum Ptolemaei, in Thracia militantium." Niebuhrius p. 285.

§ 10. *non amici debito quam hostis functus*] Sic boni codd. Bong. i. e. omnes eius praeter unum, nisi quod *factus* legunt pro *functus*, quod praeclara coniectura invenit Is. Vossius. De dicendi ratione v. interpp. ad XII, 8, § 14. p. 564 Frotsch., ubi exempla sunt examussim cum nostro convenientia. Unus Bong. et Crac.: *non tam amici debitor q. hosti factus*. Alius *quod* pro *quam*. Voc. *tam* ante *amici* etiam est in Dorv. 2 et 3. Goth.: *non amici dedito q. hosti*. Gronovius suorum scripturam nos nescire voluit. Edd. vett.: *non tam amicus ei deditus q. h.* Graevius autem et Gronov. ex Iunt. ediderunt: *non amicior* [*ei* Ald.] *quam hosti factus*, ut Dorv. 1, qui *tam* addit, unde Wopk.: *iam*, male. I. Fr. Gronovius: *non tam amicus dedito, quam hostis fratri*.

noverat, deceptis custodibus elabitur; fugiensque a latronibus inter-
ficitur. Seleucus quoque iisdem ferme diebus amisso regno equo 12
praecipitatus finitur. Sic fratres, quasi et germanis casibus, exsu-
les ambo post regna scelerum suorum poenas luerunt.

---

§ 11. *elabitur*] Mss. Bong., Goth., Crac.: *labitur*, ob praecedens compendium.

a latronibus] Gallis; v. Nieb. p. 285 sq. E Phylarcho Plinius; vid. Gottl. Wernsd. I. c. 19.

§ 12. *iisdem ferme diebus*] rhetorice; Porphyrius: *postero anno.*

amisso regno] a Parthis in captivitatem redactus, quam per novem fere annos est perpessus.

quasi et germanis c.] Bongarsius coniecit: *q. et germani casibus*, dilaudatus ob eam rem a Fabro et Beneckio, qui etiam facilem fuisse eam corruptionem ostendit. Sed dici debebat: *quasi et casibus germani.* Neque voculam *et* delebis sine detrimento sententiae; explica: quasi non natu solum germano, verum et casibus germanis.

LIBER XXVIII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXVIII.*)

Octavo et vicesimo volumine continentur haec. Ut mortuo rege Epiri Alexandro Laudamiam [1]) Epirotae occiderint. Dictique in excessu Bastarnici [2]) motus. Ut rex Macedoniae [3]) Demetrius sit a Dardanis fusus: quo mortuo tutelam filii eius Philippi suscepit Antigonus: qui Thessaliam et in Asia Cariam subiecit [4]): et adiutis Achaeis contra regem Spartanum Cleo-

---

[1]) Sic vett. Vulgo e 3 Gronov.: *Laodamiam.* Cognosce ex Iustino, quae prologorum scriptor omiserit.

[2]) I. Fr. Gronov. malebat: *Bastarnaei.* Mod.: *Bastarnarum.* Omissi ab Iustino.

[3]) Vett.: *ut ex Macedonia.* Recte iam Modius. Ita plane Crac. Longuerr.: *exiens e Mac.* Non narrat Iustinus.

[4]) Vett.: *quo mortuite K̄C̄* (ms. Voss.: *-nem*) *filii eius Phil. susc. Antigonusque Thessaliae in Asiam Car. s.* Ut edidimus, correxit Bongars., nisi quod *Moesiam* reponit pro *et in As.*, sequentibus Modio et Gronovio. Sed *Moesiam* hic locum habere non posse significavit Niebuhrius Opusc. I. p. 296 et rem quantum potest explicuit. Is. Voss.: *Moesiam, Daciam s.* et paullo ante *tuitionem* pro *tutela.* Bongarsii coniecturam confirmant Maximin., Periz., Crac., nisi quod Max.: *Philippus*, et Periz., Crac.: *usque ad Thessaliae in Asiam* (Cr. *Ariam*) *C. subegit.* Longuerr.: *isque* (?) *Moesiam et Dardaniam*, vel: *qui Th., M., Dard.* e c. 3, § 14.

menem cepit Lacedaemoniam [5]): amissoque regno Cleomenes Spartanus confugit [6]) Alexandriam atque ibi interiit. Dictum in excessu bellum Illyricum, quod Romani gessere cum Teuta [7]).

---

[5]) Sic ms. Voss., 5 Gron., optime defensum a Grauerto ad prolog. XXV. p. 19. Vulgo: *Lacedaemona.* Gronov.: *Cleomenen.*

[6]) Bongars.: *Spartanos*, *consufugit*, unde Longuerr.: *cum coniuge fug. A.*

[7]) *Τεῦτα* Polybio. Codd. Flori et Iornand.: *Teutana mulier.* Plinius: *Teuca.* Periz., Crac. ante: *dictumque.* Praeteriit Iustinus.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Olympias, Alexandri Epirotae vidua, Demetrio Macedoni Phthiam filiam dat uxorem: unde tragoedia et bellorum initia.*
2. *Aetoli superbe respondent Romanis, qui Acarnanibus auxilium praebebant; et arma movent intrepide.*
3. *Filiis duobus morbo sublatis Olympias non diu supervivit. Laudamia filia interfecta. Epirus graviter adfligitur. Demetrius Macedo moritur. Huius filii Philippi Antigonus tutelam suscipit, quam prudenter administrat.*
4. *Bellum Antigoni adversus Spartanos; quorum rex Cleomenes viribus attritis in Aegyptum profugit, ubi interficitur. Antigono mortuo Philippus regnat.*

---

1 I. Olympias, Pyrrhi, Epirotae regis, filia, amisso marito eodemque germano fratre Alexandro, cum tutelam filiorum ex eo susceptorum, Pyrrhi et Ptolemaei, regnique administrationem in se recepisset, Aetolis partem Acarnaniae, quam in portionem belli pater pupillorum acceperat, eripere volentibus ad regem Macedoniae
2 Demetrium decurrit; eique habenti uxorem Antiochi, regis Syriae,

---

C. I. § 1. *Aetolis*] Sic mss. Bong., Goth., Crac.; de Gronovianis nihil proditur. Edd. vett. et Bong.: *ab Aetolis* (ut Prag.), quod recte damnat Faber, q. v. et Schefferum. Respice XXVI, 3, § 1 et not.

in portionem belli] in praemium ob belli societatem, quam suscepisse cum Aetolis videntur. Ita etiam Chr. Lucas *über den Aet. Bund* p. 72.

pater] Edd. vett. Bong.: *mater.*

§ 2. *Antiochi — sororem*] Antiochi Dei sororem Stratonicen; vid. omnino Niebuhr. Opusc. I. p. 254 sqq., qui animadvertit etiam, quid in temporum ratione peccetur. Demetrius nondum erat rex. Male Wetzelius in Antiochi commemoratione vitium inesse duxit.

sororem filiam suam Phthiam in matrimonium tradit: ut auxilium, quod misericordia non poterat, iure cognationis obtineret. Fiunt 3 igitur nuptiae, quibus et novi matrimonii gratia adquiritur et veteris offensa contrahitur. Nam prior uxor, velut matrimonio pulsa, sponte 4 sua ad fratrem Antiochum discedit eumque in mariti bellum impellit.

Acarnanes quoque diffisi Epirotis adversus Aetolos auxilium 5 Romanorum implorantes obtinuerunt a Romano senatu, ut legati 6 mitterentur, qui denuntiarent Aetolis: *praesidia ab urbibus Acarnaniae deducerent; paterenturque esse liberos, qui soli quondam adversus Troianos, auctores originis suae, auxilia Graecis non miserint.*

II. Sed Aetoli legationem Romanorum superbe audivere, Poe- 1 nos illis et Gallos, a quibus tot bellis occidione caesi sint, exprobrantes, dicentesque *prius illis portas adversus Carthaginienses ape-* 2 *riendas, quas clauserit metus Punici belli, quam in Graeciam arma transferenda. Meminisse* deinde iubent, *qui quibus minentur. Adver-* 3 4 *sus Gallos urbem eos suam tueri non potuisse; captamque non ferro defendisse, sed auro redemisse: quam gentem se aliquanto maiore manu* 5 *Graeciam ingressam non solum nullis externis viribus, sed ne domesticis quidem totis adiutos universam delesse; sedemque sepulcris eorum praebuisse, quam illi urbibus imperioque suo proposuerant; contra Italiam* 6 *trepidis ex recenti urbis suae incendio Romanis universam ferme a Gallis occupatam. Prius igitur illis Gallos Italia pellendos quam minen-* 7 *tur Aetolis; priusque sua defendenda quam aliena appetenda. Quos* 8

Phthiam] Sic iam Bongars. scribendum docuit, cuius codd.: *Ptiam;* unus: *Pithiam* (edd. vett., Bodl.: *Pythiam* vel *Phythiam*); Prag.: *Parthiam.*

§ 5 sq. C. II. Cf. Niebuhr. p. 257 sq. Lucas p. 73. E *Phylarcho* haec petita sunt.

§ 6. *qui soli quondam* cett.] „Strabo lib. X [pag. 318 Cas.] id ex Ephoro docet.“ *Bong.*

C. II. § 1. *audivere*] Modii codd. soli: *audire.*

bellis] proeliis; v. Graev.

§ 2. *aperiendas*] ut ad certamina exire possent. — Temporum convenientia hic non quaerenda.

clauserit] Goth.: *induxerit.*

in Graeciam] Goth.: *iis belli.*

§ 4. *defendisse*] ultos esse; v. Wopkens.

§ 5. *nullis*] Mss. Bong.: *ullis.*

urbibus] Sic mss. Bong., Mod. et recc. quos novi. Bong., ut vett. edd.: *viribus.*

§ 6. *a Gallis*] Praepositio abest a mss. Bong., ut *illis* § 7.

§ 7. *quam aliena appetenda*] Haec extant in solis Periz., Magl., coll. N., Goth., Prag., Crac., et si qui alii sunt recentissimi. Plane desunt ap. Bong., ceteros. Edd. vett.: *q. al. defendi app.;* sed *defendi* abest ab Ald. V. nos ad XXII, 1, § 11.

autem homines Romanos esse? nempe pastores, qui latrocinio iustis do-
9 *minis ademtum solum teneant; qui uxores cum propter originis deho-*
10 *nestamenta non invenirent, vi publica rapuerint; qui denique urbem ipsam parricidio condiderint murorumque fundamenta fraterno san-*
11 *guine adsperserint. Aetolos autem principes Graeciae semper fuisse;*
12 *et, sicut dignitate, ita et virtute ceteris praestitisse: solos denique esse, qui Macedonas imperio terrarum florentes semper contemserint; qui Philippum regem non timuerint; qui Alexandri Magni post Persas Indosque devictos, cum omnes nomen eius horrerent, edicta spreverint.*
13 *Monere igitur se Romanos, contenti sint fortuna praesenti nec provocent arma, quibus et Gallos caesos et Macedonas contemtos videant.*
14 Sic dimissa legatione Romanorum, ne fortius locuti quam fecisse viderentur, fines Epiri regni et Acarnaniae depopulantur.

1 III. Iam Olympias filiis regna tradiderat; et in locum Pyrrhi,
2 fratris defuncti, Ptolemaeus successerat: qui cum hostibus instructo exercitu obvius processisset, infirmitate correptus in itinere decedit.
3 Olympias quoque non magno post tempore gemino funerum vulnere
4 adflicta, aegrum spiritum trahens, non diu filiis supervixit. Cum ex gente regia sola Nereis virgo cum Laudamia sorore superesset,
5 Nereis nubit Geloni, Siciliae regis filio; Laudamia autem cum in

---

§ 8. *nempe*] Mss. Bong.: *nimphe.*

ademtum solum t.] Mss. Bong.: *adempta ten.* (*Solum* pro adiectivo ceperant.)

§ 11. *principes Graeciae*] Ephorus apud Strabonem dicit *τοὺς Αἰτώλους ἔθνος εἶναι μηδεπώποτε γεγενημένον ὑφ' ἑτέροις, ἀλλὰ πάντα τὸν μνημονευόμενον χρόνον μεμενηκὸς ἀπόρθητον. Bong.* Singula habes in *Chr. Lucae* lib. saepe laud. p. 63 sqq., quem vide ad seqq. §§.

§ 12. *florentes semper*] Mss. Bongars., coll. C. C., Bodl., Crac., Goth.: *semper flor.*

Indosque] Goth.: *Medosque.*

edicta] v. supr. XIII, 5.

§ 14. Cf. Lucas p. 73.

C. III. § 1—3. Haec alibi me non memini legere.

§ 2. *infirmitate*] fort. ob venenum; v. ad § 5.

§ 3. *non magno post tempore*] Desunt in mss. aliquot Bongars., 11 Gronov., Prag., deleta sine dubio ob sequens: *non diu.* Iustini esse ea verba arbitror, hunc locum ut in excerpendo non satis diligenter scribentis.

§ 4. *Laudamia*] Sic Bong. e suis; unus: *Laudemia;* al.: *Laudamea;* Prag., Goth.: *Laudomia.* Iam alibi vidimus *Laudice*, *Laumedon.* Gronovius e Periz., coll. N., Thuan., edd. vett. ubique edidit: *Laodamia.*

Siciliae regis] Mss. Bong., coll. C. C., 10 Gronov., Goth.: *Sic. tyranni.* Dicit Hieronem, XXIII, 3.

§ 5. *Laudamia*] Prologus huius lib. nomen satis confirmat et quae disseruit P. Maasvicius ad Polyaen. VIII, 52 hunc in maiore erroris proclivitate quam Iustinum positum fuisse probant: quare strategematum scriptor e nostro corrigendus erat; is enim: *Δηϊδάμεια Πύῤῥου θυγάτηρ Ἀμβρακίαν καταλαβομένη τιμωρῆσαι Πτολεμαίῳ δόλῳ φονευθέντι προε-*

aram Dianae confugisset, concursu populi interficitur. Quod faci- 6
nus dii immortales adsiduis cladibus gentis et prope interitu totius
populi vindicaverunt. Nam sterilitatem famemque passi et intestina 7
discordia vexati externis ad postremum bellis pene consumti sunt;
Miloque, Laudamiae percussor, in furorem versus nunc ferro, nunc 8
saxo, in summa dentibus laceratis visceribus duodecima die interiit.

His in Epiro gestis interim in Macedonia Demetrius rex relicto 9
filio Philippo, parvulo admodum, decedit: cui Antigonus tutor da- 10
tus accepta in matrimonium matre pupilli regem se constitui labora-
bat. Interiecto deinde tempore, cum seditione minaci Macedonum 11
clausus in regia teneretur, in publicum sine satellitibus procedit;
proiectoque in vulgus diademate ac purpura *dare haec* eos *alteri* iu- 12
bet, *qui aut imperare illis nesciat aut cui parere ipsi sciant: se adhuc* 13
invidiosum illud regnum non voluptatibus, sed laboribus ac periculis
sentire. Commemorat deinde beneficia sua: *ut defectionem sociorum* 14
vindicaverit; ut Dardanos Thessalosque exsultantes morte Demetrii
regis compescuerit; ut denique dignitatem Macedonum non solum de-
fenderit, verum etiam auxerit. Quorum si illos poeniteat, deponere 15
imperium et reddere illis munus suum: quia regem quaerant, cui impe-
rent. Cum populus pudore motus recipere eum regnum iuberet, tam 16
diu recusavit, quoad seditionis auctores supplicio traderentur.

λομέμη πρεσβευσαμένων Ἠπειρωτῶν τὸν πόλεμον κατέθετο ἐπὶ τῷ τὸν κλῆρον καὶ τὰς τιμὰς ἔχειν τῶν προγόνων· καὶ λαβοῦσα πίστεις ἐξηπατήθη· συνταξάμενοι γὰρ τῶν Ἠπειρωτῶν τινὲς Νέστορα τῶν Ἀλεξάνδρου σωματοφυλάκων ἀναιρήσοντα αὐτὴν εἰςέπεμψαν cett.: unde apparet, quam multa in hac historia interciderint.

Dianae] *Ἡγεμόνης Ἀρτέμιδος.*

§ 7. *Nam ster.*] 4 Gronov., Goth.: *Nam et ster.*

§ 9. *in Epiro*] In Goth. praepos. deest.

§ 10. *Antigonus*] cognomine *Doson*, filius Demetrii Pulchri, de quo ad XXVI, 3, § 3. V. Niebuhr. in Opusc. I. p. 232 sqq.

matre pupilli] Phthia, c. 1, § 2.

§ 11. 12. *procedit; proiectoque* cett.] Mss. Bong. omnes praeter unum et coll. C. C.: *procedit in vulgus, sine diademate.* — Quando quaque causa hic tumultus ortus fuerit, ignoratur.

nesciat] Dorv. 2. 3, Prag., edd. vett.: *sciat;* male. Sententia est: regnum dent alii, qui imperio ipsos cohibere nesciat, ut licenter et pro arbitrio omnia agere possint.

§ 14. Singula haec quomodo gesta sint nescimus.

§ 15. *deponere imper.*] Sic quicquid est codicum mss. Vulgo Fabri suasu ex Iunt.: *dep. se imp.* V., si tanti est, Ramshorn. *gr. lat.* p. 432 sqq. Augusti Grotefendi *gr.* (1830) T. II. p. 344 sq. Obversatur auditoribus subiectum e frequenti repetitione in iis, quae modo praecesserant.

quia] Sic codd., etiam Bong., omnes et edd. vett.; v. Schefferum. Bongars. malebat: *quare;* Vossius: *quin.* Vulgo: *ipsi:* quod unde profectum sit non inveni.

1 IV. Post haec bellum Spartanis infert: qui soli Philippi Alexan-
drique bellis et imperium Macedonum et omnibus metuenda arma
2 contemserant. Inter duas nobilissimas gentes bellum summis utrim-
que viribus fuit: cum hi pro vetere Macedonum gloria, illi non so-
3 lum pro illibata libertate, sed etiam pro salute certarent. Victi La-
cedaemonii non ipsi tantum, sed etiam coniuges liberique magno
4 animo fortunam tulere. Nemo quippe in acie saluti pepercit; nulla
amissum coniugem flevit; filiorum mortem senes laudabant; patribus
in acie caesis filii gratulabantur; suam vicem omnes dolebant, quod
5 non ipsi pro patriae libertate cecidissent. Patentibus omnes domibus
6 saucios excipiebant, vulnera curabant, lassos reficiebant. Inter haec
nullus in urbe strepitus, nulla trepidatio; magisque omnes publicam
7 quam privatam fortunam lugebant. Inter haec Cleomenes rex post
multas hostium caedes toto corpore suo pariter et hostium cruore
8 madens supervenit; ingressusque urbem non humi consedit, non
cibum aut potum poposcit, non denique armorum onus deposuit:
9 sed acclinis parieti, cum quatuor millia sola ex pugna superfuisse
conspexisset, hortatur, *ut se ad meliora reipublicae tempora reserva-*
10 *rent.* Tum cum coniuge et liberis Aegyptum ad Ptolemaeum profi-
ciscitur: a quo honorifice susceptus diu in summa dignatione regis
11 vixit. Postremo post Ptolemaei mortem a filio eius cum omni familia
12 interficitur. Antigonus autem caesis occidione Spartanis fortunam
tantae urbis miseratus a direptione milites prohibuit; veniamque his,
13 qui superfuerant, dedit, praefatus *bellum se cum Cleomene, non*

C. IV. § 1. *bellum Spartanis infert*] arcessitus ab Arato, cum a Cleomene urgerentur Achaei.

§ 2. *vetere Mac.*] Mss. Bong., coll. C. C., Crac., Bodl., Goth.: *veterum M.;* v. Beneck. p. 348.

§ 3. *Victi Lacedaemonii*] sub Cleomene in maxima pugna ad *Sellasiam*, a. C. 222.

sed etiam] Sic Bong. et libri plurimi. Gronovius e quinque suis: *verum etiam;* nam „particula *sed* paullo ante praecessit.“ Accedit Goth.

§ 4. *saluti*] suae.

quod non ipsi] Sic Bong. e suis, ut postulat vis antecedentium sententiarum, ac si diceret: invidebant sortis felicitatem occisis. Debilius est quod Gronovius edidit ex 8 codd.: *quod n. et ipsi;* sic etiam Goth.

§ 5. *Patentibus*] Mss. Bong. praeter unum: *petent.*

§ 6. *Inter haec*] Delet Schefferus; fortasse vere.

magisque] Sic Bong. et codd. (fort. praeter Crac. et Prag.) Vulgo: *magis*, *ἀσυνδετῶς*, ex edd. vett., quod nescio cur visum fuerit praestare.

§ 7. *suo*] Abest ab aliquot mss. Bong.

§ 9. *reservarent*] Antigono se dedentes.

§ 10. *Ptolemaeum*] Euergeten.

susceptus] Mss. Bong., Bodl.: *exceptus.*

§ 11. *a filio eius*] Ptol. Philopatore. Accuratius narratur ap. Plutarch. vit. et Pausan. II, 9, § 3.

cum Spartanis habuisse, cuius fuga omnis ira eius finita sit; nec mi- 14
nori sibi gloriae fore, si ab eo servata Lacedaemon, a quo solo capta
sit, proderetur. Parcere igitur se solo urbis ac tectis, quoniam 15
homines, quibus parceret, non superfuissent. Nec multo post ipse 16
decedit; regnumque Philippo pupillo annos quatuordecim nato tradidit.

---

§ 13. *ira eius*] i. e. belli, ut recte Wopkensius explicuit. Male se torserunt, dum pro pron. *sua* positum dicerent. Abest a 4 mss. Gronov., Dorv. 2 et Prag.

§ 14. *Lacedaemon*] Vett. edd.: *Lacedaemonia*, ut Crac.: *ex Lacedaemona*, ut scriptum in Goth.

§ 16. *decedit*] in proelio contra Illyrios. — Goth.: *regnum Ph. — tradit.*

quatuordecim] imo sedecim, ut Polyb. plus semel lib. IV.

LIBER XXIX.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXIX.*)

Undetricesimo volumine continentur haec. Res gestae Philippi regis adversus Dardanos [1]) et Aetolos [2]); repetitaeque inde Creticae origines: post cuius insulae societatem [3]) Philippus cum Illyriis et Dardanis [4]) et rursus Aetolis bello congressus est adiuvantibus Aetolos Romanis. Quo finito intulit *Dardanis* * [5]) bellum.

* *Aetolis*

---

1) Thuan., 2 Colbertt.: *Romanos*, ex Iustino, quod probare non debebat Longuerrius, mire h. l. errans. Bellum hoc ab aliis quidem non narratur, sed dubitandi nulla omnino causa est.

2) Vett.: *Aetulos;* v. V. L. ad XIV, 1, § 6. *Aetolos* hic Reg., Crac. et sine dubio alii.

3) Haec omisit Iustinus.

4) Exciderunt haec in edd. Burm. et Grauerti.

5) Recepi emendationem Grauerti ex Iust. c. 4, § 10. Codd. omnes: *Aetolis;* Periz.: *Aetoliae.* Longuerrius legendum contenderat: *Atheniensibus*, ex Livio XXXI, 24 sqq.; sed reditus ille in Macedoniam multo gravior.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Orbis multa imperia nova regum successione mutantur, nominatim in Africa, Aegypto, Macedonia.*
2. *Philippum, regem Macedoniae, Demetrius Illyrius impellit, ut omissis Aetolis bellum inferret Romanis.*
3. *Philippi hanc in rem oratio.*
4. *Philippus tandem apertus hostis apparet: unde cruentum bellum ipsique perniciosum simul et ignominiosum.*

---

1 I. Iisdem ferme temporibus prope universi orbis imperia nova
2 regum successione mutata sunt. Nam et in Macedonia Philippus
mortuo Antigono, tutore eodemque vitrico, annorum quatuordecim
3 regnum suscepit; et in Asia interfecto Seleuco impubes adhuc rex
4 Antiochus constitutus est; Cappadociae quoque regnum Ariarathi
5 puero admodum pater ipse tradiderat; Aegyptum patre ac matre in-
terfectis occupaverat Ptolemaeus, cui ex facinoris crimine cognomen-
6 tum *Philopator* fuit. Sed et Spartani in locum Cleomenis suffece-
7 runt Lycurgum. Et ne qua temporibus mutatio deesset, apud Car-
thaginienses quoque aetate immatura dux Hannibal constituitur, non
penuria seniorum, sed odio Romanorum, quo imbutum eum a pue-
ritia sciebant: fatale non tam Romanis quam ipsi Africae malum.
8 His regibus pueris etsi nulli senioris aetatis rectores erant, tamen in
suorum quisque maiorum vestigia intentis magna indoles virtutis

---

C. I. § 1. Est Ol. 139, de qua saepe Polybius, ut II, 71, alibi.
§ 2. A. 221 a. C. — *XIV ann.*] v. ad fin. sup. libri.
§ 3. *interfecto Seleuco*] Cerauno, Callinici filio; a. 224.
impubes] Mss. Bong.: *impubis.*
Antiochus] Magnus.
§ 4. *Ariarathi*] quem dicunt quintum, filium quarti. — Mss. Bong.: *Hariaracti.*
§ 5. A. 221 a. C.
§ 7. *aetate immatura*] ad imperatoris dignitatem nondum matura, annos XXV nato.
§ 8. *His regibus pueris*] Omittunt omnes Bong. praeter unum.
etsi] 6 Gronov. p. 893, Goth: *tametsi.*
senioris] Gronov.: *seniores*, vitio typothetae.
quisque] Sic Bong., 10 Gronov., Goth., Prag., Dorv. 2. 3, Crac.; recte; v. Sallust. Iug. 18, 3, quem laudavit Gronovius, q. v. pag. 933. Edd. vett.: *quibusque*, ut Gronov. Unus Angl., ut videtur, *cuiusque.* Acidalius: *quique* pro quoque.
intentis] Ita Bong. et codd. plurimi. Dorv. 1. 2, Prag.: *intentus*, quod volebat Wopk. Mss. Bong., Leid. 1: *intenti.* Vulgo ex Ald.: *nitentibus*, pro arbitrio.

enituit. Solus Ptolemaeus, sicut scelestus in occupando regno, ita 9
et segnis in administrando fuit. Philippum Dardani ceterique omnes 10
finitimi populi, quibus velut immortale odium cum Macedonum regi-
bus erat, contemtu aetatis adsidue lacessebant. Contra ille submotis 11
hostibus non contentus sua defendisse ultro etiam Aetolis bellum
inferre gestiebat.

II. Quae agitantem illum Demetrius, rex Illyriorum, nuper a 1
Paulo, Romano consule, victus supplicibus precibus adgreditur, *in-
iuriam Romanorum* querens: *qui non contenti Italiae terminis, impe-* 2
*rium spe improba totius orbis amplexi, bellum cum omnibus regibus
gerant. Sic illos Siciliae, sic Sardiniae Hispaniaeque, sic denique* 3
*totius Africae imperium adfectantes bellum cum Poenis et Hannibale
suscepisse: sibi quoque non aliam ob causam, quam quod Italiae fini-* 4
*timus videbatur, bellum illatum: quasi nefas esset aliquem regem
iuxta imperii eorum terminos esse. Sed et ipsi cavendum esse exem-* 5
*plum, cuius, quanto promtius nobiliusque sit regnum, tanto sit Roma-
nos acriores hostes habiturus.* Super haec *cedere se illi regno, quod* 6
Romani occupaverint, profitetur, *gratius habiturus, si in possessione
imperii sui socium potius quam hostes videret.* Huiuscemodi oratione 7
impulit Philippum, ut omissis Aetolis bellum Romanis inferret, minus
negotii existimantem, quod iam victos ab Hannibale apud Trasime-
num lacum audierat. Itaque ne eodem tempore multis bellis distine- 8
retur, pacem cum Aetolis facit, non quasi alio bellum translaturus,
sed ut Graeciae quieti consulturus, *quam numquam in maiori periculo
fuisse* adfirmabat: *siquidem consurgentibus ab Occidente novis Poeno-* 9
*rum et Romanorum imperiis, quibus una haec a Graecia atque Asia
sit mora, dum inter se bello discrimen imperii faciunt: ceterum statim
victoribus transitum in Orientem fore.*

---

§ 10. *immortale*] Deest in mss. Bong. et coll. C. C.

§ 11. *ultro etiam* cett.] negligenter; v. Chr. Lucas *de foed. Aet.* p. 94 sqq. — Goth.: *verum etiam.*

C. II. § 1. *Demetrius, rex Illyriorum*] Pharius, pupilli regii Pinnae tutor; sed Triteuta, matre eius, in matrimonium ducta spretis Romanis, quibus ante deditissimus fuerat, regem se gessit.

a Paulo] L. Aemilio Paullo; a. U. 535; a. C. 219.

§ 5. *promtius*] i. e. invasionibus magis patens; v. Cic. Verr. VI, 2, et quae laudavit Wopkens. Gronov. ex 1 Bong., Dorv. 1. 2, vett. edd.: *propius*. Sic Prag. Dorv. 3, Goth.: *prius.*

§ 6. *gratius*] Mss. Bong.: *gratias*, male.

§ 7. *apud Trasimenum*] U. C. 537, a. C. 217. De varia scriptura nominis in edd. v. ap. Gronovium p. 934.

§ 8. *distineretur*] Sic legitur de Fabri coniectura; Bong. ac plurimi codd.: *detineretur*, quod non scio qua ratione h. l. tuear. Ita plane XXXI, 1, § 6. Coll. N.: *destinaretur.* Nota est syllabarum *dis* et *de* solita permutatio. Edd. vett., Leid. 2. 5, Prag.: *gravaretur.*

adfirmabat] Similia his, quae sequuntur, tanquam Agelai Naupactii admonitionem ad Graecos et Philippum exposuit Polybius V, 103 sqq.

1 III. *Videre se itaque* ait *consurgentem in Italia nubem illam tru-*
cis et cruenti belli; videre tonantem ac fulminantem ab Occasu procel-
lam, quam in quascumque terrarum partes victoriae tempestas detule-
2 *rit, magno cruoris imbre omnia foedaturam. Frequenter Graeciam*
ingentes motus passam, nunc Persarum, nunc Gallorum, nunc Mace-
donum bellis: sed omnia illa levia fuisse existimaturos, si ea, quae
3 *nunc in Italia concurrat manus, extra terram illam se effuderit. Cer-*
nere se, quam cruenta et sanguinaria inter se bella utrique populi et
viribus copiarum et ducum artibus gerant: quae rabies finiri solo par-
4 *tis alterius interitu sine ruina finitimorum non possit. Feros igitur*
animos victorum minus quidem Macedoniae quam Graeciae timendos,
5 *quia et remotior et in vindictam sui robustior sit: scire tamen se eos,*
qui tantis viribus concurrant, non contentos hoc fine victoriae fore;
metuendumque sibi quoque certamen eorum, qui superiores exstiterint.
6 Hoc praetextu finito cum Aetolis bello nihil aliud quam Poenorum
7 Romanorumque bella respiciens singulorum vires perpendebat. Sed
nec Romani, tametsi Poeni et Hannibal in cervicibus erant, soluti
8 metu Macedonico videbantur: quippe terrebat eos et vetus Macedo-
num devicti Orientis gloria et Philippus studio Alexandri aemulatio-
nis incensus, quem promtum in bella industriumque cognoverant.
1 IV. Igitur Philippus, cum iterato proelio victos a Poenis Ro-
manos didicisset, aperte hostem se his professus naves, quibus in
2 Italiam exercitum traiiceret, fabricare coepit. Legatum deinde ad
3 Hannibalem iungendae societatis gratia cum epistolis mittit: qui
comprehensus et ad senatum perductus incolumis dimissus est, non
in honorem regis, sed ne dubius adhuc indubitatus hostis reddere-

---

C. III. § 1. *quam in quasc.* cett.] Beneckius: *quam, in quascunque,* quod non probo.

§ 2. 4 Gronov.: *Frequentes Graeciam inter se motus p.*

illa levia fuisse] Sic omnes codd. Bong., Modii, Crac., Goth. (Prag.): proinde etiam Gronoviani omnes vel pars longe maior; sed editur hodie e vett. impressis: *illa ludum fuisse*: quod pro genuino haberi non debebat. Proverbiales locutiones facilem ubique aditum habent.

nunc in Italia c. m.] Mss. Bong.: *nunc Italiam concursat:* unde I. Fr. Gronov.: *concutiat.*

§ 4. *remotior*] Turbat hic Faber et calide disputat propiorem esse Graecia Macedoniam; sed de Illyrico loquitur, tanquam pars sit Macedoniae; cf. Wopkens. p. 252.

in vindictam sui] Mss. Bong., Bodl., coll. C. C., Goth.: *invicta et.*

§ 6. *praetextu*] Mss. Bong., 2 Gron., Goth : *praetexto.*

§ 8. *Macedonum devicti Or. gl.*] Sic dedi cum Bongarsii omnibus, Goth., Dorv. 1, quibus sine dubio consentiunt Gronoviani. Sed vulgatur ex uno Anglorum, Dorv. 1. 2 (Prag.) et vett. edd.: *vetus Macedonum virtus et devicti O. gl.*, quod cur illatum fuerit, facile perspicitur.

C. IV. § 1. *iterato proelio*] Cannense dicit.

§ 3. Ex parte diversa narrat Livius XXIII, 33. 34; sed vid. Glareanum h. l.

tur. Postea vero, cum Romanis nuntiatum esset in Italiam Philip- 4
pum copias traiecturum, Laevinum praetorem cum instructis navibus ad prohibendum transitum mittunt. Qui cum in Graeciam tra- 5
iecisset, multis promissis impellit Aetolos bellum adversus Philippum suscipere. Philippus quoque Achaeos in Romanorum bella
sollicitat. Interea et Dardani Macedoniae fines vastare coeperunt, 6
abductisque viginti millibus captivorum Philippum a Romano bello
ad tuendum regnum revocaverunt. Dum haec aguntur, Laevinus 7
praetor iuncta cum Attalo rege societate Graeciam populatur. Quibus cladibus perculsae civitates auxilium petentes Philippum legationibus fatigant; nec non et Illyriorum reges lateri eius haerentes ad- 8
siduis precibus promissa exigebant. Super haec vastati Macedones
ultionem flagitabant. Quibus tot tantisque rebus obsessus, cui rei 9
primum occurreret, ambigebat: omnibus tamen propediem auxilia se missurum pollicetur; non quia facere posset quae promittebat,

---

§ 5. U. c. 541; a. C. 211.

§ 6. *Interea*] post triennium; U. c. 544, quo celebres pugnae commissae erant ad *Lamiam*, post ad *Elim*.

§ 7. *Laevinus praetor*] imo P. Sulpicius, qui cum Attalo Aeginae hibernavit. Laevinus iam ante biennium Romam reversus fuerat, Cos. in a. 542 creatus.

rege] Pergami.

Graeciam populatur] nempe Sulpicius cum Attalo; Liv. XXVIII, 5. 6. 7, quae plane huc pertinent. U. c. 545. Quodsi igitur Chr. Lucas *de Polyb. narr. foed. Aet.* p. 116 locum nostrum Liviana narratione rerum ab Laevino cum Aetolis gestarum in XXVI, 24. 26. 28 (U. c. 541) illustrari putat, temporum rerumque seriem ab Iustino esse perversam dicere debebit; fortasse de his ipsis cogitavit epitomator, cum h. l. nomina permutaret. Attalus et Laevinus in Graecia nunquam pugnarunt simul.

Quibus cladibus cett.] Egregie haec exponuntur loco Livii laudato, XXVIII, 5.

§ 8. *Illyriorum reges — haerentes — exigebant*] Sic Bongars. et libri nullo excepto omnes. Mutatum inde ab Aldina ob c. 2, ut hodie etiam edatur: *Ill. rex — haerens — exigebat.* Hoc parum verisimile iudicans Schefferus e voc. *reges* (*lēges*) correxit: *legationes.* Sane quod dicit Iustinus: *promissa exegisse*, ad solum Demetrium referri potest: sed abierantne tot peccata, tot similium rerum permutationes ab Iustino commissae tantopere ex animis interpretum, ut unanimi consensu emendationem decernerent? Parti autem Illyriorum, in qua *Ardiaei*, praeerat *Scerdilaedus*, usque ad a. 537 Philippi socius, inde Romanis addictus; hisque ipsis temporibus simul cum eo regnabat *Pleuratus* filius (v. haec exposita ab Schweighaeusero ad Polyb. II, 5, p. 356): de quibus Livius ad hunc, in quo versamur, annum: *Ne ex regno quidem ipsius* (Philippi) *tranquillae nuntiabantur res: et Scerdilaedum Pleuratumque motos esse, et Thracum maxime Maedos* cett. Vel igitur hoc solum omissis regum nominibus tradiderat Trogus, ut epitomator de Demetrio narrari opinatus suae ea sententiae accommodaret; vel de tribus regibus locutus partis rerum omissione per epitomatorem corruptus est.

§ 9. Livius: *Vel segnem ducem tot excitare tumultus circumfusi*

10 sed ut spe impletos in societatis iure retineret. Prima tamen illi expeditio adversus Dardanos fuit; qui absentiam eius aucupantes
11 maiore belli mole Macedoniae imminebant. Cum Romanis quoque pacem facit, contentis interim bellum Macedonicum distulisse. Philopoemeni, Achaeorum duci, quem ad Romanos sociorum animos sollicitare didicerat, insidias praetendit. Quibus ille cognitis vitatisque discedere ab eo Achaeos auctoritate sua coëgit.

---

poterant. Legationes dimittit pollicitus, prout tempus ac res se daret, omnibus laturum se auxilium.

§ 10. *Prima — expeditio*] summotis quidem prius Attalo et Sulpicio, captis multis Graecorum oppidis; v. Liv. XXVIII, 5—8.

§ 11. Lege Livium XXIX, 12, cui adde laudd. ap. Chr. Lucam p. 120. U. c. 547; a. C. 205. Ab rege foederi ei adscripti etiam *Achaei* erant.

contentis] Male edd. vett.: *contentus;* v. Mod. et Bernecc.

Philopoemeni — insidias pr.] Plutarch. 12.

discedere] Modiani hic peius: *desciscere*, quibuscum uni tantum Bongarsii convenit.

auctoritate sua coëgit] Falsum hoc: *Aristaenus* enim, illo tempore praetor, Achaeos eo permovit: U. c. 554; a. C. 198: v. laudd. ap. Christ. Lucam p. 125; adde Plutarch. Philop. 17.

LIBER XXX.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXX.*)

Tricesimo volumine continentur haec. Ut mortuo Ptolemaeo Tryphone[1]) filius eius Philopator Antiochum regem vicit Raphiae: ipse amore Agathocleae[2]) corruptus decessit relicto filio pupillo. In quem cum Philippo, rege Macedonum, consensit Antiochus. Philippi deinde gesta in Asia[3]), cum movisset Aetola bella. A quibus reversus bellum habuit cum

---

[1]) Ita codd. Rom., Periz., Crac., ut iam coniecerant Scaliger, Ianus Rutgersius, al. Vett. enim: *Utrusphonae* vel *Utruppone.* Est Euergetes. — Vett. etiam: *Philopater.*

[2]) Vett.: *vicit. rapi ei poeamare gathocleae.* Vere emendavit Valesius. Periz.: *rapie ipse amore Ag.* Crac. etiam: *ipse amore Ag.;* similiter Thuan., qui *correptus.* Vossius: *turpique postea am.* cett. Aberravit a vero Longuerr.

[3]) Contra Attalum; vid. Polyb. XVI, 1 sqq., Diodor. Exc. XXVI. p. 573 Wessel. al. Omisit Iustinus.

ducibus Romanis Sulpicio et Flaminino [4]): a quibus victus; pax [5]). Transitus deinde ad res Antiochi: qui [6]) post regnum acceptum persequutus defectores in Media Molonem, in Asia Achaeum [7]), quem obsedit Sardibus, pacata superiore Asia Bactris tenus in Romana bella descendit.

---

4) Ita Leid. 1. Vett.: *Flaminio.* Emendaverat Bong.

5) Ita plane Periz., Crac. Vett.: *quibus victus.* Praepos. intulit Bong. Longuerr. volebat: *a quibus victus, pax transigitur,* ob seq. *transitus.* „Potius sic vere scriptum fuisse puto: a quibus victus, pace composita, amissis ceteris, solam Macedoniam retinuit. Iust. XXX extr." *Grauert.* — 2 Gronov.: *quibus victis.*

6) Haec ab Iustino omittuntur.

7) Ita 6 Gronov. et Crac., levissima aberratione; 4 eorum, ut 2 Colbertt.: *in Asiam Ach.* Vett.: *in Asia Maccheum*, de quo v. Vorst. Emendavit Freinshemius e Polyb. VIII, 17 sqq.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Ptolemaei, regis Aegypti, luxuria, vecordia et parricidia; bellum cum Antiocho.*
2. *Miserrimus Aegypti status sub turpissimo principe: eius meretrix et lenones crudeli fato pereunt.*
3. *Mortuo Ptolemaeo Romani tutelam pupilli adversus Antiochum Syrum et Philippum Macedonem suscipiunt; Philippumque prius bello reducunt ad humiliorem mentem.*
4. *Terrae motus ingentes. Romani pacem repudiant. Philippus et Flamininus suos ad pugnam accendunt. Macedonas Romana fortuna vincit: et Philippus Graeciae urbibus amissis solam Macedoniam retinet.*

I. Philippo in Macedonia magnis rebus intento in Aegypto 1
Ptolemaei diversi mores erant: quippe regno parricidio parto et ad 2
necem utriusque parentis caede etiam fratris adstructa, velut rebus feliciter gestis, luxuriae se tradiderat; regisque mores omnis secuta

---

C. I. § 1. *Ptolemaei*] Philopatoris. — Goth. omitt.: *in Aeg.*

§ 2. *utriusque parentis*] secundum ceteros matris tantum Berenices. Euergetes pater quali morte obierit, narratum non inveni. Fratrem tamen Euergetae, *Lysimachum* avunculum, occidit.

fratris] Magae. V. Vales. ap. Schweigh. ad Polyb. VII. p. 218.

3 regia erat. Itaque non amici tantum praefectique, verum etiam omnis exercitus, depositis militiae studiis, otio ac desidia corrupti
4 marcebant. Quibus rebus cognitis Antiochus, rex Syriae, veteri inter se regnorum odio stimulante repentino bello multas urbes eius
5 oppressit ipsamque Aegyptum adgreditur. Trepidare igitur Ptolemaeus; legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum.
6 Magno deinde in Graecia exercitu conducto secundum proelium facit; spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute iuvisset.
7 Sed contentus reciperatione urbium, quas amiserat, facta pace avide materiam quietis adripuit; revolutusque in luxuriam occisa Eurydice, uxore eademque sorore sua, Agathocliae meretricis illecebris capi-
8 tur; atque ita omnem magnitudinem nominis ac maiestatis oblitus
9 noctes in stupris, dies in conviviis consumit. Adduntur instrumenta luxuriae, tympana et crepundia; nec iam spectator rex, sed ma-
10 gister nequitiae nervorum oblectamenta modulatur. Haec primo laborantis regiae tacitae pestes et occultae fuere.

---

regia] 2 Gron., Franecq., Dorv. 2. 3: *regio*, ut edd. vett. Prag.: *curia*.

§ 4. *Antiochus*] tertius, Magnus cognominatus.

ipsamque Aegyptum] Qui hoc ante Iustinum vel Trogum scripsit, Syriae partes intellexit, quae in Aegyptiorum ditione erant, regiones ab Aegypto ad Phoeniciae flumen Eleutherum et munitum oppidum Orthosiam sitae: tota paene *Coelesyria*.

§ 6. *secundum proelium facit*] ad Raphiam „oppidum, quod in foribus Aegypti est.“ (*Hieron.*)

fortunam virt. i.] Cum in paucis codd. recentt. adversante sententia loci legeretur: *fortuna virtutem iuvisset*, in Goth. provenit lectio: *fortunae virtutem iunxisset*.

§ 7. *urbium, quas am.*] Coelesyriae. Bellum inde vocatur *Caelesyriacum*.

Eurydice] Errat; vocabatur Arsinoë; v. Schweighaeus. ad Polybium XV, 25, § 2 extr.

Agathocliae] Prag., edd. vett. et Hieron.: *Agathoclea*. Graeci: Ἀγαθόκλεια, Plutarch.: Ἀγαθοκλία (?).

§ 8. Mss. Bong., edd. vett.: *omni magnitudine;* an genitivum voluerunt?

§ 9. *crepundia*] Explicat Bongarsius: „κροτοπαίγνια, crepitacula, sistra Aegyptiaca, crotala in saltationibus“ cett. Eodem modo Facciolatus vel Forcell., addens: „quia huiusmodi dari et pueris solebant lusus gratia.“ Res incerta neque aliud ullum huius usus exemplum. In Graecis fortasse legebatur κρουπέζαι (de quibus Boettig. in *Mus. Att.* I, f. 2. p. 333; *quid sit doc. fab.* diss. II. p. 7) et ad vocem *crepare* respicitur. Confirmari hoc proxime sequentibus puto. Edd. vett.: *tripudia*, cum Crac. et Prag. — Paullo post mss. Bong.: *etiam spectatur r.*

§ 10. *laborantis* (malo intestino aegrotantis) *regiae t. p. et occultae f.*] Sic codd. Bong. praeter unum et Gronovii longe plures; integerrime. Vulgo ex Iunt. editum fuerat: *et occulta mala f.;* ut 5 recentt. Gronov., 3 Dorvill. et al. recc., at unus tantum Bong. Vett. edd. cum 2 Gronov., Dorv. 2, Prag.: *labentis*, quod Graevius mutavit in *labantis*, confirmante Gronovio p. 936, renitente Seidenstueckero l. l. p. 9.

II. Deinde crescente licentia iam nec parietibus regiae domus 1
contineri meretricis audacia potest: quam proterviorem sociata cum 2
Agathocle fratre, ambitiosae pulchritudinis scorto, quotidiana regis
stupra faciebant. Accedebat et mater Oenanthe, quae geminae 3
subolis illecebris devinctum regem tenebat. Itaque non contentae 4
rege iam etiam regnum possident, iam in publico visuntur, iam sa-
lutantur, iam comitantur. Agathocles regis lateri iunctus civitatem 5
regebat; tribunatus, praefecturas et ducatus mulieres ordinabant:
nec quisquam in regno suo minus quam ipse rex poterat. Cum in- 6
terim relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio moritur; sed mors
eius, dum pecuniam regiam mulieres rapiunt et imperium inita cum
perditissimis societate occupare conantur, diu occultata fuit. Re 7
tamen cognita concursu multitudinis et Agathocles occiditur et mulie-
res in ultionem Eurydices patibulis suffiguntur. Morte regis, sup- 8
plicio meretricum velut expiata regni infamia legatos Alexandrini ad
Romanos misere, orantes, *ut tutelam pupilli susciperent; tuerentur-
que regnum Aegypti, quod iam Philippum et Antiochum facta inter se
pactione divisisse* dicebant.

III. Grata legatio Romanis fuit causam belli adversus Philip- 1
pum quaerentibus, qui insidiatus temporibus Punici belli fuerat.
Huc accedebat, quod Poenis et Hannibale superato nullius magis 2
arma metuebant: reputantibus, quantum motum Pyrrhus parva manu
Macedonum in Italia fecisset, quantasque res Macedones in Oriente

---

C. II. § 1. *Deinde*] „Plerique mss.: *dehinc*.“ *Gronov.* Sic Goth., Crac.

§ 3. *Oenanthe*] Edd. vett.: *Euanthe*. Prag.: *Evante*.

§ 5. *civitatem*] Coll. C. C.: *civitates*. — *tribunatus*, magistratus urbanos; *praefecturas* provinciarum; *ducatus* belli.

§ 6. *Eurydice*] Arsinoë; v. ad 1, § 7.

§ 7. *Re tamen cognita*] Ms. Bong.: *Recognita tandem* (morte). Sed vulg. etiam habet Vinc. Bell. VI, 53.

Eurydices] Bong. et Vincent.: *Eurydicis*. Similia supra vidimus. — A furente multitudine nudae discerptae sunt.

§ 8. *pupilli*] Ptolemaei Epiphanis.

divisisse] Accuratiora habes ap. Polyb. III, 2, § 8 (quem corrige ex emendatione Niebuhrii in diss. de Euseb. Armen. p. 295 Opusc.) additis animadverss. Schweighaeus. p. 499 sq.

C. III. § 1. Haec non refertur in causis instaurati cum Philippo belli ap. Liv. XXXI, 5 sqq. Neque legatos primo ab Aegyptiis missos alii narrant (cf. Liv. 14).

causam] Ita Bong., cuius unus tantum *causas*; hoc licet 10 Gronov. et ceteri recc. habeant, prae illo reieci. Edd. etiam vett.: *causam*, quae si *causas* in libris invenissent, cupide essent amplexae.

insidiatus temp.] Sic 9 Gronov., Dorvill. 2. 3, Goth., Prag.: ad sententiam et historiam optime; cf. Wopkens. Bong. et cett. edd.: *insid.* *eis tempp.*, quod praetervidit fortasse vir egregius.

§ 2. *superato*] Plurimi codd.: *superatis*, sed unus tantum e Bong. Vide Wopkensium.

3 gessissent. Mittuntur itaque legati, qui Antiocho et Philippo de-
4 nuntient: *regno Aegypti abstineant.* Mittitur et M. Lepidus in Ae-
5 gyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administret. Dum haec aguntur, interim legationes Attali regis et Rhodiorum iniurias Philippi querentes Romam venerunt. Quae res omnem cunctationem
6 Macedonici belli senatui exemit. Statim igitur titulo ferendi sociis auxilii bellum adversus Philippum decernitur, legionesque cum con-
7 sule in Macedoniam mittuntur. Nec multo post tempore tota Graecia fiducia Romanorum, adversus Philippum spe pristinae libertatis erecta, bellum ei intulit: atque ita cum rex undique urgueretur,
8 pacem petere compellitur. Deinde cum expositae conditiones pacis a Romanis essent, repetere sua et Attalus et Rhodii et Achaei et
9 Aetoli coepere. Contra Philippus *adduci se posse, ut Romanis pareat*, concedebat; *ceterum indignum esse Graecos a Philippo et Alexandro maioribus suis victos et sub iugum Macedonici imperii subactos, veluti victores, leges pacis sibi dicere, quibus prius sit servitutis ratio*
10 *reddenda quam libertas vindicanda.* Ad postremum tamen petente eo induciae duorum mensium datae, ut pax, quae in Macedonia non conveniebat, Romae a senatu peteretur.

1 IV. Eodem anno inter insulas *Theram** et Therasiam medio
2 utriusque ripae et maris spatio terrae motus fuit: in quo cum admi-

* *Theramenem*

---

§ 4. V. Valer. Max. VI, 6, 1 et quae addunt h. l. Modius et Berneccerus.

§ 6. *legionesque cum consule*] Sic 2 Bong.; quid in Gronovianis legatur, ignotum. Reliqui Bong.: *legationesque cum conditionibus pacis:* qui error quomodo ortus fuerit, v. ap. Bong. Prag.: *legionesque et consules;* Crac.: *legat. et consules cum condicione pacis;* extremum etiam coll. C. C. In Goth. locus omissus erat.

consule] P. Sulpicio Galba.

§ 8. Lege Livium XXXII, 32 sqq. Errat Wetzel. ad § 7. 10. — Mss. Bong.: *Dehinc.*

§ 9. Animadverte quam vanus sit rhetor collato Liv. c. 34.

§ 10. *duorum*] Liv. 36.

C. IV. § 1. *Eodem anno*] Diversissime hoc ab aliis traditur: Euseb. et Hieronym.: Ol. 139, 1 vel U. c. 531: quibus Polybium non bene adiecit Wetzelius; de Diodoro etiam res incerta; v. Wesseling. II. p. 513. Plinius II, 87: *Inter Cycladas Olympiadis CXXXV anno quarto* (enatae sunt) *Thera et Therasia* (quod falsum esse satis ostendit Harduin. in N. et Em. Nr. 73). *Inter easdem post annos CXXX Hiera* (sic etiam Ammian. Marc. XVII, 16, Pausan. VIII, 33 extr. al.) *eademque Automate:* sed haec sine dubio corrupta sunt. Quae a ceteris, praesertim Polybio, narrantur, conspirant in annum U. c. 527, a. C. 225; v. Schweighaeus. ad Polyb. V, c. 88; Wesseling. ad Simsoni Chron. p. 1203. Epitomatoris tamen errorem hic non esse apparet et ex re et ex notatis ad § 4.

Theramenem] Bong., Vinc. Bell., Goth., Prag., Crac. et ceteri sine dubio omnes, ut edd. vett.; nonnulli Bong.: *Theremenem.* Correxit iam Glareanus, deinde alii. Idem vitium supra XIII, 7, § 2 tollendum erat.

ratione navigantium repente ex profundo cum calidis aquis insula
emersit. In Asia quoque eadem die idem motus terrae Rhodum 3
multasque alias civitates gravi ruinarum labe concussit; quasdam so-
lidas absorbuit. Quo prodigio territis omnibus, vates cecinere *oriens* 4
Romanorum imperium vetus Graecorum ac Macedonum voraturum.
Interim a senatu repudiata pace Philippus in societatem belli 5
Nabin tyrannum sollicitat. Atque ita, cum in aciem exercitum in- 6
structis e diverso hostibus produxisset, hortari suos coepit referendo
*Persas, Bactros Indosque et omnem Asiam Orientis fine a Macedoni-
bus perdomitam; tantoque fortius hoc bellum quam illa sustinendum,* 7
quanto sit libertas imperio carior. Sed et Flamininus, Romanus con- 8
sul, relatione rerum recentissime gestarum suos stimulabat in proe-
lium, ostendendo *hinc Carthaginem cum Sicilia, inde Italiam et
Hispaniam Romana virtute perdomitas: nec Hannibalem quidem Alex-* 9
andro Magno postponendum, quo Italia pulso Africam ipsam, tertiam

---

§ 2. *insula*] Hiera, postea etiam „perpetuo flagrans igne:“ Mela II, 7, § 164. Hodie vocatur *μεγάλη Καμμενή.* — Strabo I. pag. 39 extr.: *Ἀνὰ μέσον Θήρας καὶ Θηρασίας ἐκπεσοῦσαι φλόγες ἐκ τοῦ πελάγους ἐφ' ἡμέρας τέσσαρας, ὥςτε πᾶσαν ζεῖν καὶ φλέγεσθαι τὴν θάλασσαν, ἀνεφύσησαν κατ' ὀλίγον ἐξαιρομένην ὡς ἂν ὀργανικῶς καὶ συντεθειμένην ἐκ μυδρῶν νῆσον ἐπέχουσαν δώδεκα σταδίων τὴν περίμετρον* cett. V. accurate haec exponentem Cl. Car. E. de Hoff in *Geschichte der überlief. natürl. Veränderungen der Erdoberfl.* Vol. II. p. 156 sqq.

§ 4. *vetus*] Mss. Bong.: *votis.* — Oraculum etiam illo tempore in eandem rem conditum est, quod pro antiquiore habitum servavit Plutarch. *de Pyth. orac.* p. 399: *οὐκ εἰκασμὸς τῶν τάχα γενησομένων, ἀλλὰ τῶν πάντως ἐσομένων προδήλωσίς ἐστι . . . . . καὶ τὰ περὶ τῆς νήσου, ἣν ἀνῆκεν ἡ πρὸ Θήρας καὶ Θηρασίας θάλασσα, καὶ περὶ τὸν Φιλίππου καὶ Ῥωμαίων πόλεμον·*

Ἀλλ' ὁπότε Τρώων γενεὰ (Romani) *καθύπερθε γένηται*
Φοινίκων (Punico) *ἐν ἀγῶνι, τότ' ἔσσεται ἔργα ἄπιστα·*
Πόντος μὲν λάμψει πῦρ ἄσπετον, ἐκ δὲ κεραυνῶν
Πρηστῆρες μὲν ἄνω διὰ κύματος ἀΐξουσιν
Ἄμμιγα σὺν πέτρᾳ· ἡ δὲ στηρίξεται αὐτοῦ
Οὐ φατὸς ἀνθρώποις νῆσος, καὶ χείρονες ἄνδρες
Χερσὶ βιησάμενοι τὸν κρείσσονα νικήσουσι.

Τὸ γὰρ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ Ῥωμαίους τε Καρχειδονίων περιγενέσθαι καταπολεμήσαντας Ἀννίβαν καὶ Φίλιππον — κρατηθῆναι cett.

§ 5. *Nabin*] Mss. Bong.: *Nabidin.* Prag.: *Nabidem;* v. Beneck. Tyrannus erat Spartanorum.

§ 6. *Orientis fine*] Sic ex 1 Bong., 3 suis et edd. vett. edidit Gronov., q. v. de hac dictione p. 938 et alia ap. Wopkens. et Beneck.; significat *usque* vel *tenus.* Sed Bong. et ceteri codd.: *finem,* quod huic loco vindicari posse puto; cf. supr. XIII, 4, § 21. Scheffer.: *in Orientis finem.* — Res gesta est ad *Cynoscephalas* in Thessalia; U. c. 555; ante Chr. 197.

§ 8. *Hispaniam*] qua et ipsa Poenos eiecerant.

§ 9. *nec Hannib.*] Codd. Bong. omnes et 7 Gronov.: *ne Hannib. q.;* illud e vett. edd. est et ex recentissimis codd.

10 *partem mundi, superaverint. Sed nec Macedonas veteri fama, sed*
11 *praesentibus viribus aestimandos: quia non cum Alexandro Magno,*
quem invictum audierant, nec cum exercitu eius, qui totum Orientem
12 *devicerat, bellum gerant: sed cum Philippo, puero immaturae aetatis,*
qui regni terminos adversus finitimos aegre defendat; et cum his Ma-
13 *cedonibus, qui non ita pridem praedae Dardanis fuerunt. Illos maio-*
14 *rum decora, se suorum militum commemorare. Non enim alio exercitu*
Hannibalem et Poenos et totum ferme Occidentem, sed his ipsis, quos
15 *in acie habeat, militibus subactos.* His adhortationibus utrimque
concitati milites proelio concurrunt, alteri Orientis, alteri Occidentis
imperio gloriantes; ferentesque in bellum alii maiorum suorum anti-
quam et obsoletam gloriam, alii virentem recentibus experimentis
16 virtutis florem. Sed Macedonas Romana fortuna vicit. Fractus
17 itaque bello Philippus pace a Flaminino consule petita nomen qui-
dem regium retinuit: sed omnibus Graeciae urbibus, velut regni
membris extra terminos antiquae possessionis, amissis solam Mace-
18 doniam retinuit. Offensi tamen Aetoli, quod non ex arbitrio eorum
Macedonia quoque ademta regi et data sibi in praemium belli esset,
legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulatione magnitudinis in
Romana bella spe societatis universae Graeciae impellerent.

---

§ 11. *audierant — devicerat*] Hanc codd. Bong. praeter unius lectionem reducendam iam Beneckius vidit, q. cf. Gronovius e 9 suis, 3 Wopkens., quibus alii accedunt recentes, sed in *audiant* unus tantum Bong., in *devicerit* fort. plures: *audiant — devicerit.*

§ 12. *puero*] sane non seni, sed quadraginta annorum viro. — Post mss. Bong.: *hisdem Dard.* Prag: *qui non ita, ut pridem, fuerunt.* Postrema vox in omnibus Bong., Goth., Crac. ita legitur. Gronovius tamen e novem (?) suis: *fuerint.*

§ 13. Mss. Bong: *decora esse. Non;* al.: *dec. perdidisse. Non* (ob terminationem: *orare*).

§ 16. *vicit*] ad Cynoscephalas; v. Bong.

§ 17. *a* deerat in mss. Bong.

Graeciae] Ita inter Bongarsianos unus tantum Cuiacii; sed Gronovii omnes praeter 2 Leidd., Goth., Crac. Ceteri „optimae notae" ap. Bong., Prag., edd. ante Ald. in *Thraciae* consentiunt, adversante historia.

§ 18. *ex arbitr.*] 5 Gronov. praepositionem ignorant. — Res accurate tractatur et quid nimium sit in narratione Iustini ostenditur a Christ. Luca lib. saepe l. p. 123 sqq.

LIBER XXXI.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS XXXI.*)

Uno et tricesimo volumine continetur bellum, quod cum Lacedaemonio Nabide [1]) Titus Flamininus et Philopoemen, dux Achaeorum [2]), gessit. Item bellum, quod cum Antiocho in Achaia per Acilium [3]) consulem et in Asia per Scipionem gestum est. Denique Annibalis ad regem [4]) ab Carthagine fuga. Bellum cum Aetolis [5]) per eundem Acilium, qui Antiochum Graecia expulerat.

---

[1]) Vett.: *Navide.* Nostrum iam Modius.
[2]) Vett.: *Achaichorum.* Emendavit Bong., deinde Modius. Ita Periz., Crac.
[3]) Vett.: *Achilium.* Periz., Crac., vers. Ital.: *Attilium.* 2 Leidd.: *in Achaiam — in Asiam.*
[4]) Addit Maxim.: *Antiochum.* „Nomen regis deesse nequit: quod praepos. *ab* significari ratus restitui. At ea fuga bellum Acilii et Scipionis praecessit: quare nescio an etiamnum aliquid turbatum restet.“ *Grauert.* Alias iam notavimus mutatum ab hoc scriptore ordinem rerum. Hic in brevitate causa quaerenda.
[5]) Sic Maxim.; Periz.: *Ethol.* Vett.: *Acholis*, quod emendavit Bong., ut post repetitum *Achil.* Hoc bellum omisit Iustinus.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Romani Antiochum Syrum legatione coërcent; a Nabide Graeciam liberari iubent. Hannibalis nomen Romanis formidabile.*
2. *Hannibal Romanorum insidias fugiens ad Antiochum cursum dirigit.*
3. *Nabis duobus proeliis fractus post Romanorum discessum arma movet. Hannibalis ad Antiochum de opprimendis Romanis consilium.*
4. *Carthaginienses ab Antiocho sollicitati rem Romanis significant; qui politico strategemate Hannibalem ab Antiocho divellunt.*
5. *Iteratum Hannibalis consilium de bello in Italia Romanis inferendo.*
6. *Antiochi adulatores Hannibalis sana consilia rident; inde subversio Antiochi, qui terrestri et navali proelio a Romanis superatur.*

7. *Scipiones ducto in Asiam exercitu pacis leges Antiocho praescribunt, quas ipse repudiat.*
8. *Bello reparato et pugna commissa, caesis quinquaginta Asiaticorum millibus, Antiochus subactus pacem petit et obtinet.*

---

1 I. Mortuo Ptolemaeo Philopatore, rege Aegypti, contemta-
que parvuli filii eius aetate, qui in spem regni relictus praedae etiam
domesticis erat, Antiochus, rex Syriae, occupare Aegyptum statuit.
2 Itaque Phoenicen ceterasque Syriae quidem, sed iuris Aegypti civi-
tates cum invasisset, legatos ad eum senatus mittit, qui denuntia-
rent ei: *abstineret regno pupilli postremis patris precibus fidei suae*
3 *traditi.* Quibus spretis interiecto tempore alia legatio supervenit,
quae omissa pupilli persona *civitates iure belli factas populi Romani*
4 *in integrum restitui* iubebat. Abnuenti bellum denuntiatum: quod
ille facile susceptum infeliciter gessit.
5 Eodem tempore et Nabis tyrannus multas Graeciae civitates
6 occupaverat. Igitur senatus, ne uno tempore duplici bello Roma-
nae vires distinerentur, scripsit Flaminino: *si ei videatur, sicuti*
7 *Macedoniam a Philippo, ita Graeciam a Nabide liberet.* Ob quam
causam imperium ei prorogatum est. Terribile quippe Antiochi bel-
lum Hannibalis nomen faciebat, *quem* aemuli eius *occultis mandatis*
8 *cum Antiocho inisse societatem* apud Romanos criminabantur, negan-

---

C. I. § 1. *Philopatore*] Mss. Bong.: *Philopatro*; Goth.: *—tre.*

praedae] Sic mss. Bong., dimidia fere pars Gron. Bong.: *praeda*, ut 7 Bong., Goth., vett. edd.

domesticis] Agathocli et ceteris aulicis patris; v. res ap. Polyb. XV, 25 sqq.

§ 2. *Phoenicen*] Bong.: *Phoenicem*, ut edd. vett. Vid. Graevium. Goth.: *femorem.*

Syriae] Cf. ad XXX, 1, § 4. Polyb. V, 34. — *Aegypti* recte defendit Wopkensius.

§ 3. Vere narrare Iustinum de duabus legationibus collatae aliorum narrationes docent; v. Schweighaeus. ad Appianum p. 531 sqq.

§ 4. V. inf. c. 6.

§ 5. *multas Gr. civitates*] nullam praeter *Argos*, quam Philippus ei ante annos aliquot concesserat.

§ 6. *distinerentur*] Hoc l. etiam, ut XXIX, 2, § 8, codd. ad unum omnes: *detinerentur*, quod aliquando vindicatum iri puto.

Macedoniam a Philippo (liberaverit)] insania rhetorica; neque voluit Iustinus quod Iensius scripsit: „Macedonia haud dubie durius et imperiosius tractata fuit a Philippo, antequam a Romanis fuerat coërcitus.“ Id non curabant Romani et nemo durior avariorque erat ipsorum praefectis. — 4 Gronov.: *et Graec.*

§ 7. *prorogatum est*] in a. 557 U. c. *Est* omittunt mss. Bongars., 8 Gronov., Goth.

quem aemuli eius cett.] V. Boettigeri *Gesch. d. Carth.* p. 424 sq.

tes *eum aequo animo sub legibus vivere, adsuetum imperio et immode-*
rata licentia militari; semperque taedio quietis urbanae novas belli
causas circumspicere. Quae etsi falsa nuntiata fuissent, apud timen- 9
tes tamen pro veris habebantur.

II. Denique senatus metu perculsus ad speculandos actus Han- 1
nibalis legatum in Africam Cnaeum Servilium mittit; eique tacitis
mandatis praecipit: *si posset, eum per aemulos eius interficeret metu-*
que invisi nominis tandem populum Romanum liberaret. Sed res Han- 2
nibalem non diu latuit, virum ad prospicienda cavendaque pericula
paratum nec minus in secundis adversa quam in adversis secunda
cogitantem. Igitur cum tota die in oculis principum legatique Ro- 3
mani in foro Carthaginiensium obversatus in supremum fuisset, ap-
propinquante vespere equum conscendit et rus urbanum, quod pro-
pter litus maris habebat, ignaris servis iussisque ad portam rever-
tentem opperiri, contendit. Habebat ibi naves cum remigibus occulto 4
sinu litoris absconditas; erat et grandis in eo agro pecunia praepa-
rata, ut, cum res exegisset, nec facultas fugam nec inopia mora-
retur. Lecta igitur servorum iuventute, quorum copiam Italicorum 5
captivorum numerus augebat, navem conscendit cursumque ad An-
tiochum dirigit. Postera die civitas principem suum ac tum temporis 6
consulem in foro exspectabat. *Quem* ut *profectum* nuntiatum est, 7
non aliter quam si urbs capta esset, omnes trepidavere exitiosamque
sibi fugam eius ominati sunt. Legatus vero Romanus, quasi bel- 8
lum iam illatum Italiae ab Hannibale esset, tacitus Romam regredi-
tur trepidumque nuntium refert.

III. Interim in Graecia Flamininus iuncta cum quibusdam civi- 1
tatibus societate Nabidem tyrannum duobus continuis proeliis sub-

---

§ 8. *licentia*] Ablativus recte defenditur a Wopkens.

C. II. § 1. *speculandos*] 1 Bong.: *speculandum.*

Cnaeum] Bong.: *Gnaeum* (*Γναῖον*). Livio XXXIII, 47 *Caius* est. — *Romanum* abest a mss. Bong., coll. C. C.

§ 2. *paratum*] Ita codd. nullo excepto omnes. Edd. 6 vett.: *peritum*, quod ut recte dicatur, non tamen reduci ideo ab Oudendorpio et Beneckio debebat.

§ 3. *legatique R.*] Mss. Bong.: *laetantibusque R.;* al. *laetatique.*

in supremum] Docte I. Fr. Gronovius: *in supremam.* V. Wopkens. — *observatus* mss. Bong., Dorv. 2 solemni mutatione.

rus urbanum] Quod Beneckius adduxit, huc non pertinet; aptius paullo: *fundus urbanus* ap. Caton. R. R. 8 extr. V. tamen Ictorum locos a Forcellino excitatos. Freinshem.: *rus suburbanum*, ut Med. 1. Miror tamen quod Gronovius scribit: „Reliqui MSS. [praeter Med.] mendose *rursus* vel *versus suburbanum.*"

§ 4. *grandis in eo a. pec.*] Sic omnes Gron., Crac., Goth. Vett. edd. et Bong.: *gr. pecunia in eo a.*

§ 5. *Italicorum capt.*] Dubitat de his Freinshemius, q. v.

§ 6. *consulem*] suffetem.

2 egit; et graviter fractum velut exsanguem in regno reliquit. Sed
libertate Graeciae restituta deductisque ab urbibus praesidiis, cum
Romanus exercitus in Italiam reportatus esset, velut vacua rursus
3 possessione sollicitatus, multas civitates repentino bello invasit. Quibus rebus exterriti Achaei, ne vicinum malum etiam ad se serperet,
bellum adversus Nabidem decernunt ducemque praetorem suum Phi-
4 lopoemenem, insignis industriae virum, constituunt: cuius in eo
bello tanta virtus enituit, ut opinione omnium Flaminino, Romano
imperatori, compararetur.
5 Eodem tempore Hannibal, cum ad Antiochum pervenisset, vel-
6 ut deorum munus excipitur; tantusque eius adventu ardor animis
regis accessit, ut non tam de bello quam de praemiis victoriae cogi-
7 taret. Sed Hannibal, cui nota Romana virtus erat, negabat *op-*
8 *primi Romanos, nisi in Italia, posse.* Ad hoc sibi centum naves et
decem millia peditum et mille equitum poscebat, promittens *hac*
9 *manu non minus bellum, quam gesserit, Italiae restauraturum; et in
Asiam regi sedenti aut victoriam de Romanis aut aequas pacis condi-*
10 *tiones relaturum: quippe et Hispanis bello flagrantibus ducem tantum
deesse; et Italiam notiorem sibi nunc quam pridem fuisse: sed nec Carthaginem quieturam sociamque se ei sine mora praebituram.*

C. III. § 1. *et graviter*] Mss. Bong., 5 Gron., Bodl., Dorv. 1. 3, Goth.: *et gravibus:* post quod distinguit Schefferus, ut referatur ad *proeliis*, cui subiicit unus Bongars.; Wopkens.: *cladibus fractum.* 1 Bong.: *gravibus vulneribus fr.;* Med. 2: *gravibusque pacis legibus fractum.*

§ 2. *invasit*] excitatus ab Aetolis (Liv. XXXV, 12 sq), quorum odii in Romanos causas exponit Chr. Lucas p. 130 sq.

§ 3. *vicinum*] 3 Gron.: *vicinale;* v. p. 940. Achaeis maritimorum Laconum, quos iam aggrediebatur Nabis, tuendorum a Quinctio cura iniuncta fuerat.

suum] Omitt. mss. Bong.

§ 4. Livius XXXV, 30 extr.: — *aequantibus eum* (Philopoemenem) *gloria rerum Achaeis imperatori Romano et, quod ad Laconicum bellum attineret, praeferentibus etiam.* Adde Bongars.

§ 8. *decem millia*] Livius: *sedecim;* de quo v. Glarean.

mille equitum] Ita codd. Bong. „plerique", 8 Gron., Duisb., Bodl., coll. C. C., Goth.: quod defendunt laudati a Gron. p. 941 et Beneckio. — Cod. Pelerini: *tria millia equitum*, contra historiam et probabilitatem.

gesserit] Coll. N.: *gesserat.*

restauraturum] Vulgo ex edd. aliquot vett.: *instaur.*, de quo supra dictum.

§ 9. *in Asiam*] Hoc verum esse res subtilius pensitata docebit. Ita etiam Seidenstueckerus p. 7. 11 Gronov., 3 ap. Wopk., Goth.: *in Asia*, ut Ald. et I. Fr. Gronovius. 2 Wopk., Prag.: *in Asia rege sedente.*

sedenti] otioso; v. interpp.

§ 10. *quam pr. fuisse*] Sic Bong. sine v. l., „plerique" Gron., edd. vett.; genuinum esse per se patet et de talibus etiam agendum erat Kruegero in libello: *über den acc. c. inf. bei Fragw., Relat. a.* Vulgo e Fabri emendatione cum Iunt. et codd. recentiss., ut Prag., Dorv. 1: *fuisset.*

IV. Cum regi consilia placuissent, mittitur Carthaginem unus 1
ex comitibus Hannibalis, qui in bellum cupidos hortetur *Hannibalem-
que cum copiis adfuturum* nuntiet; *nihil* dicat *partibus nisi animos
Carthaginiensium deesse: Asiam et vires belli et sumtum praebituram.*
Haec cum relata Carthaginem essent, nuntius ipse ab inimicis Han- 2
nibalis comprehenditur et perductus in senatum cum interrogaretur:
ad quem missus esset? Punico ingenio respondit *se ad universum se-
natum missum: nec enim hoc opus singulorum, sed universorum esse.*
Dum multis diebus deliberant, an eum Romam ad purgandam pu- 3
blicam conscientiam mittant, tacitus conscensa nave ad Hannibalem
revertitur. Quo cognito Carthaginienses ultro rem Romam per le-
gatum deferunt. Romani quoque ad Antiochum legatos misere, qui 4
sub specie legationis et regis apparatum specularentur et Hannibalem
aut Romanis mitigarent aut adsiduo colloquio suspectum invisumque
regi redderent. Itaque legati cum Ephesi convenissent ad Antio- 5
chum, mandata ei senatus tradunt. Dum responsum exspectant, 6
omnibus diebus adsidui circa Hannibalem fuere, dicentes *timide eum
a patria recessisse, cum pacem Romani non tam cum republica eius
quam cum eo factam summa fide custodiant; nec bella eum Romano- 7
rum magis odio quam patriae amore gessisse, cui ab optimo quoque
etiam spiritus ipse debeatur. Has enim publicas inter populos, non
privatas inter duces bellandi causas esse.* Inde res gestas eius lau- 8
dare. Quorum sermone laetus saepius cupidiusque cum legatis col-
loquebatur, ignarus quod familiaritate Romana odium sibi apud
regem crearet. Quippe Antiochus tam adsiduo colloquio reconcilia- 9
tam eius cum Romanis gratiam existimans nihil ad eum, sicuti sole-
bat, referre; expertemque totius consilii, veluti hostem prodito-
remque suum, odisse coepit. Quae res tantum apparatum belli
cessante imperatoria arte corrupit. Senatus mandata fuerant, *ut* 10
*contentus terminis Asiae esset, ne ipsis ingrediendi Asiam necessitatem
imponeret.* Quibus spretis non accipiendum bellum statuit, sed in-
ferendum.

V. Dicitur, cum frequenter de bello consilium habuisset remoto 1
Hannibale, tandem eum vocari iussisse, non ut ex sententia eius

---

C. IV. § 2. *relata*] Id vel illud defendit: *quae Galatea locuta est, venti divûm referatis ad aures.* Vulgo e 6 Gron., 1 Bong., 2 Dorv., al. recc.: *perlata.*

§ 5. *conven. ad Antiochum*] Tuentur Wopkens. et Beneck. Hoc in aliis varie mutatum erat; v. Gron. p. 941. 1 Bong.: *Ephesum.*

§ 8. *Quorum*] Mss. Bong.: *Quare*, unde recc. nonnulli: *quarum.*

§ 9. *cum Rom.*] Abest *cum* in mss. Bong. Deinde 8 Gron., Goth.: *et veluti h.*

§ 10. *ut*] Deest in Goth.

C. V. § 1. Mss. Bong., coll. N.: *Dic. enim, cum.* Inde 10 Gronov., Goth., Crac.: *cons. remoto Hann. habuisset*, rotundius, non rectius.

aliquid ageret, sed ne per omnia eum sprevisse videretur; omnibus-
2 que perrogatis postremum interrogasse. Quo animadverso *intelli-
gere se professus est, non quia egeat consilio, sed ad supplendum
numerum sententiarum se vocatum: tamen et odio Romanorum et amore
regis, apud quem solum tutum sibi exsilium relictum sit, se viam ge-*
3 *rendi belli edisserturum.* Veniam deinde libertati praefatus *nihil se
aut consiliorum aut coeptorum praesentium probare* ait; *neque sedem*
4 *belli Graeciam sibi placere, cum Italia uberior materia sit: quippe
Romanos vinci non nisi armis suis posse nec Italiam aliter quam Itali-
cis viribus subigi: siquidem diversum ceteris mortalibus esse illud et*
5 *hominum et belli genus. Aliis bellis plurimum momenti habere priorem
aliquam cepisse occasionem loci temporisque, agros rapuisse, urbes ali-
quas expugnasse: cum Romano, seu occupaveris prior aliqua seu vi-*
6 *ceris, tamen etiam cum victo et iacente luctandum esse. Quamobrem
si quis eos in Italia lacessat, suis eos opibus, suis viribus, suis armis*
7 *posse vincere, sicut ipse fecerit. Sin vero quis illis Italia velut fonte
virium cesserit, perinde falli ac si quis amnes non ab ipsis fontium
primordiis derivare, sed concretis iam aquarum molibus avertere vel*
8 *exsiccare velit. Haec et secreto se censuisse ultroque ministerium con-
silii sui obtulisse; et nunc praesentibus amicis ideo repetisse, ut sci-
rent omnes rationem gerendi cum Romanis belli, eosque foris invictos,*
9 *domi fragiles esse. Nam prius illos urbe quam imperio, prius Italia
quam provinciis exui posse: quippe et a Gallis captos et a se prope de-
letos esse; neque se umquam victum prius quam terris eorum cesserit:
reverso Carthaginem statim cum loco fortunam belli mutatam.*

1 VI. Huic sententiae obtrectatores amici regis erant; non utili-
tatem rei cogitantes, sed verentes, ne probato consilio eius primum
2 apud regem locum gratiae occuparet. Et Antiocho non tam consi-
lium quam auctor displicebat, ne gloria victoriae Hannibalis, non
3 sua esset. Omnia igitur variis adsentationum adulationibus corrum-
pebantur: nihil consilio vel ratione agebatur. Rex ipse per hiemem

§ 3. *edisserturum*] Mss. Bong.: *non deserturum.*
§ 5. *priorem aliquam*] Mss. Bong., Franecq.: *p. aliquem;* quod adoptans Wopkensius legit: *priorem aliquem coepisse* (sic Fran., Dorv. 3 sc. bella), *occasionem l. t. rapuisse* cett. (*agros* omitt. Dorv. 3.)
agros rapuisse] Sic ingenti consensu codd. et edd. vett. Explica: raptim occupasse, ceteris praeripuisse Recentt. edd. omnes: *a. diripuisse,* quod h. l. non voluit auctor.
tamen etiam] Sic 11 Gronov., omnes Wopk., Crac., Prag., Goth. (qui *tantum*). Bongars.: *tum e.*, quae saepe permutantur.
§ 8. Edd. vett. et Bong.: *rationem cum Rom. gerendi b.* Quod a Gronovio haud dubie e mss. editur rectius est et consentiunt Prag., Crac., Goth., qui: *agendi.*
C. VI. § 1. *ut. rei*] Goth.: *regis.*
§ 2. *non tam*] Mss. Bong.: *n. tantum.*
§ 3. *per hiemem*] anni 561 U. c., 191 a. C. Chalcide.

in luxuriam lapsus novis quotidie nuptiis deditus erat. Contra Aci- 4
lius, Romanus consul, qui ad hoc bellum missus erat, copias, arma
ceteraque bello necessaria summa industria parabat; civitates socias
confirmabat, dubias illiciebat: nec alius exitus belli quam apparatus
utriusque partis fuit. Itaque prima belli congressione cum cedentes 5
suos rex cerneret, non laborantibus auxilium tulit, sed fugientibus
se ducem praebuit castraque ditia victoribus reliquit. Deinde cum 6
in Asiam praeda Romanis occupatis fugiendo pervenisset, poenitere
neglecti consilii coepit; revocatoque in amicitiam Hannibale omnia
ex sententia eius agere. Interim nuntiatur Aemilium, Romanum du- 7
cem, cum octoginta rostratis navibus in bellum navale a senatu
missum adventare: quae res illi spem restituendae fortunae dedit.
Itaque priusquam sociae civitates ad hostes deficerent, decernere 8
navali proelio statuit, sperans cladem in Graecia acceptam nova
posse victoria aboleri. Tradita igitur Hannibali classe proelium 9

---

quotidie nuptiis d.] rhetorice; quid verum sit v. Liv. XXXVI, 11. Wetzelius dum intelligeret trium filiarum Antiochi matrimonia, ad verba non satis attendit.

§ 4. *Acilius*] M'. Acilius Glabrio. Edd. vett., Prag., Crac.: *Attilius*, ex *Atilius*, ut Goth. V. Bongars.

bello necess.] Mss. Bong., coll. C. C.: *belli n.*

§ 5. *prima belli congressione*] ad Thermopylas. Modius: „Omnes omnino mss. [imo pars tantum Bong., 6 Gronov., Dorv. 3]: *conditione.* Forte legendum: *coitione;*“ Schefferus: *conlisione.*

§ 7. *Aemilium*] L. Aemilium Regillum praetorem; U. c. 562. Sed insignes in eo nomine turbae factae. Bongarsius: „*Aemilium* vet. cod. Pelerini [et Vincent.]. Cuiac.: *Eimilium.* [Med. 1: *ei Emilium;* Prag.: *ei Aem.*] Veteres enim *Aimilium* scribebant. Ceteri varie corrupti: quidam *ei vivium* [Goth.: *ei Vibium*]; alii *ei Livium* [sic Magl.; Leid. 3: *ei Levinum;* Med. 2: *ei C. Iulium*]. Scripsisse auctorem arbitror: *nuntiatur ei Lucium Aemilium*, pro quo impresserunt quidam: *Livium Nevium* [ed. Ven.: *L. Nevium*]; quidam *Livium Menenium.*“ Vincent. ed. pr.: *Iunium.* — Perizonius: „*ei Livium.* Verissima est haec lectio. Vide Liv. XXXVI, 42 [sqq.]. Hinc Rhodii ap. Liv. XLV, 22: *C. Livium, L. Aemilium Regillum interrogate.* Nam Livius ante Regillum in Asia classi praefuit;“ et prope Phocaeae littora praefectum Antiochi Polyxenidam Eumenis auxilio vicit.

octoginta r. navibus] Ita etiam Liv. XXXVII, 30; C. Livius *quinquaginta* tantum habuerat.

§ 8. *victoria*] 6 Gronov., 1 Bong. (?), Goth.: *victoriae gloria:* quod fortasse verum.

§ 9. *Tradita Hannibali classe*] quod sane factum erat: sinistrum certe cornu rex Hannibali commiserat adversus Rhodios, qui cum Romanis se coniungere volebant; sed eventus proelii infaustus erat et Hannibal ad Pamphyliam interclusus: Liv. XXXVII, 23 sqq. Appian. Syr. 22. 28.

proelium] ad Myonnesum; cui Hannibal non interfuit, Polyxenidas praefuit. Sed Iustini hunc esse errorem non puto et ob c. 7, § 3 et ob Livii verba XXXVII, 34, licet in alia re: (hoc), *sicut pleraque alia* (huius belli), *parum inter auctores constat.*

committitur. Sed nec Asiani milites Romanis neque naves eorum
pares rostratis navibus fuere; minor tamen clades ducis sollertia fuit.
10 Romam nondum opinio victoriae venerat et idcirco in consulibus
creandis suspensa civitas erat.
1 VII. Sed adversus Hannibalem ducem quis melior quam Afri-
cani frater crearetur, cum vincere Poenos opus Scipionum esset?
2 Creatur igitur consul Lucius Scipio; eique datur legatus frater Afri-
canus: ut intelligeret Antiochus non maiorem fiduciam se in Hanni-
3 bale victo quam Romanos in victore Scipione habere. Traiicientibus
in Asiam Scipionibus exercitum iam utrobique profligatum bellum
nuntiatum est; victumque Antiochum terrestri, Hannibalem navali
4 bello invenerunt. Primo igitur adventu eorum legatos pacem peten-
tes ad eos Antiochus mittit, peculiare donum Africano ferentes ipsius
5 filium, quem rex parvo navigio traiicientem ceperat. Sed Africanus
privata beneficia a rebus publicis secreta esse dixit; *aliaque esse patris
officia, alia patriae iura, quae non liberis tantum, verum etiam vitae
6 ipsi praeponantur. Proinde gratum se munus accipere privatoque im-
pendio munificentiae regis responsurum. Quod ad bellum pacemque
pertineat, nihil neque gratiae dari neque de iure patriae decidi posse* re-
7 spondit. Nam neque de redimendo filio umquam tractavit nec se-
natum de eo agere permisit; sed, ut dignum maiestate eius erat, *ar-
8 mis se recepturum filium* dixerat. Post haec leges pacis dicuntur:
*ut Asia Romanis cederet; contentus Syriae regno esset; naves univer-
sas, captivos et transfugas traderet; sumtumque omnem belli Romanis
9 restitueret.* Quae cum nuntiata Antiocho essent, *nondum ita victum
se esse* respondit, *ut spoliari se regno pateretur; bellique ea irritamen-
ta, non pacis blandimenta esse.*

C. VII. § 1. *quis melior*] consul; v. Wopkens. — Mss. Bongars., Goth., Prag.: *melius.* — Haec tamen ad eundem annum 562 U. c. referenda sunt, quo proelium ad Myonnesum per Aemilium Regillum praetorem, classi praefectum, committebatur. Livius XXXVI extr.: *Exitu anni* (561) *comitia Romae habita, quibus creati sunt consules L. Cornelius Scipio et C. Laelius intuentibus cunctis ad finiendum cum Antiocho bellum. Postero die praetores creati — L. Aemilius, P. Iunius* cett.

§ 3. *Antiochum terrestri*] non satis proprie, sed haud falso; v. Liv. XXXVII, 31 sqq. Appian. Syr. 28.

Hannibalem] Polyxenidas potius dicendus erat; v. ad 6 extr.

§ 4. *traiicientem*] a Chalcide Oreum seu Demetriadem; Liv. XXXVII, 34; App. 29. Leviora quaedam hic inter scriptores discrepant; v. Bong., Bernecc. — „Meliores mss.: — *Antiochus ad eos — ferentes filium ipsius.*“ Gronov. Editum rectius est.

§ 6. *decidi*] Mss. Bong.: *diduci* (ded.). Goth.: *dedici.* 2 Gronov.: *decedi.*

§ 8. *Asia*] minore, cis Taurum.

naves universas] Intelligendae sunt, quas de Romanis eorumve sociis haberet.

§ 9. *ea irrit.*] Mss. Bong.: *ei irrit.*

VIII. Igitur cum ab utrisque bellum pararetur ingressique Asiam 1
Romani Ilion venissent, mutua gratulatio Iliensium ac Romanorum
fuit: Iliensibus *Aeneam ceterosque cum eo duces a se profectos*, Ro-
manis *se ab his procreatos* referentibus. Tantaque laetitia omnium 2
fuit, quanta esse post longum tempus inter parentes et liberos solet.
Iuvabat Ilienses nepotes suos Occidente et Africa domita Asiam ut 3
avitum regnum vindicare, *optabilem Troiae ruinam fuisse* dicentes,
ut tam feliciter renasceretur. Contra Romanos avitos lares et incu- 4
nabula maiorum templaque ac deorum simulacra inexplebile deside-
rium videndi tenebat. Profectis ab Ilio Romanis Eumenes rex cum 5
auxiliis occurrit: nec multo post proelium cum Antiocho commissum.
Cum in dexteriore cornu pulsa legio Romana maiore dedecore quam 6
periculo ad castra fugeret, M. Aemilius, tribunus militum, ad tute-
lam castrorum relictus *armare se milites suos et extra vallum progredi*
iubet, strictisque gladiis fugientibus minari, *morituros* dicens, *nisi
in proelium revertantur, infestioraque sua quam hostium castra inven-
turos.* Attonita tam ambiguo periculo legio comitantibus commilito- 7
nibus, qui fugere eos prohibuerant, in proelium revertitur, magna-
que caede edita initium victoriae fuit. Caesa hostium quinquaginta 8
millia, capta undecim. Antiocho pacem petenti nihil ad superiores
conditiones additum Africano praedicante: *neque Romanis, si vincan-
tur, animos minui; neque, si vincant, secundis rebus insolescere.*
Captas civitates inter socios divisere, Romanis aptiorem gloriam 9

C. VIII. § 1. *Ilion*] 10 Gronov., Crac., Goth.: *Ilium;* postremi 2: *perven.* — Verba *Iliensium ac R. f.* in vett. omnibus Bong. desunt. — *se ab*] Mss. Bong.: *sese ab.*

§ 5. *proelium*] circa Magnesiam ad Sipylum montem.

§ 6. *dexteriore cornu*] imo laevo, Liv. c. 42.

M. Aemilius] Mss. Bong.: *M̄. Aem.;* Leid. 3: *Mennius A.;* 1 Bong., coll. N.: *Memmius A.*

§ 8. *quinquaginta millia*] peditum, tria equitum; capti vero tantum mille et 400; *Liv.* Appianus: *Ἀντιόχου σὺν τοῖς αἰχμαλώτοις εἰκάζοντο ἀπολέσθαι περὶ πεντακισμυρίους.*

neque Romanis cett.] Sic Bong. ex optimis suis aliique boni: in qua lectione origines ceterarum facile cernuntur. Quae offendit Beneckium vocabulorum collocatio: *neque Romanis*, vulgari quotidianoque sermoni propria est. Mss. Bong., 6 Gronov., Franecq., 3 Dorv., Goth.: *Romanos neque* (Dorv. 2: *n. R.*) *s. v. animis* (Dorv. 1, Goth.: *animo;* Dorvill. 3, Periz.: *animos*) *minui* (3 Gron.: *animos minuere*).

§ 9. *Romanis aptiorem gloriam* cett.] Sic Graevius, sententia satis perspicua, sed ob tautologiam aliquantum languente. Nemini enim ad hunc diem aperire contigit quod in vetustissimos codd. vitium irrepsit. Bongarsiani praeter duos, Franecq., Dorv. 2. 3, Goth., edd. vetustiss.: *divisere m u n e r i s Romani aptiorem A s i a m quam* cett. Sic etiam maior pars Gronovianorum; nisi quod Periz.: *dividere;* Med. 1, Leidd. 2. 5, Bodl.: *minus* pro *muneris*, quod plane omittunt Prag., Crac.; Med. 2: *Romano;* Magl., Dorv. 1, Crac., ac fort. plures Gronov. cum edd. vett. aliquot, in quib. Ald.: *gloriam* pro *Asiam*, haud dubie ex seqq.; idem

quam possessiones voluptarias iudicantes: quippe victoriae gloriam Romano nomini vindicandam; opum luxuriam sociis relinquendam.

Magl.: *voluptuarias*, pro quo Prag., Med. 2, edd. vett.: *voluntarias;* plane omittit Med. 1, *possessionem* legens. Bong. e duobus edidit: *divisere Romani*, *aptiorem glor.* cett., sectante Gronovio. Haec est omnis nota hui. l. varietas. Facillimum est quod cum Graevio edidimus: sed etiamsi permutata fuerint inter se *diviSE͂* (i. e. *re*) *ROMĀIS* et *diviSERЄMV͂IS* et seq. *Romani* de glossa insertum, aperte tamen *Asia* verius est quam *gloria*, quod manifesto ex seqq. natum. Etiam quod Bongars. et Gronovius receperunt, e corrupta lectione arte fictum est. Faber: *divisere Romani*, *aptiorem sibi glor.* cett. Vorstius: *muneri Romanis aptiorem Asiam;* male; idem: *muneris Romanis apt. gloriam*, iungens: muneris gloriam; Schefferus: *divisere muneri Romani*, *potiorem gloriam* cett. Wopkens.: *div. Romani*, *muneris ampliorem gratiam quam* cett. Gronov.: *divisere*, *muneri Romani aptiorem Asiam quam possessioni voluptariae i.* Dresigius in epist. p. 701 Fisch.: *divisere muneris Romani*, *aptiorem gloriam* cett. quod plane adoptavit Beneckius et exemplis defendere studuit; sed ita dici non posse hodie ipse opinor vir doctissimus iudicabit et docet exemplorum excitatorum aperta dissimilitudo. Denique Torkilius Baden in Seebodii *Archiv*, 1830. p. 125: „Tolle, inquit, *aptiorem* tanquam glossema; *muneris Rom.* i. e. Romanorum, ut Tacit. Ann. XV, 52 [v. ap. Dresig.].“ Quid ipse iudicem, si quaeris: re ab omni parte pensitata locum ex iis, qui adhuc inspecti sunt, libris certo restitui non posse censeo. Incertos conatus non augebo, nisi forte hoc: *divisere*, *muneris Romanorum aptius fore Asiam quam possessiones voluptarias iud.;* *Romani* fortasse per compendium exaratum erat et inter APTIORĒ et APTI⁹FORE leve discrimen. Conf. XLII, 5, § 8: *iuris Romanorum futuram Parthiam affirmans, si eius regnum muneris eorum esset.* Si exempla essent notarum marginalium in Bongarsianos libros illatarum, hunc locum crederem eiusmodi fere nota: *Asia fit muneris Romani*, iam olim esse turbatum. — De re Livius: *Cis Taurum montem*, *quae intra regni Antiochi fines fuerant*, *Eumeni attribuebantur praeter Lyciam Cariamque usque ad Maeandrum amnem; ea civitatis Rhodiorum essent. Ceterae civitates Asiae*, *quae Attali stipendiariae fuerant*, *eaedem Eumeni vectigal penderent; quae vectigales Antiochi fuerant*, *eae liberae atque immunes essent.*

LIBER XXXII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXXII.*)

Secundo et tricesimo volumine continentur haec. Defectio ab Achaeis Lacedaemoniorum et Messeniorum, qua Philopoe-

men interiit. Romanorum in Asia duce Manlio [1]) adversum [2]) Gallos bellum. Regis Philippi propter ablatas sibi civitates alienatus in Romanos animus; et ob hoc alter filiorum Demetrius occisus: concitatique ab eo Bastarnae, transire conati in Italiam [3]). Inde in excessu dictae res Illyricae: ut Galli, qui occuparant Illyricum, rursus redierunt [4]) in Galliam: originesque Pannoniorum et incrementa Dacorum [5]) per Rubobosten [6]) regem. In Asia bellum a rege Eumene gestum adversus Gallum Ortiagontem [7]), Pharnacem Ponticum et Prusiam [8]), adiuvante Prusiam Annibale Poeno. Res gestae Annibalis post victum Antiochum et mors. Mortuo [9]) Seleuco, filio Magni Antiochi, successit regno frater [10]) Antiochus.

---

[1]) Codd. omnes: *ducem ambo.* Emendavit Bongars., q. v.; post eum Longuerr. Res omissa in epitome.

[2]) Mod., Longuerr.: *adversus.*

[3]) Omisit Iustinus. V. Liv. XL, 57 sq. Etiam ex seqq. pauca tantum recepit. — Crac.: *Basternae.*

[4]) Mod.: *redierint.*

[5]) Sic Grauertus. Codd., quantum reperi, omnes praeter Perizon.: *Daciorum:* quod fortasse expulsum non oportuit.

[6]) Periz.: *Rubobusten.* Crac.: *Robustonem.* Vossius ad 3, § 16 reponere volebat: *Boerebistan* ex Strabone; dubitabat Schefferus. Quaerendum an Trogus ad Augusti usque aetatem in his originibus nonnunquam descenderit. Quae Iornandes, alii de Dacis, Syllae tempora non multum superant: quare de h. l. difficile est iudicium. Iustini *Orolem* alium dicas an eundem plane incertus haerebis.

[7]) Vett.: *Gallium Ortiagonem.* Freinshemius tuetur *Gallium* pro Gallum (cf. supr. ad XI, 11, § 13); Bongars. scripsit ut edidimus; adde Gronov. p. 1009. 2 Gron.: *Galliam*, quod confirmat illud *Gallium;* sed hoc qui de Galata diceret nondum vidi. Iustinus omisit aeque ac Ponticum bellum.

[8]) Vett.: *Parnecem Ponticum et Prusiana.* Emendavit Bongarsius. Crac.: *Pharmacem.* „Praeterea fort. ante *Prusian* inserendum *Bithynum.*" Grauert.

[9]) Vett.: *Antiochum. Et mox mortuo* cett. Sed recte iam Modius.

[10]) Mortuo *Seleuco Philopatori* successit *Antiochus Epiphanes*, a. C. 176. Periz., Crac.: *succ. in regno fratri A.* Iustinus morte Hannibalis finem libro imposuit.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Aetoli libertate spoliantur. Bellum inter Messenios et Achaeos. Philopoemen captus et veneno interemtus: unde Messeniorum clades.*
2. *Antiochus Syrus, dum sacrilegio sibi providere putat, interficitur. Senatus Romanus Philippo parcit ob Demetrii filii virtutem: cui Perseus frater invidet et Demetrium impiis artibus de medio tollit.*

3. *Philippi obitus et belli apparatus adversus Romanos, Gallis ad huius belli societatem pertractis: de quorum migrationibus subiicitur narratio.*
4. *Bellum inter Prusiam et Eumenem, in quo Hannibalis opera Prusias superior evadit. Pace inter reges sancita Romani Hannibalem persequuntur. Is hausto veneno legationem morte praevenit. Adiunctum eiusdem Hannibalis elogium.*

---

1 I. Aetoli, qui Antiochum in bella Romana impulerant, victo eodem soli adversus Romanos et viribus impares et omni auxilio de-
2 stituti remanserunt: nec multo post victi libertatem, quam illibatam adversus dominationem Atheniensium et Spartanorum inter tot Grae-
3 ciae civitates soli retinuerant, amiserunt. Quae conditio tanto amarior illis, quanto serior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tantis Persarum opibus domesticis viribus restiterant; quibus Gallorum violentiam Asiae Italiaeque terribilem Delphico bello fregerant: quae gloriosa recordatio in maius desiderium libertatis augebat.
4 Dum haec aguntur, medio tempore inter Messenios et Achaeos
5 de principatu primo dissensio, mox bellum ortum est. In eo nobilis Achaeorum Philopoemen imperator capitur: non quia pugnando vitae pepercerit, sed, dum suos in proelium revocat, in transitu fossae
6 equo praecipitatus a multitudine hostium oppressus est. Quem iacentem Messenii seu metu virtutis vel verecundia dignitatis interficere

---

C. I. § 2. *victi*] per M. Fulvium Nobiliorem Cos.; U. c. 563; a. C. 189. De eorum miseriis et illatis illo tempore iniuriis v. scriptorum locos ap. Christ. Lucam p. 132 sq.

§ 3. *restiterant — fregerant*] Sic Bong. sine v. l., vett. edd. recte et ex more Iustini. Prag.: *restiterunt — fregerunt;* postremum etiam Crac. Sed Gronovius e 10 suis, 4 Wopkens.: *restiterint — fregerint;* ita etiam Goth.

in maius] Haec coniectura Schefferi, firmata a Wopkens. Codices omnes: *maius*, quod et ipsum defendere studebat Wopkens., q. v. I. Fr. Gronov.: *maiorum.* Vulgo ex Ald.: *magis des.*, ut Leid. 4.

§ 4. *bellum*] a. C. 183.

§ 5. *In eo*] Bong.: *In ea*, quod correxit Faber. *Eo* habent Goth., Crac., Prag.; quinam ex ceteris, nescio.

Philopoemen] Sic mss. Bong., Prag., Crac., multi etiam, ut videtur, Gronovii. Sed Bong., Vincent., Bodl., Goth., edd. vett.: *Philopoemenes;* coll. C. C.: *Philopaemenon.*

nob. Ach. Phil. imperator] Sic Bongars., copiose tuente Wopkensio. Edd. de Fabri suasu: *nob. Ach. imp. Ph.*, ut Dorv. 1. 3, Goth. et alii recentissimi.

§ 6. *vel verecundia*] Sic Bong.; vere; v. Wopkens. et praesertim Beneck. Vulgo: *seu verec.*, e 12 codd. Gronov.

ausi non fuerunt. Itaque velut in illo omne bellum confecissent, 7
captivum per universam civitatem in modum triumphi circumduxerunt effuso obviam populo, ac si suus, non hostium imperator adventaret; nec victorem Achaei avidius vidissent, quam victum hostes vi- 8
derunt. Igitur eumdem in theatrum duci iusserunt, ut omnes contuerentur, quem potuisse capi incredibile singulis videbatur. Inde 9
in carcerem ducto verecundia magnitudinis eius venenum dederunt; quod ille laetus, ac si vicisset, accepit quaesito prius: *an Lycortas*, praefectus Achaeorum, quem secundum a se esse scientia militari sciebat, *incolumis effugisset?* Quem ut accepit evasisse, *non in totum* dicens *consultum male Achaeis* exspiravit. Nec multo post reparato bello Messenii vincuntur; poenasque interfecti Philopoemenis pependerunt.

II. Interea in Syria rex Antiochus, cum gravi tributo pacis a Roma- 1
nis victus oneratus esset, seu inopia pecuniae compulsus seu avaritia sollicitatus, quia sperabat se sub specie tributariae necessitatis excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu nocte templum *Elymaei* *

* *Didymaei* seu *Dodonaei*

---

§ 7. 5 Gronov., Goth., Crac., edd. vett.: *Itaque laeti velut* cett. Goth. etiam: *et effuso.* — Mss. Bong.: *suos.*

§ 9. *Lycortas*] „Mss. *Lygorias*, facili lapsu *i* pro *t*. Graeci *Λυκόρτας.*" *Bongars.*, qui in V. L.: „Mss.: *Ligurias;* al. *Lycorias* [ut Goth., Prag.];" in textu: *Ligortas.* Coll. C. C.: *Lygunas.*

scientia militari] Sic 10 Gronov., Prag., Crac., Goth.; insuper in 2 Gronov., qui *militaris*, deest *rei.* Vincent.: *militari scientia.* Vulgo, etiam ap. Bong.: *scientia rei militaris.*

dicens] Mss. Bong.: *ducens.*

C. II. § 1. *rex Antiochus*] Magnum Iustinus intellexit, ut apparet ex prol. fin. coll. XXXIV, 3, § 5. Ita etiam Diodorus et Strabo; alii, in quibus Polybius et scriptor libri Maccab., Antiochum Epiphanem. Diversitatem narrationum, quae componi tamen potest, v. ap. interpp. h. l. addito Polyb. XXXI, 11. c. nott. Schweigh. p. 14 sqq. Vol. VIII.

gravi tributo pacis] 12497 talentis Atticis.

oneratus esset] Sic correxerunt Faber et Schefferus et legitur in Goth. ac fort. Prag. Codd. paene omnes: *victus oneratusque esset*, quod facile oriebatur.

quia sper.] Sic Graevius coniecit et diserte legitur in Goth., Periz., Dorv. 3, (Prag.), 2 edd. vett. At Bong., Crac., Gronoviani praeter 2: *qua sper.*, quod defendi poterat. Mss. aliquot Bong., Dorv. 1, Leid. 4: *qui sp.*

excusatius] Mss. Bong., Prag.: *excusatum.*

Elymaei] Bongars.: *Didymaei*, quod quid sit et unde ortum, non invenio; edd. vett. multae: *Dindymaei.* Ex hoc autem, corruptela sit an error scriptoris, provenit *Dodonaei*, quod est in mss. aliquot Bong., Crac., Prag., Goth. et, ni fallor, Gronovianis, et 2 edd. vett. *Elymaei* reponendum esse ex historiarum auctoribus (v. interpp. h. l.) intellexit Is. Vossius, ante hunc Fr. Asulanus, qui Aldinae intulit, primus tamen omnium, qui Mediceum alterum recensuit, iam exhibentem: *Elimei.*

2 Iovis adgreditur. Qua re prodita concursu insularium cum omni militia interficitur.

3 Romae, cum multae Graeciae civitates questum de iniuriis Philippi, regis Macedonum, venissent et disceptatio in senatu inter Demetrium, Philippi filium, quem pater ad satisfaciendum senatui miserat, et legatos civitatium esset: turba querelarum confusus ado-
4 lescens repente obticuit. Tunc senatus verecundia eius motus, quae probata etiam antea, cum obses Romae esset, omnibus fuerat, causam illi donavit: atque ita modestia sua Demetrius veniam patri, non
5 iure defensionis, sed patrocinio pudoris, obtinuit: quod ipsum decreto senatus significatum est, ut appareret non tam absolutum re-
6 gem, quam donatum filio patrem. Quae res Demetrio non gratiam
7 legationis, sed odium obtrectationis comparavit. Nam et apud fratrem Perseum aemulatio illi invidiam contraxit; et apud patrem nota absolutionis causa offensae fuit, indignante Philippo plus momenti apud senatum personam filii quam auctoritatem patris ac dignitatem
8 regiae maiestatis habuisse. Igitur Perseus perspecta patris aegritudine quotidie absentem Demetrium apud eum criminari; et primo invisum, post etiam suspectum reddere; nunc amicitiam Romano-
9 rum, nunc proditionem ei patris obiectare. Ad postremum insidias sibi ab eo paratas confingit: ad cuius rei probationem immittit indi-
10 ces, testes subornat et facinus, quod obiicit, admittit. Quibus rebus compulso ad parricidium patre funestam omnem regiam facit.

1 III. Occiso Demetrio sublatoque aemulo non negligentior tantum Perseus in patrem, verum etiam contumacior erat; nec heredem

---

Iovis] Beli, ut Strabo; cf. Wessel. ad Diod. T. II. p. 575.

§ 2. *insularium*] i. e. incolarum et custodum templi (v. Graev.). Sic unus tantum Bong., cuius scripturam probandam esse vidit Vossius; idem tamen sibi voluerunt ceteri Bong. et Gronoviani praeter 5 exhibentes *insularum;* Leid. 3: *insulanorum;* 4 Gronov., Prag., Goth., edd. vett.: *incolarum.*

§ 3. *turba querelarum conf.*] Mss. Bong., coll. C. C., 3 Gronov.: *t. quer. concitata est. At confusus adol.* cett.

§ 5. Livius XXXIX, 47: *Velle etiam* (senatum) *sentire Philippum integra omnia sibi cum populo Romano Demetrii filii beneficio esse.*

§ 6 (7). *comparavit — absolutionis*] desunt in mss. Bong.

§ 7. *Nam et ap.*] Hoc reposuit Graev. ex Iunt. (Prag., Crac.); Bong.: *Nam apud.* Quid in Gronovianis legatur, ignotum. Goth.: *Namque et ap.*

Perseum] Med. 2, edd. vett.: *Persen* vel *Persem;* cf. Gron. p. 946 et ad § 8.

nota] cognita. Deest in Ald. et Dorv. 2.

§ 9. *quod obiicit*] Demetrio, ipse committit.

C. III. § 1. *negligentior*] Mss. Bong.: *neglectimentior;* al. *neclementior;* al. *clementior:* quibus abusi sunt ad emendationes loci; vid. Beneck.

regni, sed regem gerebat. His rebus offensus Philippus impatientius 2
in dies mortem Demetrii dolebat: tunc et insidiis circumventum
suspicari, testes indicesque torquere. Atque ita cognita fraude non 3
minus scelere Persei quam innoxia Demetrii morte cruciabatur; per-
egissetque ultionem, nisi morte praeventus fuisset. Nam brevi post 4
tempore morbo ex aegritudine contracto decessit, relicto magno belli
apparatu adversus Romanos, quo postea Perseus usus est. Nam 5
et Gallos Scordiscos ad belli societatem perpulerat: fecissetque Ro-
manis grave bellum, nisi decessisset. Namque Galli bello adversus 6
Delphos infeliciter gesto, in quo maiorem vim numinis quam hostium
senserant, amisso Brenno duce pars in Asiam, pars in Thraciam
extorres fugerant. Inde per eadem vestigia, qua venerant, anti- 7
quam patriam repetivere. Ex his manus quaedam in confluente 8
Danubii et Savi consedit *Scordiscos*que se appellari voluit. Tecto- 9
sagi autem, cum in antiquam patriam Tolosam venissent compre-
hensique pestifera lue essent, non prius sanitatem reciperavere quam
haruspicum responsis moniti aurum argentumque bellis sacrilegiisque
quaesitum in Tolosensem lacum mergerent: quod omne magno post 10
tempore Caepio, Romanus consul, abstulit. Fuere autem argenti

---

regem gerebat] Sic 12 Gron., 3 Dorv., Crac., edd. quaedam vett.; v. Gronov., Wopk. et Beneck. Vulgo, etiam Bong.: *regem se ger.*

§ 2. *insidiis circumventum*] (scil. Demetrium.) Sic Bong. et edd. vett. sine dubio e codd.; sed post Graevium, Fabrum, alios hodie legitur: *insidiis se circ.* ex Ald. (ita tamen Goth., Prag., Crac.), peius sane altero.

§ 3. *innoxia*] Sic Bong. e suis praeter unum, nec profecto est cur mutemus. Ita etiam Crac., Goth. Cf. Wopkens. Vulgo post Fabrum ex 1 Bong., 6 Gron., Prag.: *innoxii*, quod videas quantopere langueat.

§ 4. *ex aegritudine*] Bongars.: *ex aegr. animi*, ut vett. edd., e quibus ab eo relictum videtur; ita etiam Gronov.; sed omnes eiusdem codd., coll C. C., Franecq., Dorv. 1. 3, Crac., Goth. magno consensu voc. *animi* omittunt. Recte; v. Wopkens. et Beneck. ad 2, § 8.

§ 6. *Namque Galli*] „qui non fuerant in expeditione Delphica. Nam sexaginta illa quinque millia, quae elegerat Brennus ex omni exercitu, una cum Brenno perierunt.“ *Iensius.* V. laudatos ad XXIV extrem.

§ 8. *Savi*] Bongarsii codd.: *Sabi*, quod idem est; v. Scheff. al. Edd. vett.: *Sai* (*Σάοι*). Prag. saepius: *Fasi.*

Scordiscosque] V. plura sedulo collecta ap. Gottl. Wernsdorf. *resp. Gal.* II, § 11, p. 75 sq.

§ 9. Haec alii quoque narrant in nonnullis discrepantes, sed ut eandem esse rem cognoscas; vid. Appian. Illyr. 4, Strab., al. collectos Freinsh. in Suppl. Liv. LXVI, 40—42, Wernsd. II, § 16, p. 87 sqq. § 25, p. 107 sqq.

pestifera lue essent] Mss. aliquot Bong., coll. C. C.: *peste tabuissent*, unus *intabuissent* (sic etiam Crac.). Illud recepit Beneckius, in eo errans, quod omnes Bong. ita legere sibi persuadebat.

§ 10. *magno post tempore*] U. c. 648, quo Q. Servilius Caepio consul erat cum Atilio Serrano. V. Bong. et Bernecc.

pondo centum decem millia, auri pondo quinquies decies centum
11 millia. Quod sacrilegium causa excidii Caepioni exercituique eius postea fuit. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut ultor
12 sacrae pecuniae, insecutus est. Ex gente Tectosagorum non mediocris populus praedae dulcedine Illyricum repetivit spoliatisque
13 Istris in Pannonia consedit. Istrorum gentem fama est originem a Colchis ducere, missis ab Aeëta rege ad Argonautas raptoresque
14 filiae persequendos: qui ut a Ponto intraverunt Istrum, alveo Savi fluminis penitus invecti vestigia Argonautarum insequentes naves suas humeris per iuga montium usque ad litus Hadriatici maris transtulerunt, cognito quod Argonautae idem propter magnitudinem
15 navis priores fecissent: quos ut avectos Colchi non reperiunt, sive metu regis sive taedio longae navigationis iuxta Aquileiam consedere *Istri*que ex vocabulo amnis, quo a mari concesserant, appellati.

---

quinquies decies centum m.] recte dicitur; v. Beneck. Budaeus malebat: *quindecies centena millia.* Edd. vett.: *auri p. CX mill.*, *argenti p. q. d. C mill.* Orosius: *centum mille pondo auri et argenti centum et decem mille.* Sic etiam Prag. Pro *decem* Crac.: *XX.* Vid. Glareanum et Berneccerum.

§ 11. *excidii Caepioni* cett.] insequenti anno, 649, in proelio contra Cimbros; v. locc. ap. Bong. et Bernecc. ad § 9.

ultor] Mss. Bong., 3 Gronov., Franecq., Dorv. 1, Goth.: *ultio*, ut volebat I. Fr. Gronovius. V. Wopk.

insecutus est] Imo tribus quatuorve annis praecesserat iam clades Iunii Silani; triennio post secuta est victoria C. Marii.

§ 12. Hanc expeditionem intellexit Appian. in Illyr. c. 5; cf. Wernsdorf. p. 111. Vide Radloffii *Keltenthum* p. 418.

Istris] Mss. Bong., Goth.: *Histris*,

§ 13. Strabo V. p. 149 Cas. de Pola, Istriae urbe: *κτίσμα ἐστὶν ἀρχαῖον Κόλχων ἐπὶ τὴν Μήδειαν ἐκπεμφθέντων, διαμαρτόντων δὲ τῆς πράξεως καὶ καταγνόντων ἑαυτῶν φυγῆς.*

missis] Retinui hoc ob facilitatem mutationis in *missos*, quod sine v. l. est ap. Bongars. et possit servari, si distinguas: *ducere: missos* cett. Faber emendavit; post in edd. aliquot antiquis repertum est; reperio etiam in Goth., Crac., Prag., et siquidem diligens fuit in notanda v. l. Gronov., exstabat in Gronovianis omnibus.

Aeëta] Bong.: *Aeta;* codd. eius: *Aetha;* al. *Eta* (unde recc.: *Oeta*); edd. vett.: *Aeceta.*

raptoresque] 10 Gronov., Prag., Crac., Goth.: *raptores*, quod nescio an verum est.

§ 14. *Savi*] Bong.: *Sabi;* eiusd. aliquot codd.: *albeo savi.*

propter magnitudinem navis] Recte sic Vossius. Mire mss. Bong.: *propter naves.* Edd. vett.: *propter longitudinem n.*, ut Prag. — De re v. quos laud. Heyn. ad Apollodor. pag. 83 sq., praesertim C. O. Muelleri *Orchom.* p. 295. 297 sq.

§ 15. *quo a mari* (Pontico) *concesserant*] se in angustius spatium contulerant. Mss. Bong., 3 Gronov.: *qua mari;* 4 Gronov.: *quo mari;* unde Magl.: *a quo m.;* 1 Bong.: *quo e mari.* Isidorus Origg. IX. p. 1041 Gothofr.: (Colchi) — *ut a ponto intraverunt Istrum fluvium, a vocabulo amnis, quo a mari recesserant, appellati sunt;* hanc lectionem pro-

Daci quoque suboles Getarum sunt: qui cum Orole rege ad- 16
versus Bastarnas male pugnassent, ad ultionem segnitiae capturi somnum capita loco pedum ponere iussu regis cogebantur; ministeriaque uxoribus, quae ipsis antea fieri solebant, facere. Neque haec ante mutata sunt quam ignominiam bello acceptam virtute delerent.

IV. Igitur Perseus, cum imperio Philippi patris successisset, 1
omnes has gentes adversus Romanos in societatem belli sollicitabat.

Interim inter Prusiam regem, ad quem Hannibal post pacem 2
Antiocho a Romanis datam profugerat, et Eumenem bellum ortum est; quod Prusias Hannibalis fiducia rupto foedere prior intulit.
Namque Hannibal, cum ab Antiocho Romani inter ceteras conditio- 3
nes pacis deditionem eius deposcerent, admonitus a rege, in fugam
versus Cretam defertur. Ibi cum diu quietam vitam egisset invidio- 4
sumque se propter nimias opes videret, amphoras plumbo repletas
in templo Dianae, quasi fortunae suae praesidia, deponit; atque 5
ideo nihil de illo sollicita civitate, quoniam velut pignus opes eius tenebat, ad Prusiam contendit, auro suo in statuis, quas secum
portabat, infuso, ne conspectae opes vitae nocerent. Dein, cum 6
Prusias terrestri bello ab Eumene victus esset et proelium in mare transtulisset, Hannibal novo commento auctor victoriae fuit: quippe omne serpentium genus in fictiles lagenas coniici iussit medioque
proelio in naves hostium mittit. Id primum Ponticis ridiculum vi- 7

---

bavit Cluverius. Vossius correxit: *quo a Narico* s. *Naraco concesserant;* sed per hoc Istri ostium Iason, per *Pulchrum* (*Καλὸν Στόμα*) navigaverant Colchi; ita certe scholl. Apollon. IV, 306. 311. 315. — Vide Berneccerum.

§ 16. *Getarum*] Isidor. l. l. pro sententia aetatis suae: *Gothorum.* — Apud Strabonem Daci partem efficiunt vel nationem gentis Getarum. V. Niebuhrii *Opusc.* I. p. 391 sqq.

Orole rege] Huius nomen alibi non invenitur; nec quae de historia Getarum Dacorumve tenemus, Sullana tempora superant, ad ea autem descendisse h. l. Trogum non est credibile. Quare probari non potest, quod Vossius e Strabone restituit: *Boerebista*, cum in prologo legatur *Rubobostes.* Vid. Schefferum. Ald.: *Orode*, ut Goth., Prag. Ceterae edd.: *Olore;* Vincent.: *Orolo.*

Bastarnas] Nonnulli, in quibus Goth., Prag., Crac.: *Basternas;* v. Gronov. p. 948.

C. IV. § 2. *regem*] Bithyniae.

§ 3. *deposcerent*] Mss. Bong., 6 Gronov., Goth., Crac.: *poscerent*, quod Beneckius recipere non debebat; nam ne plures quidem, nedum meliores libri exhibent.

Cretam] ad Gortynios.

§ 5. *in statuis — infuso*] Sic Bongars. e suis omnibus, al., quod servatum adeo est in edd. vett. et Prag. Bene defendit Beneck. Vulgo ex 8 Gronov., quibus accedunt Crac., Goth., Vincent.: *statuis — inf.*, omissa praepositione.

§ 6. *mittit*] Sic Bong. et praeter 2 Leidd. Gronov. omnes, Goth.,

sum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed ubi serpentibus repleri naves coepere, ancipiti periculo circumventi hosti victoriam
8 cessere. Quae ubi Romam nuntiata sunt, missi a senatu legati sunt, qui utrumque regem in pacem cogerent Hannibalemque deposcerent. Sed Hannibal re cognita sumto veneno legationem morte praevenit.
9 Insignis hic annus trium toto orbe maximorum imperatorum mortibus fuit, Hannibalis et Philopoemenis et Scipionis Africani.
10 Ex quibus constat Hannibalem nec tum, cum Romano tonantem bello Italia contremuit, nec cum reversus Carthaginem summum imperium tenuit, aut cubantem coenasse aut plus quam sextario vini indul-
11 sisse; pudicitiamque eum tantam inter tot captivas habuisse, ut in
12 Africa natum quivis negaret. Moderationis certe eius fuit, ut, cum diversarum gentium exercitus rexerit, neque insidiis suorum militum sit petitus umquam neque fraude proditus, cum utrumque hostes saepe tentassent.

---

quod nisi per argutias loco moveri non potest. Vulgo ex Ald., Leid. 2. 3: *mitti.*

§ 7. *Ponticis*] „imo Pergamenis;" I. Fr. Gronov. ad XVII, 2, § 10.

§ 9. *hic annus*] U. c 569; a. C. 183. Livius XXXIX, 50: *Ab scriptoribus rerum Graecis Latinisque — quibusdam — memoriae mandatum est tres clarissimos imperatores eo anno decessisse, Philopoemenem, Hannibalem, P. Scipionem.* De Hannibale hoc anno mortuo quae veteres dissentiebant v. ap. Corn. Nepot. c. 13, de Scipione ap. Liv. c. 52.

§ 10. *tonantem*] De metaph. v. Wopk. Graevius malebat ex Ald.: *tonante.*

indulsisse] Mss. Bong.: *depulsisse;* uni suprascript.: *scil. sitim.*

§ 11. Cf. Boettich. *hist. Carth.* p. 88.

LIBER XXXIII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXXIII.*)

Tertio et tricesimo volumine continentur haec. Ut cum Perse, Philippi filio, rege Macedonum, Romani bellum gesserint: quo capto deleta est Epiros[1]). *Achaicae* * [2]) civitates ab

* *Aetolicae*

---

[1]) Omisit Iustinus. V. interpp. h. l.

[2]) *Aetolicae* omnes ad unum codd. Iubente tamen historia correxit Bongarsius. „Neque ita mira, inquit *Grauertus*, haec corruptela: supra

unitate corporis deductae inter Achaeos et Lacedaemonios certamine orto. Bellum rursum in Macedonia gestum a Romanis cum Pseudo-Philippo [3]).

---

pro Aetolis scripti *Acholi.*" Longuerrius *Aetolicae* tuetur: sed vel coll. c. 2, § 8 ostendit Achaicarum rerum narrationem a Trogo subiectam fuisse, maxime tamen quod additur: *inter Achaeos et Laced. certamine orto*, a quo sequentem librum orditus est Trogus, potiora e superioribus breviter repetens: qualia ut ab ipso Trogo paucis relata saepe exscripsit Iustinus. Longuerr.: *Inter — certamen ortum.* Ita fere Italus interpres.

3) Sic Periz., Maximin. et Modius. Vett.: *cum seu Phil.* Emendavit Bongars. Omissum Iustino.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Macedonicum bellum. Persei et consulum Romanorum animus.*
2. *Pugna, in qua Macedones fusi fugatique sunt. Perseus et filii capti in fuga. Macedonia in provinciam redacta et Aetoli oppressi.*

I. Minore quidem rerum motu Romani Macedonicum quam 1
Punicum bellum gesserunt; sed tanto clarius, quanto nobilitate Ma-
cedones Poenos antecesserunt: quippe cum gloria Orientis domiti,
tum et auxiliis omnium regum iuvabantur. Itaque Romani et legio- 2
nes plures numero conscripserunt et auxilia a Masinissa, rege Nu-
midarum, ceterisque sociis omnibus acciverunt; et Eumeni, regi
Bithyniae, denuntiatum, ut bellum summis viribus iuvaret. Perseo 3
praeter Macedonicum invictae opinionis exercitum decennis belli
sumtus a patre paratus in thesauris et horreis erat. Quibus rebus
inflatus oblitus fortunae paternae veterem Alexandri gloriam consi-
derare suos iubebat. Prima equitum congressio fuit, qua victor Per- 4
seus suspensam omnium exspectationem in favorem sui traxit: misit 5

C. I. § 1. *omnium regum*] Nimis hyperbolice dictum; v. modo Glareanum ex Liv. XLII, 29; adde eiusdem c. 51.

§ 2. *plures numero*] Non accurate satis h. l. Iustinus locutus est demonstrante Iac. Perizonio, *Animadv. hist.* pag. 79 sq. Harl.; hinc ad emendandum prosiluerunt Graevius et Wopkens, quos vide.

regi Bithyniae] imo Pergami; v. Perizon. ap. Graev., Gronov. ad XVII, 2, § 10.

§ 3. *decennis*] „Ita legendum ex vestigiis antiquae lectionis; ea est *decentis.*" *Bong.*, cuius al. *ducentis*, *decenti*, *decennii*, ut Goth. et vett. edd. De suis Gronovius tacet.

tamen legatos ad consulem, qui pacem peterent, quam patri suo Romani etiam victo dedissent, impensas belli lege victi suscepturus.
6 Sed consul Sulpicius non minus graves quam victo leges dixit. Dum haec aguntur, metu tam periculosi belli Romani Aemilium Paulum consulem creant eique extra ordinem Macedonicum bellum decernunt: qui cum ad exercitum venisset, non magnam moram pugnae
7 fecit. Pridie quam proelium consereretur, luna nocte defecit, triste id ostentum Perseo omnibus praesagientibus finemque Macedonici regni portendi vaticinantibus.

1 II. In ea pugna M. Cato, Catonis oratoris filius, dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat, equo delapsus pedestre
2 proelium adgreditur. Nam cadentem manipulus hostium cum horrido clamore, veluti iacentem obtruncaturus, circumsteterat: at ille
3 citius corpore collecto magnas strages edidit. Cum ad unum opprimendum undique hostes convolarent, dum procerum quemdam petit,
4 gladius ei e manu elapsus in mediam cohortem hostium decidit: ad quem reciperandum umbone se protegens inspectante utroque exercitu inter mucrones se hostium immersit; recollectoque gladio multis vulneribus exceptis ad socios cum clamore hostium revertitur.

---

§ 5. *consulem*] P. Licinium Crassum.

consul Sulpicius] Falso, ut modo vidimus. Recte Perizonius l. l. p. 80 sq. animadvertit Iustinum „animo varietate ac multitudine rerum a Trogo per omnes populos se diffundente relatarum distracto" P. Licinium permutasse cum P. Sulpicio Galba, qui bellum Macedonicum prius inchoavit. Similiter iam Glareanus, q. v. Cf. Bongars., qui aliter statuit in V. L. ap. Bernecc.

§ 6. *tam*] Mss. Bong.: *tamen.*

Aemilium Paulum cons.] post triennium quidem, cum iam A. Hostilius Mancinus, cons. a. 582, et Q. Martius Philippus, cons. a. 583, cum Perse dimicassent.

extra ordinem — decernunt] Disertius hoc narrat Plutarch. cap. 10, assentiente Zonara, ut levius in hoc loco versatus esse Livius (XLIV, 17), non errare Iustinus videatur, ut Wetzelius statuebat.

§ 7. *proelium*] ad Pydnam, U. c. 584, a. C. 168. — Vincent., 2 Dorv., Goth., Crac., edd. vett.: *bellum.*

ostentum — praesagientibus] Mss. Bong., „plerique" Gronov., Vincent.: *portentum — praesagantibus.* Verbi *praesagare*, quod in Gesneri et Forcellini Thesauris frustra quaeras, exemplum invenit Gron. p. 950; adde ex Hieronymo: *praesagatus. Portentum* habent etiam Goth., Crac. — Defectus lunaris accidit die XXII. Iunio.

C. II. § 1. *M. Cato*] Mss. Bong.: *Memmius Cato;* al.: *m̄ Cato.* Frontinus etiam, e Trogo, ut arbitror: *M. Cato, Censorii filius.* (IV, 5, § 17.)

§ 4. *ad socios*] Sic Bongars., Prag., codicesque sine dubio plurimi. Ex Iuntina autem sua Graevius correxit: *ad suos*, ut vulgo legitur; sic etiam Crac., Goth., Dorv. 1. 3. Frontinus: *reversus est ad suos.* Qui attente legit, ei *socios* haud paullo melius esse patebit, melius quoque *hostium* quam *omnium*, quod est in edd. vett. et Prag.; nam *clamor* non solum plaudentium est et acclamantium, ut ait Schefferus, sed etiam in-

Huius audaciam ceteri imitati victoriam peperere. Perseus rex fuga 5
cum decem millibus talentûm Samothraciam defertur: quem Cneus Octavius ad persequendum missus a consule cum duobus filiis, Alexandro et Philippo, cepit; captumque ad consulem duxit.

Macedonia a Carano, qui primus in ea regnavit, usque Persen 6
triginta reges habuit. Quorum sub regno fuit quidem annis noningentis et viginti tribus; sed rerum non nisi centum nonaginta duo-

---

sequentium, ut vel illa ostendunt Virgilii: *clamore premes ad retia cervum*, vel *ursum*, Georg. III, 413. Aen. I, 324; et ap. Cic.: *insequitur clamore et minis.*

§ 5. *decem millibus tal.*] Duo millia ex fama retulit Liv. XLIV, 45. — Mss. Bong.: *tantum*, tanquam de militibus. Periz. (?), Bodl., Goth.: *cum paucis et decem m. tal.*

cum duobus fil.] v. Gronov. p. 951 sq.

§ 6. *usque Persen*] „Scribe ut est in mss. *usque Persen.*" Bong. in V. L. Idem Gronoviani habere videntur. Edd. vett., Prag.: *usque ad Perseum.* Gronov.: *usque Perseum*, ut Goth. De flexione huius nominis v. quae Beneckius.

triginta reges] (Prag.: *XXV.*) Eusebius *triginta novem* Macedonum reges recenset, sive potius *quadraginta*, quia Cassandri filiorum, Philippi et Alexandri, imperia continua male in unum coniunguntur. Idem fortasse Trogus quoque scripserat; non intercedam tamen, si numerum illum, in quo variae lectionis nullum usquam vestigium invenitur, pro genuino habebis. Nam reges duodecim a Carano ad Archelaum, Euripidis fautorem, Trogum eodem, quo Eusebius, modo constituisse suadent omnia; secutus est decimus tertius *Orestes*, Archelai filius, de quo et ipso nulla dubitatio est. Hic vero occisus ab *Aeropo* tutore erat, cui successit *Pausanias* filius, uno regnans anno: quos si omisit Trogus ut ab regia gente alienos, fortasse ne ab universo quidem populo reges agnitos, non mirandum est; omisit certe Dexippus. (De *Archelao* rege XIV ap. Euseb. p. 171 Ang. Maii non liquet, neque refertur in cap. 37, § 1, omissionibus quidem depravato; sed ignorat eum etiam Dexippus. Regem XVIII *Argaeum* immerito in ea serie cerni, apparere e Diodoro videtur.) Secutus est decimus quartus *Amyntas*, de quo VII, 4, § 3, incertum tamen, an alter etiam Amyntas apud Dexippum, post unum regni annum a Macedonibus expulsus, a Trogo agnitus fuerit; quod si vero vel hunc vel *Ptolemaeum Aloritam*, de cuius „ἀλλοτρίου" regno (v. supra p. 88) vestigia a Iustino servata non sunt, Trogus omiserat, numerus noster constabit. Decimus quintus vel sextus *Alexander*, maximus filiorum Amyntae (hic apud Euseb. et Dexippum ponitur Ptolemaeus Alorites); decimus septimus *Perdiccas*, inde *Philippus*, *Alexander M.*, *Aridaeus*, *Cassander*, duo eiusdem filii, *Demetrius Poliorcetes*. Hi sunt viginti quatuor; porro omittuntur Pyrrhus et Lysimachus, ut aliarum terrarum reges, et Meleager, Antipater, Sosthenes, quorum priores regum nomine indigni videri debebant (v. modo Dexipp. et Porphyr. ap. Euseb. c. 38, § 6. 7), hic oblatum sibi regnum repudiabat (XXIV, 5). Iam igitur restant *Ptolemaeus Cer.*, uterque *Antigonus*, *Demetrius*, *Philippus*, *Perseus*. Ita habes iustos *triginta* reges; at quid sibi velit Livianum (XLV, 9): *vicesimum ab Carano, qui primus regnavit, Persea numerabant*, haud facile elicias.

noningentis et viginti tribus] qui numerus quomodo efficiatur non invenio; annorum ab aliis relatorum numerus maximus ne *sexcentos* quidem

7 bus annis potita. Ita cum in ditionem Romanorum cessisset, magistratibus per singulas civitates constitutis libera facta est; leges-
8 que, quibus adhuc utitur, a Paulo accepit. Aetolorum universarum urbium senatus cum coniugibus et liberis, qui dubia fide fuerant, Romam missus, ibique, ne in patria aliquid novaret, diu detentus, aegreque per multos annos legationibus civitatium senatu fatigato in patriam quisque suam remissus est.

---

et *quinquaginta* excedit. Lectionis varietas haec est: mss. Bong., Reg., Leidd. 1. 4: *nongentis triginta quatuor;* 1 Bong., Bodl., Leid. 5, Med. 1, Thuan., coll. N.: *DCCCCXXIIII;* Prag.: *octingentis et viginti quatuor;* Magl., Periz., Goth.: *noningentis et quatuordecim;* Med. 2: *DCCCCIIII.*

centum nonaginta duobus annis] i. e. ab initio imperii Philippi, qui Macedonum regum primus aliena aggressus est, a. 360 a. C. ad captum Perseum, 168. — Mss. Bong., 10 Gronov., Goth., Crac.: *centum quinquaginta duobus;* ut ab Alexandri morte computatio fiat; 1 Bong., Prag.: *CL*, ut Livius: *ab summo culmine fortunae ad ultimum finem* (regnum Macedonum) *centum quinquaginta annos stetit.*

§ 7. *Ita*] Mss. Bong., coll. C. C.: *Itaque.* Refertur *ita* ad finem § 5.

constitutis] ex ipsis Macedonibus.

legesque sqq.] Liv. XLV, 32: *Leges Macedoniae* (Paulus) *dedit cum tanta cura, ut non hostibus victis, sed sociis bene meritis dare videretur; et quas ne usus quidem longo tempore* (*qui unus est legum corrector*) *experiendo argueret.*

§ 8. *Aetolorum*] Ex his nobiliores illo tempore ad cognitionem Romam esse missos, vere narrat; v. Christ. Lucas lib. l. pag. 135 sq.; sed diu (per septendecim puta annos) eosdem ibi detentos fuisse, hoc Achaeis tantum evocatis satis convenit.

diu detentus] Bongarsii codd. omnes, Bodl. et alii sine dubio Gronovii, Crac., Goth.: *diu tentus* (Prag.: *retentus*); cuius priorem Ammiano non novi auctorem; nam Ulpianus in deterius passim mutatus.

LIBER XXXIV.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXXIV.*)

Quarto et tricesimo volumine continentur haec. Bellum Achaicum, quod Romani per Metellum [1]) et Mummium gessere: quo diruta est Corinthus [2]). Bellum regis Eumenis cum Gal-

---

[1]) Sic Periz., Crac.; Reg.: *Metillum.* Bongars. ediderat *Macellum*, coniecit *Marcellum.* Verius vidit Freinshem. Huius mentio ab Iustino omissa.

[2]) 6 Gronov.: *Corinthos.*

lograecis et in Pisidia cum Selgensibus [3]). Res quas gessit Syriae rex Antiochus et rex Aegypti Ptolemaeus Epiphanes [4]). Ut mortuo Ptolemaeo relicti ab eo filii duo, Philometor [5]) et Euergetes, primum cum Antiocho habuere bellum, quod per Romanos finitum est, deinde inter se, quo maior est expulsus; restitutoque Romani inter fratres regna diviserunt [6]). Ut mortuo rege Syriae Antiocho [7]) Demetrius cognomine Soter, qui Romae fuerat obses, clam fugit occupataque Syria bellum cum Timarcho, Medorum rege, habuit [et] [8]) Ariarathe, rege Cappadocum: repetitae inde origines regum Cappadocum. Ut habita inter Ariarathen et Orophernen [9]) regni certamina. Ut mortuo rege Asiae Eumene suffectus Attalus bellum cum Selgensibus [10]) habuit et cum rege Prusia.

---

[3]) Vett.: *et in Pisidias cum Selegensibus.* Emendavit Bong. *Pisidia* etiam Periz. Singula bellorum Eumenis et Attali cum Selgensibus ignota sunt; idem tamen, quod h. l. memoratur, in causa videtur fuisse, cur Selgenses Eumenem apud senatum Rom. accusabant; Polyb. XXXI, 9, § 3, ubi Schweighaeus. nostro loco uti debebat. Strabo XII. p. 393 Cas.: *οὐδ' ἅπαξ οἱ Σελγεῖς ὑπ' ἄλλοις ἐγένοντο, ἀλλὰ τὴν μὲν ἄλλην χώραν ἀδεῶς ἐκαρποῦντο, ὑπὲρ δὲ τῆς κάτω τῆς τε ἐν τῇ Παμφυλίᾳ καὶ τῆς ἐντὸς τοῦ Ταύρου διεμάχοντο πρὸς τοὺς βασιλέας ἀεί· πρὸς δὲ τοὺς Ῥωμαίους ἐπὶ τακτοῖς τισι κατεῖχον τὴν χώραν.* — Has res Eumenis et Antiochi gesta (ante bellum Aegyptiacum, plane ea quidem ignota) Epiphanisque Ptolemaei Iustinus neglexit.

[4]) Hic codd., quantum novimus, omnes, etiam Crac.: *Ptolemaeus. Repetitae inde origines regum Cappadocum. Epiphanes ut m.* Bongars. vocem *Epiphanes* retraxit ad v. *Ptol.* Verum recte Grauertus: „Aegyptiis nihil cum Cappadocibus. Potius ad Ariarathen referuntur. Itaque in pristinam ea sedem reduxi [ubi leguntur in omnibus codd. Gronov.]. Nimirum omissa a librario duplici verbo *Cappadocum* decepto in margine sunt adscripta atque inserta deinde alieno loco: quo facto seriem totam perturbarunt." — Longuerr.: *Ut mortuo Epiphane Ptol.*, quod edidit Gronovius.

[5]) Vett.: *Filom.*

[6]) Bellum fraternum et divisionem regni omisit Iustinus.

[7]) Mss. Gronov.: *m. Ant. r. S.* (Epiphane.)

[8]) Copula in nullo cod. est; inseruit Bong. — Etiam haec bella Iustinus ab epitome abesse voluit cum originibus Cappadociae. — Vid. not. 4.

[9]) Vett.: *i. Ariaten et Orphernem.* Emendavit Bong. — Perizon., Crac.: *Ariaratem.* Locos v. ap. Grauert.

[10]) Codd. omnes constanter: *Selegensibus.* Haec quoque desideras in Iustino. Bellum cum Prusia est ap. Polyb. XXXII sq. al.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Romani adversus Achaeos causas belli quaerunt et inveniunt. Cruenta Achaeorum seditio.*
2. *Bellum, quo Achaei oppressi sunt: Corinthus diruta. Ptolemaeus ab Antiocho pulsus Aegypto petit a Romanis auxilium atque impetrat.*
3. *Popilii ad Antiochum in gratiam Ptolemaei vere libera legatio. Antiocho mortuo Demetrius frater Roma profugus regno Syriae potitur.*
4. *Prusias, rex Bithyniae, regno et vita a filio spoliatur.*

---

1 I. Poenis ac Macedonibus subactis Aetolorumque viribus principum captivitate debilitatis soli adhuc ex Graecia universa Achaei nimis potentes tunc temporis Romanis videbantur, non propter singularum civitatium nimias opes, sed propter conspirationem univer-
2 sarum. Namque Achaei, licet per civitates, veluti per membra, divisi sint, unum tamen corpus et unum imperium habent; singula-
3 rumque urbium pericula mutuis viribus propulsant. Quaerentibus igitur Romanis causas belli tempestive fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achaei propter mutuum odium populabantur.
4 Spartanis a senatu responsum est *legatos se ad inspiciendas res socio-*
5 *rum et ad iniuriam demendam in Graeciam missuros:* sed legatis occulta mandata data sunt: *ut corpus Achaeorum dissolverent singulasque urbes proprii iuris facerent, quo facilius et ad obsequia cogeren-*
6 *tur et, si quae urbes contumaces essent, frangerentur.* Igitur legati

---

C. I. § 5. *singulasque urbes*] Aliquot certe, quae nullam cum Achaeis cognationem haberent; v. Pausan. Ach. 14, § 1.

facilius et ad obs.] Sic omnes codd. Gronov., Goth., ed. Rom.; in ceteris vocab. *et* vel praetervisum est vel consulto omissum, ut in enunciatione adversativa; quantopere autem ad absolvendam sententiam desideretur, facile cernas.

frangerentur] Hoc etiam Bong., ut in pluribus vel melioribus suis lectum; et satis defenditur locis a Wopkensio adductis. Idem tamen: „Mihi vero cum Bongarsio [? ubi tandem?] placet, quod in suis mss. [aliquot] invenit Bongarsius inque Franecq. exstat, *traiicerentur*"; ut de Philippo Amyntae: *populos et urbes ad libidinem suam transfert*, supr. VIII, 5, 7, ubi vid. Wopk.; sic etiam Bernecc h. l. Nimirum e Bong. aliquot, Leid. 1 et Thuan. enotatur: TRAHICERENTVR i. e., nisi egregie fallor: FRANCER. pro *franger.* Inde Leid. 4, coll. N.: *traicerentur.* Hoc ipsum tamen pro principe ac vera lectione habetur a Beneckio novo modo explicante: *durchbrechen, über den Haufen werfen,* e loco Livii, XLII, 7, § 7: *Pars magna equitum mediam traiecit aciem:* quod de urbibus dici prorsus non poterat.

omnium civitatium principibus Corinthum evocatis decretum senatus recitant; quid consilii habeant, aperiunt: *expedire omnibus* dicunt, 7
ut singulae civitates sua iura et suas leges habeant. Quod ubi omni- 8
bus innotuit, velut in furorem versi universum peregrinum populum trucidant: legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi audito 9
tumultu trepidi fugissent.

II. Haec ubi Romae nuntiata sunt, statim senatus Mummio 1
consuli bellum Achaicum decernit: qui extemplo exercitu deportato et omnibus strenue provisis pugnandi copiam hostibus fecit. Sed 2
Achaei, velut nihil negotii Romano bello suscepissent, ita apud eos neglecta omnia et soluta fuere. Itaque praedam, non proelium co- 3
gitantes et vehicula ad spolia hostium reportanda duxerunt et coniuges liberosque suos ad spectaculum certaminis in montibus posuerunt.
Sed proelio commisso ante oculos suorum caesi lugubre his specta- 4
culum et gravem luctus memoriam reliquerunt. Coniuges quoque 5
liberique eorum de spectatoribus captivi facti praeda hostium fuere.
Urbs ipsa Corinthus diruitur; populus omnis sub corona venditur: 6
ut hoc exemplo ceteris civitatibus metus novarum rerum imponeretur.

Dum haec aguntur, rex Syriae Antiochus Ptolemaeo, maioris 7

---

§ 8. *peregrinum populum*] Spartanos, qui aderant.

C. II. § 1. *Romae*] Mss. Bong., 7 Gronov. (ad XXXII, 4, § 8), Franecq., Dorv. 1: *Romam*, de quo multa exempla ap. Wopkens., qui tamen et ipse alterum non mutandum censet. — Goth.: *Haec cum R.*

Mummio] L. Mummio, qui post *Achaicus* vocabatur, U. c. 608; a. C. 146. — Mss. Bongars.: *statim Mummio* (1 Bong.: *Numm.*, ut Goth. XXXVIII, 8, § 8) *c. b. A. decernitur.*

§ 3. Praeteriit proelium prius in Phocide consertum, in quo Critolaus occidit. Hoc Diaeus in Isthmo paravit.

duxerunt] 5 recentt. Gronov., Dorv. 1. 3, Franecq., Crac., Goth.: *adduxerunt;* sed cf. Wopk.

§ 6. *ut hoc exemplo*] Mss. Bong.: *ut ex hoc e.*, al.: *ut et h. e.*, quod idem esse Schefferus putavit, ita reponendum censens; satis probabiliter.

§ 7. Haec non diserte satis ac plene narrari iam Glareanus querebatur. Antiochus sane Epiphanes ille est, Magni filius, Romae educatus; is Ptolemaeum Philometorem, sororis eius Cleopatrae, quam Ptolemaeus Epiphanes in matrimonio habuerat, filium bello aggressus est: cuius narrationem e tenuibus scriptorum indiciis optime concinnavit H. Valesius ad Diod. Exc. p. 309 sq. sive p. 578 sqq. Wessel. T. II. In eo bello cum ab Alexandrinis in locum eiecti Philometoris frater iunior, Euergetes alter vel Physcon, rex appellaretur, Antiochus tanquam Philometori, quocum pacem composuerat, regnum restituturus Alexandriam obsedit; *bellum* igitur *infert segni admodum* cett. i. e. Physconi Ptolemaeo, qui manifesto a Iustino vel Trogo intelligebatur; v. Diodor. Exc. p. 597 sq. Wessel., praesertim Posidonium ap. Athen. XII. p. 549 E. Sed Physcon, qui tum petebatur, non est *regno pulsus*, ut ait Iustinus seq. §, imo repulit impetum Antiochi: quo facto Philometoris ad eum confugientis precibus motus cum fratre Alexandriae tandem recepto foedus iniit, ut simul regna-

sororis suae filio, regi Aegypti, bellum infert, segni admodum et quotidiana luxuria ita marcenti, ut non solum regiae maiestatis officia intermitteret, verum etiam sensu hominis nimia sagina careret.
8 Pulsus igitur regno ad fratrem minorem Ptolemaeum Alexandriam confugit: participatoque cum eo regno legatos Romam ad senatum mittunt; auxilia petunt; fidem societatis implorant. Movere senatum preces fratrum.

1 III. Mittitur itaque legatus Popilius ad Antiochum, qui *absti-*
2 *nere illum Aegypto aut, si iam incessisset, excedere* iuberet. Cum in Aegypto eum invenisset osculumque ei rex obtulisset (nam coluerat inter ceteros Popilium Antiochus, cum Romae obses esset): tunc Popilius *facessere interim privatam amicitiam* iubet, *cum mandata*
3 *patriae intercedant;* prolatoque senatus decreto et tradito, cum cunctari eum videret consultationemque ad amicos referre, ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, ut et amicos caperet, *consulere* iubet, *nec prius inde exire quam responsum se-*
4 *natui daret, aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum.* Adeoque haec austeritas animum regis fregit, *ut pariturum se senatui* re-

---

rent (Liv. XLV, 11). Inde Antiochus bellum contra ambos magnis viribus instauravit, conterritus denique ab legato Romano. Apparet igitur quae Iustinus hic, fortasse iam Trogus (cf. prol.) turbaverit. Bellum prius, quod cum Philometore gestum est, confunditur cum infelici oppugnatione Alexandriae, post quam fratres in concordiam redierunt.

Ptolemaeo] voluit Philometori; sed per errorem transtulit in eum, quod Physconi, minori fratri, unice convenit.

maioris sororis suae fil.] Cleopatrae, Antiochi Magni filiae; quae, quantum ex Appian. Syr. c. 5 potest intelligi, sane maior natu erat. Sed Med. 1, Magl., Leid. 4, Periz., Goth., edd. vett., Vincent. dant: *maiori sor. s. f.*: quod recepit Beneckius. Perpende locum et nihil omnino fuisse intelliges, cur voc. *maiori* ceteris ordine praeponeretur; at *maioris sororis* recte dicebatur. Neque quicquam valent quae Gronovius adduxit p. 953.

§ 8. *Ptolemaeum*] Physconem. — 1 Bongars.: *Alexandream*, ut in Livio.

auxilia] Mss. Bong. et coll. C. C.: *auxilium.*

C. III. § 1. *Popilius*] Sic etiam Bong. Alii scriptores aliter; v. intt. h. l. Vett. edd.: *P. Pop.* Paullo post Leid. 5 et 1 Bong.: *Lucium Popilium.* Crac., Goth., ed. Bech.: *Pompilius.*

§ 3. *iubet*] Mss. Bong., Crac., Goth.: *eos iubet;* 1 Bong.: *eum i.* Circulus ille varie intellectus est; v. laudd. ab A. Maio ad Exc. Vatt. Diod. XXXI, 2.

§ 4. *austeritas*] Sic codd. Bong. praeter unum, Dorv. 1, Franecq.: et recte vindicavit Beneckius. Gronovius vero hanc lectionem ex uno coll. N. produxit: qua in re si non erravit, manifesto apparet hunc codicem non ex ingenio ubique, sed e vetustis hic illic correctum esse, quod ad praefationem Iustini significavimus. Vulgo post Graevium ex edd. vett.: *asperitas*, quod in recentibus libris est, Dorv. 2. 3, Crac., Goth., Prag.

sponderet. Reversus in regnum Antiochus decedit relicto parvulo 5
admodum filio: cui cum tutores dati a populo essent, patruus eius 6
Demetrius, qui obses Romae erat, cognita morte Antiochi fratris se-
natum adiit: *obsidem se vivo fratre venisse, quo mortuo cuius obses
sit, se ignorare. Dimitti igitur se ad regnum petendum aequum esse,* 7
*quod, sicuti iure gentium maiori fratri cesserit, ita nunc sibi, qui
pupillum aetate antecedat, deberi.* Cum se non dimitti animadverte- 8
ret a senatu, tacito iudicio tutius apud pupillum quam apud eum
regnum futurum arbitrante: specie venandi ab urbe profectus Ho-
stiae tacitus cum fugae comitibus navem conscendit. Delatus in Sy- 9
riam secundo favore omnium excipitur; regnumque ei occiso pupillo
a tutoribus traditur.

IV. Eodem fere tempore Prusias, rex Bithyniae, consilium ce- 1
pit interficiendi Nicomedis filii, dum consulere studet minoribus
filiis, quos ex noverca eius susceperat et Romae habebat. Sed res 2

---

§ 5. *decedit*] cf. ad XXXII, 2, § 1.

filio] Antiocho Eupatore, novenni. Addunt etiam mss. Bong., Cantabr., coll. N., Leid. 4: *nomine Eupatore.*

patruus eius] imo patruelis, Seleuci Philopatoris, fratris maioris Antiochi Epiphanis, qui et ipse regnaverat, filius. Inde provenit alterum vitium: *Antiochi fratris*, pro patrui. V. Bongars. et quos laud. Gronov. p. 954.

obsidem se] Sic mss. nescio quot Bong., coll. C. C., 7 alii apud Gron., Goth., Prag.: quod defendunt Gronov. p. 955 et Beneckius. Edd. vett. et Bong. ut e melioribus suis: *obsidem***que** *se*, ad quod tuendum exempla nunc ad manus non sunt, sed aliquando opinor vindicabitur. Schefferus plaudente Wopkensio: *obsidem*, *inquit*, *se.*

fratre] patruo. Post omitt. Goth. *se.*

§ 7. *petendum*] 1 Bong.: *repet.*

quod] Bong. unus vel alter: *qui;* plures vero eiusdem et Goth. omittunt voc. *sicuti.*

§ 8. *Hostiae*] Mss. Bong. et Goth.: *hostis;* i. e. ut al. eiusd., Periz., Bodl., Franecq.: *Hostiis;* Med. 1: *Ostiis*, 3 al.: *Ostis. Ostia* autem plurali etiam numero dici docuit I. Fr. Gronov. ad Liv. IX, 19.

§ 9. *a tutoribus*] Dubium profecto Iustinine hic an librariorum vitium nobis offeratur. Lysias tutor simul cum pupillo interfectus est; vid. Graevium: qui proinde emendavit: *occiso pupillo* **et** *tut.;* Schefferus autem: *pupillo* **ac** *tutoribus:* quod ob structuram numerorum rariorem a librariis leviter immutatum videri potest; et aegre manum inhibeo, quo minus restituam.

C. IV. § 1. *Prusias*] idem, qui Hannibalem exceperat, XXXII, 4.

noverca] Diegyllis, Thraciae regis, filia.

et Romae habebat] Hoc de Nicomede ceteri narrant; v. Gronovium p. 957 sq. De minoribus filiis res ignota. Insidias quoque Romae struxerat Nicomedi. Quare Gronovius probabat scripturam ed. Rom.: —*filii, quem a se ablegatum (dum consulere — susceperat) Romae habebat.* Ita planissime cod. Crac.; sed Med. 2 et Prag.: *quem a se ablegatum studens minoribus — susceperat, Romae hab.* In Bongarsianis verba: *et Romae — facinus susceperant* omittuntur, ob repetitionem eiusdem verbi.

adolescenti ab his, qui facinus susceperant, proditur; hortatique sunt, *ut crudelitate patris provocatus occupet insidias et in auctorem*
3 *retorqueat scelus.* Nec difficilis persuasio fuit. Igitur cum accitus
4 in patris regnum venisset, statim rex appellatur. Prusias regno spo-
5 liatus a filio privatusque redditus etiam a servis deseritur. Cum in latebris ageret, non minori scelere quam filium occidi iusserat, a filio interficitur.

---

§ 5. *interficitur*] a. C. 150. Aliorum narrationes coniunxit Ioannes Valens (*I. Foy Vaillant*) *Arsacidarum imper.* Vol. I. p. 335 sqq.

LIBER XXXV.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXXV.*)

Quinto et tricesimo volumine continentur haec. Bellum Piraticum[1]) inter Cretas et Rhodios: seditio Cnidiorum adversum Ceramenses[2]). Ut[3]) adversus Demetrium Sotera subornatus est Alexander tanquam genitus Epiphane Antiocho: quo bello victus Demetrius [interiit. Ut deinde maior filiorum eius Demetrius][4]) invisum stultitia Alexandrum[5]) bello vicit

---

[1]) Codd. mss. omnes: *Ripaticum.* Emendavit Bong. (Crac.: *repetitum.*) V. Longuerr. Omisit Iustinus.

[2]) Sic Longuerrius. Res ignota. Ceramus urbs Cnido propinqua. Vett.: *Chidiorum adv. Cerinenses.* Post Modium: *Cnidiorum.* Cod. Maximin.: *Egniorum adv. Ceranenses;* Periz.: *Ogniorum adv. Ceramenses;* Crac.: *Achidiorum a. Ceremenses*; 3 Leidd.: *Cermenses:* quae confirmant Longuerrii coniecturam. Pro *Chid.* Leid. 3: *Chodiorum.* Vat. 2: *sed. Eginorum adv. Catanenses*, quod refutat Longuerr. Wesselingius emendat: *Cnossiorum adv. Cretenses*, ex illis Diodori (p. 594), quae in hoc tempus incidunt: *οἱ Κνώσσιοι τῶν πρωτείων* (in insula) *ἀντείχοντο.*

[3]) Sic ed. Oxon. Codd.: *Et.* Recepit iam Grauert.

[4]) Codd. omnes: *quo bello victus Demetrius invisum st. A. b. vicit.* „At vero, inquit Grauertus, Demetrium Sotera Alexander *vita pariter ac regno spoliat;* per maiorem Soteris filium tandem Demetrium Alexander *primo proelio victus interficitur:* Iust. XXXV, 1. 2. Igitur apparet hic quoque versum fere unum intercidisse et quidem per duplex nomen Demetrii. Quare verum restitui.“ — Similiter ante Longuerrius et Gronovius pag. 1011.

[5]) Ita Modius. Vett.: *Alexandrom.* Grauert.: *Alexandron.* Auxilium Philometoris tacuit Iustinus. — Vett.: *Filom.* Ceterum hic epitomator finem imposuit libro.

adiuvante Ptolemaeo Philometore, qui eo bello interiit. Ut deinde orta Demetrio bella sint cum Diodoto [6]) Tryphone, expulsusque a Tryphone regno Syriae Demetrius. Repetit inde superioris Asiae motus factos per Areteum [7]) et Arsacem Parthum [8]).

---

[6]) Vett.: *Diotoro.* Emendavit Bong. Loci apud Freinshemium et Grauertum.

[7]) Sic codd. Res incognita. *Arsaces* non dubito quin intelligatur sextus vel Mithridates I, qui Mediam, Persidem, Babyloniam, alias terras late occupavit: in quibus bellis hoc latere videtur. Freinshem.: *Aretam* ex Ioseph. XIII, 15 (non 21): qui insequentium temporum est. Longuerr.: *Ariarathem:* et hoc prorsus confirmat Crac.; Periz.: *Aratheum;* Modius: *Aretheum.*

[8]) Sic Periz. Vett.: *Asacem Phartum* vel *Fartum.* Emend. Bong.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Demetrius Soter Ariarathi infestus fratrem eius in regnum Cappadociae restituere statuit. Antiochenses a Demetrio deficiunt et Alexandrum Balam regem appellant.*
2. *Demetrii filius, Demetrius Nicator, auxiliantibus Cretensibus Alexandrum proelio superat et interficit.*

I. Demetrius occupato Syriae regno novitati suae otium peri- 1
culosum ratus ampliare fines regni et opes augere finitimorum bellis
statuit. Itaque Ariarathi, regi Cappadociae, propter fastiditas so- 2
roris nuptias infestus fratrem eius Orofernem per iniuriam regno
pulsum supplicem recepit; datumque sibi honestum belli titulum gratulatus restituere eum in regnum statuit. Sed Orofernes ingrato 3
animo inita cum Antiochensibus pactione, offensis tunc Demetrio,
pellere ipsum regno, a quo restituebatur, consilium cepit. Quo 4

C. I. § 1. *novitati*] Mss. Bong., coll. C. C., Bodl., Goth., Prag.: *novitatis.*

fines regni] Mss. omnes Bong., 6 Gronov., Goth.: *vires regni;* nonnulli ex Bong.: *ampliores v. r.* Sed aperte verum est quod editur.

§ 2. *infestus*] 1 Bong., 3 Gronov. (ad I, 5, § 6): *infensus.*

Orofernem] Sic veteres Bongarsii: quod reduximus. Gronov.: *Orophernen.* Nonnulli quidem Ὀλοφέρνης, sed in scripturam Ὀροφ. quam multi consentiant, v. ap. Schweighaeuser. ad Polyb. III, 5, p. 503.

§ 3. 4. Haec alibi me non memini legere. Quaedam de temporibus harum rerum Baylius in *dictionaire crit. et hist.* v. Cappadocia, not. I.

cognito Demetrius vitae quidem eius, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur, pepercit: ipsum autem comprehensum vinctum Se-
5 leuciae custodiri iubet. Nec Antiochenses indicio territi a defectione
6 destiterunt. Itaque adiuvantibus et Ptolemaeo, rege Aegypti, et Attalo, rege Asiae, et Ariarathe Cappadociae, bello a Demetrio lacessiti subornant *pro eo Balam** quemdam, sortis extremae iuve-
7 nem, qui Syriae regnum velut paternum armis repeteret: et ne quid contumeliae deesset, nomen ei *Alexandri* inditur genitusque ab An-
8 tiocho rege dicitur. Tantum odium Demetrii apud omnes erat, ut aemulo eius non vires regiae tantum, verum etiam generis nobilitas
9 consensu omnium tribueretur. Igitur Alexander, admirabili rerum varietate pristinarum sordium oblitus, totius ferme Orientis viribus succinctus bellum Demetrio infert; victumque vita pariter ac regno
10 spoliat. Quamquam nec Demetrio animus in propulsando bello defuit. Nam et primo proelio hostem fugavit et regibus bellum resti-
11 tuentibus multa millia in acie cecidit. Ad postremum tamen invicto animo inter confertissimos fortissime dimicans cecidit.

1 II. Initio belli Demetrius duos filios apud Gnidium hospitem suum cum magno auri pondere commendaverat, ut belli periculis
2 eximerentur et, si ita fors tulisset, paternae ultioni servarentur. Ex his maior, Demetrius, annos pubertatis egressus audita Alexandri luxuria, quem insperatae opes et alienae felicitatis ornamenta, velut captum, inter scortorum greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus securum ac nihil hostile metuentem adgreditur.
3 Antiochenses quoque veterem patris offensam novis meritis correcturi se ei tradunt: sed et milites paterni favore iuvenis accensi prioris sacramenti religionem novi regis superbiae praeferentes signa ad

* *propalam*

---

§ 6. *Ptolemaeo*] Philometore, qui filiam quoque Balae in matrimonium dedit.

lacessiti] Magl., Periz., 3 Dorv., vett. edd.: *lacessitis.*

subornant propalam codd. exhibent paene omnes; 1 Bongars.: *propalant;* nescio qui etiam *propolam* (cf. notam Bernecceri); edd. vett.: *Prompalum.* Primus I. Fr. Gronovius viderat, quid rei esset et emendavit: *subornant Balam q.*, ut inde constanter editum est. V. Graevium. „Leviore tamen mutatione, inquit *Wopkensius*, rescribebat Nic. Heinsius ad Vellei. II, 64: *subornant pro eo Balam q.*" Quod nos recepimus: quia in omnibus libris habetur syllaba *pro.* Eadem dictione utitur Frontinus ap. Wopkens.: *quendam pro transfuga subornatum miserunt.*

§ 7. *Antiocho*] Epiphane.

C. II. § 1. *filios*] Demetrium Nicanorem et Antiochum, Sidetam.

Gnidium] I. Fr. Gronov.: *Cnid.;* cf. Gron.

commendaverat] servandum mandaverat, crediderat; v. Bong., Graev., Beneck.

fors] Bodl., Goth.: *sors.*

Demetrium transferunt: atque ita Alexander, non minori impetu for- 4 tunae destructus quam elatus, primo proelio victus interficitur; deditque poenas et Demetrio, quem occiderat, et Antiocho, cuius mentitus originem fuerat.

---

§ 4. Mss. Bong.: *deditque ei poen. et de Demetr.* Proelium prope Antiochiam factum est.

LIBER XXXVI.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS XXXVI.*)

Sexto et tricesimo volumine continentur haec. Ut Trypho pulso Syria Demetrio captoque a Parthis bellum gessit cum fratre eius Antiocho cognomine Sidete. Ut Antiochus [1] interfecto Hyrcano Iudaeos subegit. Repetita inde in excessu origo Iudaeorum. Ut rex Asiae Attalus Caenos Thracas [2] subegit successoremque imperii Attalum Philometora reliquit. Mortuo denique Philometore [Aristonicus] [3] regno Asiae occupato bellum cum Romanis [4] gessit: quo captus [5] est.

---

1) Ita praeclare haec emendavit Bongarsius. Vett.: *Ut Cypro pulsus S. D. captaque a P. b. g. c. f. e. A. cognomine*, *sed ut Ant.* cett. Ex his multa sine dubio confirmant Modii libri; Periz. certe: *Tripho* et *captoque;* e Crac. denique nihil plane enotatur, ut ita prorsus videatur exhibere, nisi quod *Sedete*, ut Mod.

2) Vett.: *Cenostracas.* Emendavit Longuerr., q. v., ante eum Henr. Valesius, cuius notam simul cum Wessel. vide in ei. ed. Diod. pag. 595 V. II. Vossius: *Thynos Thracas.* Perizonius: „Forte *Oenos Thracas* vel *vicinos Thracas.* Hoc gestum Attali non est in epitome.

3) De coniectura Bongars. hoc nomen inseritur. In nullo cod. extat, nisi forte in Crac.

4) *consulibus* addit Maxim.

5) Sic Maximin., Periz., Crac. Vett.: *qua pactus. Quo* etiam 3 Leidd.; Leid. 2: *victus.*

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Demetrius Nicator bellum Parthis infert et infeliciter persequitur. Trypho regnum Syriae invadit: sed tandem ab Antiocho, Demetrii fratre, opprimitur; qui etiam Iudaeos subigit.*

2. *Iudaeorum origo, incrementa et res gestae.*
3. *Iudaeorum opes. Mare Mortuum. A quibus domiti sint Iudaei.*
4. *Attali, Asiae regis, scelera, mors, testamentum. Asia Romanorum fit propria; divitias autem et vitia sua Romam transmittit.*

---

1 I. Reciperato paterno regno Demetrius, et ipse rerum successu corruptus, vitiis adolescentiae in segnitiam labitur; tantumque contemtum apud omnes inertiae, quantum odium ex superbia pater
2 habuerat, contraxit. Itaque cum ab imperio eius passim civitates deficerent, ad abolendam segnitiae maculam bellum Parthis inferre
3 statuit: cuius adventum non inviti Orientis populi videre et propter Arsacidae, regis Parthorum, crudelitatem et quod veteri Macedo-
4 num imperio adsueti novi populi superbiam indigne ferebant. Itaque cum et Persarum et Elymaeorum Bactrianorumque auxiliis iuvaretur,
5 multis proeliis Parthos fudit. Ad postremum tamen pacis simulatione deceptus capitur; traductusque per ora civitatium populis, qui de-
6 sciverant, in ludibrium favoris ostenditur. Missus deinde in Hyr-
7 caniam benigne et iuxta cultum pristinae fortunae habetur. Dum haec aguntur, interim in Syria Trypho, qui se tutorem Antiocho, Demetrii privigno, substitui a populo laboraverat, occiso pupillo
8 regnum Syriae invadit. Quo diu potitus tandem exolescente favore

---

C. I. § 1. *Demetrius*] Nicator.

in segnitiam labitur cett.] Hoc cum ceteris non satis convenit; sed ita sine dubio ceperunt nonnulli quod ob avaritiam fecisse videtur, dimissionem exercituum mercenariorum; Ioseph. antiq. XIII, 4.

contraxit] Abest a Goth.

§ 2. *passim civitates*] primum Antiochia, deinde multae urbes Coelesyriae. — Goth.: *defecerant.*

§ 3. *Arsacidae*] Arsacidas an, ut vulgo, Arsaces dicas reges Parthorum perinde est: nam omnes e gente Arsacis. Confirmatur lectio etiam Servii locis ap. interpp. ad XLI, 5, § 6. Adde Agath. *hist.* II, 25: ὡς καὶ Ἀρσακίδας τοὺς μετ' αὐτὸν (Ἀρσάκην) ὀνομάζεσθαι. Quae Bong. hic congessit, singula examinanda sunt. Intelligitur Arsaces *sextus*, qui et Mithridates primus.

§ 4. *Elymaeorum*] Bong.: *Elim.* Eius mss. aliquot, Goth., Crac.: *Elimiorum.*

§ 6. *in Hyrcaniam*] Cf. XXXVIII, 9, § 3 et saepius: unde explicandum Eusebii: εἰς τὴν Παρθικήν.

habetur] per 10 annos, 141 — 130 a. C. Cf. XXXIX, 1.

§ 7. *Trypho*] prius *Diodotus* dictus.

Demetrii privigno] Pro his 1 Bong.: *Alexandri* (Balae) *filio*, ut Liv. epit. LV; Reg., coll. N. et C. C.: *Ant.*, *Alex. filio*, *Dem. priv.* Cleopatra, Ptolemaei Philometoris filia, prius Alexandro Balae nupta, post ab ipso patre ad Demetrium Nicanorem missa; quare Alexandri filius privignus Demetrii. Sic omnes praeter Appianum errantem vel corruptum; v. Gronov. p. 957.

§ 8. *diu*] per quatuor ferme annos.

recentis imperii ab Antiocho puero admodum, Demetrii fratre, qui
in Asia educabatur, bello vincitur; rursusque regnum Syriae ad
subolem Demetrii revertitur. Igitur Antiochus, memor quod et pa- 9
ter propter superbiam invisus et frater propter segnitiam contemtus
fuisset, ne in eadem vitia incideret, recepta in matrimonium Cleo-
patra, uxore fratris, civitates, quae initio fraterni imperii defece-
rant, summa industria persequitur, domitasque rursus regni terminis
adiicit; Iudaeos quoque, qui in Macedonico imperio sub Demetrio 10
patre armis se in libertatem vindicaverant, subigit. Quorum vires
tantae fuere, ut post hunc nullum Macedonum regem tulerint dome-
sticisque imperiis usi Syriam magnis bellis infestaverint.

II. Namque Iudaeis origo Damascena, Syriae nobilissima civi- 1
tas: unde et Assyriis regibus genus ex regina Semirami fuit. Nomen 2

Antiocho] Sidete.

§ 9. *initio frat. i.*] Sic omnes codd. historiae convenienter. Graevius ex Iunt. sua: *vitio fr.*: quod iam Scheffero non placuit; vulgo tamen receptum est.

§ 10. *Iudaeos quoque*] Hoc ex edd. vett. recepit Vorstius; bene, nisi epitomator hic indiligens orationis erat. Bong. et codd., ut videtur, plures vel omnes: *Iudaeosque*.

in Maced. imp.] i. e. dum imperabant Macedones, ut recte Wopkens. Bong. malebat: *a Mac.*, ut Med. 2.

sub Demetrio patre] imo iam sub Antiocho Epiphane.

post hunc] Mss. Bong.: *post haec.*

C. II. § 1. *Namque Iud.*] Fischerus putavit Bongarsium scribere voluisse: *Fuit namque I.*, ut edd. vett.; sed non invenio, quod ille ex mss. eius producit: *infestaverint. Namque.*

Damascena] Cum in originibus Iudaeae gentis veteres non ultra coniecturam saperent, ut vel ex Tacito apparet, non mirum ad venerandam antiquitate et religionum vetustissimarum copia claram urbem Damascum has quoque origines ab aliquibus esse relatas. Adde ad § 3. *Damascena* autem notum est regionis nomen (adde § 14), non pro adiectivo capiendum cum Beneckio, cuius etiam exempla laudata ab hoc loco alienissima sunt. — Non vidi dissertationem *Schlaegeri: de fontib. praecipuis errorum de Iudaeis in scriptt. profan.* (etiam in: Dissertationum Rariorum fasc. I.)

ex regina Semirami] Sic Bong. codd. omnes praeter unum et ceteri longe plurimi: veterum opinioni convenienter. Ad Damascum enim iam transferuntur, quae vulgo narrant de urbe Ascalon (vid. Baehr. Ctes. p. 393 sq.); nec dubitandum de forma *Semirami* collatis quae e Struvio, qui ad manus non est, repetiit Ramshorn. *gramm. lat.* p. 49. Quo tandem alio modo nisi per Semiramidem matrem Assyrii reges e Syria maritima et Damascena petantur? 1 Bong., Med. 1, Periz., Magl: *et reginae Semirami;* unde Med. 2, Bodl., Prag., Crac.: *et reg. Semiramidi,* quod ob argutum quoddam argumentum Schefferi receptum est. Male etiam Graevius cogitat de commutatis saepe inter se *Syris* et *Assyriis.* Glarean.: „Quid si legatur: *Unde et Syriis regibus genus et reginae Semiramidi fuit?*“

urbi a Damasco rege inditum: in cuius honorem Syrii sepulcrum *Athares* *, uxoris eius, pro templo coluere, deamque exinde sanctis-
3 simae religionis habent. Post Damascum Azelus, mox Adores et
4 Abraham et Israhel reges fuere. Sed Israhelem felix decem filio-
5 rum proventus maioribus suis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna divisum filiis tradidit, omnesque ex nomine Iudae, qui post divisionem decesserat, *Iudaeos* appellavit; colique eius memo-
6 riam ab omnibus iussit, cuius portio omnibus accesserat. Minimus aetate inter fratres Ioseph fuit; cuius excellens ingenium veriti fra-
7 tres clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Aegyptum, cum magicas ibi artes sollerti ingenio
8 percepisset, brevi ipsi regi percarus fuit. Nam et prodigiorum sagacissimus erat et somniorum primus intelligentiam condidit, nihil-
9 que divini iuris humanique ei incognitum videbatur: adeo, ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit: perissetque omnis Aegyptus fame, nisi monitu eius rex edicto servari per multos annos
10 fruges iussisset: tantaque experimenta eius fuerunt, ut non ab ho-

* *Arathis*

---

§ 2. *Damasco*] Sic sane nonnulli; alii *Δαμᾶς*. V. Voss. h. l. et Steph. Byz. v. *Δαμασκὸς* c. interpp.

Arathis] Bong. et codd. plurimi; nonnulli Bong., 2 Leidd. et coll. N.: *Marathis*, ob literam praecedentem; 1 Bong., 3 Gronov.: *Arates;* Periz.: *Arathes*. Intelligitur, ut mature viderunt interpp., *Athare*, nomen Syriacae deae, de qua v. laudd. ad h. l. et Creuzerum *Symbol.* T. II. p. 63 sq. Eam autem Ctesias teste Strabone vocaverat *Δερκετώ* et matrem fecerat Semiramidis (Baehr. p. 393): quare hinc derivabatur Assyriorum regum genus. Pater eius Ctesiae adhuc ignotus fuerat, post eum fictus. *Arathis* pro *Arathes* vulgare vitium vel in optimis Iustini libris est.

pro templo] Mss. Bong.: *extimplo;* unus: *ex templo.* Unde Vossius: *sepulcrum Athares uxoris, eius exemplo, coluere.*

§ 3. *Azelus*] Goth.: *Arelus.*

Adores] 1 Bong., Bodl., Prag.: *Adoleres.* Duos hos reges vett. editt. multae omittunt.

Abraham] Mss. Bong., Crac.: *Abrahamus;* Bodl., Goth.: *Abrahames.* De hoc Nicolaus Damascenus l. IV: *Ἀβράμης ἐβασίλευσε Δαμασκοῦ ἔπηλυς σὺν στρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς γῆς τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος Χαλδαίων λεγομένης* cett. (p. 114 Orell.)

Israhel] Mss. Bong.: *Hisrahel;* Goth.: *Histrahel.*

§ 4. Quae hic ac deinceps falsa narrentur, in re notissima monere inutile est.

§ 5. *decem regna*] Magl.: *duodecim r.*

cuius portio] Sic Leid. 1, Goth., ac fort. Prag. et Crac.; Bong. et ceteri codd. et edd. vett.: *eius p.* Illud primus Franc. Asulanus edidit in Ald., deinde Freinshemius coniecit. Schefferus: *iussit, ut eius p.*

§ 6. *veriti fratres*] Goth., Oros., Freculph., Otto Fris.: *fratres veriti.*

mine, sed a deo responsa dari viderentur. Filius eius Moyses fuit, 11
quem praeter paternae scientiae hereditatem etiam formae pulchritudo commendabat. Sed Aegyptii, cum scabiem et vitiliginem pate- 12
rentur, responso moniti eum cum aegris, ne pestis ad plures serperet, terminis Aegypti pellunt. Dux igitur exsulum factus sacra 13
Aegyptiorum furto abstulit: quae repetentes armis Aegyptii domum redire tempestatibus compulsi sunt. Itaque Moyses Damascena, an- 14
tiqua patria, repetita montem Synam occupat: quo septem dierum ieiunio per deserta Arabiae cum populo suo fatigatus cum tandem venisset, septimum diem more gentis *Sabbata* appellatum in omne aevum ieiunio sacravit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat. Et quoniam metu contagionis pulsos se ab Aegypto memi- 15
nerant, ne eadem causa invisi apud incolas forent, caverunt, ne cum peregrinis conviverent: quod ex causa factum paullatim in disciplinam religionemque convertit. Post Moysen etiam filius eius Aruas 16
sacerdos sacris Aegyptiis, mox rex creatur; semperque exinde hic

---

§ 11. *Moyses*] „Sic meliores mss., ed. Rom. al., cum Orosio atque Ottone, graeco more.“ *Gronov.* Accedunt Goth., Crac. Vulgo, etiam Bong.: *Moses.*

paternae scientiae] i. e. magicae; de quo in Mosen collata v. Bernecc. h. l. — Otto Fris.: *scient. pat.*

§ 12. *vitiliginem*] Ita pauci codd., in quibus 1 Bong.; eodem modo Oros., Frec., Otto; sed latuisse videtur in constanti lectione librorum Modii, Bongarsii (omnium, ut videtur, praeter unum), 6 Gron., Goth., Prag.: *uliginem;* Medd.: *puliginem;* Periz.: *vetuliginem.* Vid. Bongars. Edd. nonnullae vett. ante Ald.: *pruriginem;* aliae cum Ald.: *porriginem,* de qua v. Bernecc. et Graev. Inde corrigenda sunt quae Beneckius de lectione narrat.

§ 14. *Synam*] Sic Bong. et Periz.; unus ei., Crac.: *Syna;* 2 Gronov., Goth.: *Sinam.* Magl., Prag.: *Synai.* Vulgo ex Iunt.: *Synae*, ut *mons Soractis.* Si Gronov. varietatem recte enotavit, plures eius ita habent. Edd. vett.: *Syneum* vel *Synaeum.*

quo septem] Mss. Bong., Crac., Goth., edd. vett.: *in quo s.*

Sabbata] „Sic decem MSS.“ Gronov.; accedit unus Bong. et Goth.; et pluralem ex usu esse observavi. Bongarsius tamen et reliqui codd.: *Sabbatum*, quod ob antecedentem voculam *diem* illatum videri potest. Sed res dubia.

§ 15. *conviverent*] Sic mss. nescio quot Bong., „Fuldenses optimi“ Modii, 5 Gron., Crac.; inde ortum quod in 1 Bong., coll. C. C., Franecq., Goth. legitur: *convivarent*, et 3 Dorv., Prag.: *convenirent.* Vulgo, etiam in ed. Bong.: *communicarent*, quod ecclesiasticorum scriptorum est, ut probant laudati a Beneck. p. 408. Quare alterum eo confidentius reposui. Universus locus ita comparatus, ut voc. *communicare* facillime se insinuaret.

§ 16. *Post Moysen*] Mss. Bong., coll. C. C.: *P. mortem.* Crac.: *Post cuius mortem.*

Aruas] 1 Bong.: *Arruans;* unde Schefferus: *Arnan*, quo modo Aronis nomen barbaros corrupisse putat.

mos apud Iudaeos fuit, ut eosdem reges et sacerdotes haberent; quorum iustitia religione permixta incredibile quantum coaluere.

1 III. Opes genti ex vectigalibus opobalsami crevere, quod in his
2 tantum regionibus gignitur. Est namque vallis, quae continuis montibus velut muro quodam ad instar castrorum clauditur: (spatium
3 loci ducenta iugera; nomine *Iericus** dicitur) in ea silva est et ubertate et amoenitate insignis: siquidem palmeto et opobalsameto di-
4 stinguitur. Arbores opobalsami formam similem piceis arboribus habent, nisi quod sunt humiles magis et in vinearum morem exco-
5 luntur. Hae certo anni tempore balsamum sudant. Sed non minor loci eius apricitatis quam ubertatis admiratio est: quippe cum toto

* *arcus*

---

coaluere] V. Freinshem. ad prolog. III. p. 742 Gron. Graevius praetulit Bernecceri coniecturam: *convaluere;* et ita est in Dorv. 2. 3. Goth.

C. III. § 1. *in his tantum regionib.*] Cf. Lipsius ad Tacit. hist. V, 6. Accuratius Strabo XVI. pag. 525 Cas. de ea balsami specie, quae in una illa terra proveniat. Voc. *tantum* omitt. coll. C. C.

§ 2. *ducenta iugera*] Sic Bong. et codd. paenè omnes; edd. vett. et ms. Bodl.: *ducenta millia iugera.* Nonnulli Bong.: *ducenti iug.;* unus: *ducentia.* Bongarsius e Plinio reponere voluit: *viginti iugerum;* sed v. Bernecc.

nomine Iericus dicitur] Ita scripsisse puto Iustinum; e voce IERICUS autem facile oriebatur ARICUS, quod Bodl. et Goth. habent; unde ortum quod in Bong. ed. est sine v. l.: *arcus;* ita etiam coll. C. C.; Crac.: *Iarcos.* Quid in Gronovianis legatur, non proditur. Edd. vett. fere: *Hiericho*, ut unus Angl.; Prag.: *Iericho*, quod intelligitur. Strabo: Ἱερικὸς, unde iam Bong. vulgatam restituit: *Hierichus.* Salmasius probante Graevio: *Spatium loci ducentum iugerum Ierichus dicitur.*

§ 3. *In ea silva*] Sic Bong. et Gronoviani, ut videtur; Goth.: *Ea silva.* Sed post Graevium ex edd. vett. editur: *In ea valle s.*, ut Prag. et Crac., e quibus nihil h. l. enotatur. I. Fr. Gronov.: *In eo* (spatio) *s.* Frustra utrumque: distinguendum erat, ut fecimus. — Paullo post Goth., Bodl.: *amoenitate arborum ins.*

opobalsameto] Sic fort. primus Franc. Asulanus. Bongarsiani, Goth., Crac., Prag., proinde etiam Gronoviani: *opobalsamo*, aperto vitio. 1 Bong.: *opobalsameta.*

§ 4. *Arbores opobalsami — balsamum sudant*] Vice versa *balsamum* de arbore, de succo *opobalsamum* dicendum erat; v. Bernecc. e Salmas. ad Solin. p. 582. — Mss. Bong.: *Et arb.*

piceis arborib.] Sic omnes Gronovii habere videntur praeter Leid. 3 a pr. m.; deinde Goth.; Prag., qui: *arb. op. similes piceis arboribus.* Sed „vett. plerique: *specie*, transpositis literis." *Bong.* Inde Salmasius efficiebat probante Berneccero: *piceae arborib.* Ed. Rom. et ms. Crac.: *puniceis arb.;* ed. Col. in marg.: *pineis a.* Glarean. ad § 1: „Fort.: *myrteis*", e Plin. non opus; lege totum locum Plinii XII, 25 vel 54 Bip.

§ 5. *apricitatis*] Sic codd. ad unum omnes; recte, ut intellectum est, postquam Salmasius vocis *apricus* notionem constituit, ut sit quod soli tepido, leni, temperato, non torrenti, expositum est; v. Bernecc. h. l. et Cortt. ad Cic. ep. ad Div. XVI, 8, 4. In illa igitur loci umbra sentiebatur solis amoenitas, arcebatur flagrans ardor: quare non potui

orbe regionis eius ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis
quaedam ac perpetua opacitas inest. In ea regione lacus est, qui 6
propter magnitudinem et aquae immobilitatem *Mortuum mare* dicitur.
Nam neque ventis movetur resistente turbinibus bitumine, quo aqua 7
omnis stagnatur; neque navigationis patiens est, quoniam omnia
vita carentia in profundum merguntur; nec materiam ullam sustinet,
nisi quae alumine illinatur. Primum Xerxes, rex Persarum, Iudaeos 8
domuit; postea cum ipsis Persis in ditionem Alexandri Magni venere
diuque in potestate Macedonici imperii subiecti Syriae regno fuere.
A Demetrio cum descivissent, amicitia Romanorum petita primi 9
omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis
de alieno largientibus.

IV. Per eadem tempora, quibus in Syria regni mutatio inter 1
novos reges alternabatur, in Asia rex Attalus florentissimum ab Eu-
mene patruo acceptum regnum caedibus amicorum et cognatorum

---

etiam, quin paullo post codd. paene omnium lectionem *opacitas* veram iudicarem, quam omnes interpp. immerito expulerant.

opacitas] Edd. ex 1 Bong. et quibusdam vetustis impressis: *apricitas*. Gronovianorum scriptura ignota. Goth. tamen, Crac. et Prag.: *opacitas*.

§ 6. *lacus est, qui*] Sic Bong., Goth., Prag., Bodl. et edd. vett. plurimae. Quid habeatur in Gronovianis nescimus. Vulgo: *lacus est Asphaltites, q.*, quod e Plinio illatum esse puto. Quidam Bongars., Bodl., Goth.: *latus lacus*. In uno Bong.: *inest. Qui propter*, mediis omissis: quae lacuna in codd. aliquot Bong. et Crac., in quibus est: *Non longe est lacus Asphaltites* (nomen omittit Crac.), ex ingenio suppleta esse videtur: quare nec ex hac lectione nomen illatum defendi potest. Locos scriptorum v. ap. Bong. et Bern.

§ 7. *stagnatur*] *στεγανοῦται*, sternitur.

alumine illinatur] Mss. aliquot Bong., Prag.: *lumine inlustratur*: ut emendarunt librarii de *lumine* potius quam de *alumine* cogitantes. Coll. C. C., Goth., Crac.: *alumine illustratur;* Periz.: *bitumine illustr.* Unde effecerunt editores nonnulli vetustissimi: *al. illutatur*, quod frustra defendit Graevius.

§ 8. *Primum Xerxes*] Falsum; cf. Wetzel. et Bernecc. Opinati esse videntur Xerxem, dum expeditionem in Aegyptum faceret Achaemene duce, in itinere subegisse Iudaeos. Ald.: *Primus Xerx.*, quod multo etiam peius. Iunt. omisso nomine: *Primus rex Persarum*, ut de Cyro.

Syriae regno] Verius Africanus: — *ὑποδύντες Ἰουδαῖοι τῇ Μακεδόνων ἀρχῇ ποτὲ μὲν Πτολεμαίοις, ποτὲ δὲ Ἀντιόχοις ἐτέλουν ὑπόφοροι.*

§ 9. *Demetrio*] priore, Sotere, non Nicatore; imo iam factum illis temporibus, quibus Romani Macedonicum regnum subigebant. V. Bernecc.

receperunt] Sic Bong. sine v. l. et vett. edd. praeter Rom.; sed memorandum est omnes, ut videtur, Gronovii, coll. C. C., Crac., Goth. exhibere: *accep.*, ut oblatam.

C. IV. § 1. *Attalus*] Pergami rex extremus, cogn. Philometor.

Eumene patruo] imo Attalo patruo, cui successit; nam quod nonnulli vel reponendum suadent vel errore Iustini corruptum esse putaverunt: *ab Eumene patre*, id historiae non satis convenit; „*accepit*“ enim ab Attalo

suppliciis foedabat, nunc matrem anum, nunc Beronicen sponsam
2 maleficiis eorum necatas confingens. Post hanc scelestam violentiae rabiem squalidam vestem sumit; barbam capillumque in modum reorum submittit: non in publicum prodire, non populo se ostendere, non domi laetiora convivia inire aut aliquod signum sani hominis habere: prorsus ut poenas pendere manibus interfectorum videretur.
3 Omissa deinde regni administratione hortos fodiebat, gramina seminabat et noxia innoxiis permiscebat; eaque omnia veneni succo
4 infecta, velut peculiare munus, amicis mittebat. Ab hoc studio aerariae artis fabricae se tradit, cerisque fingendis et aere fundendo
5 procudendoque oblectabatur. Matri deinde sepulcrum facere instituit: cui operi intentus morbum ex solis fervore contraxit et septima die decessit. Huius testamento heres populus Romanus tunc insti-
6 tuitur. Sed erat ex Eumene Aristonicus, non iusto matrimonio, sed ex pellice Ephēsia, citharistae cuiusdam filia, genitus, qui post
7 mortem Attali velut paternum regnum Asiam invasit. Cum multa secunda proelia adversus civitates, quae metu Romanorum tradere se ei nolebant, fecisset, iustusque rex iam videretur: Asia Licinio
8 Crasso consuli decernitur: qui intentior Attalicae praedae quam bello, cum extremo anni tempore inordinata acie proelium conseruis-
9 set, victus poenas inconsultae avaritiae sanguine dedit. In huius

---

regnum, etiam si urgere velis tutorem tantum Eumenis pupilli, non regem hunc fuisse. Recte de nostro l. iudicavit Iac. Perizonius, *Animadv. hist.* p. 79 Harl.: cuius sententia egregie confirmatur prologo hui. l.: *Ut rex Attalus Thracas subegit; successoremque imperii Attalum Philometora reliquit.* Rem explicuit et tabula illorum regum genus et successionem illustravit Glareanus ad h. l. — Franc. Asulanus in Ald.: *ab Eum. patre.*

matrem anum] Mss. Bong., coll. C. C., 2 Gronov.: *m. suam;* al. Bong.: *matrem manu.* Vincent. nihil nisi: *matrem.* De re vid. Diodor. Exc. XXXIV. p. 601 Wess., ubi not. de seq. §.

§ 3. *seminabat*] Beneckius recepit e 2 Modii, 10 Gron., Vincent., Crac., Goth., ed. Rom.: *serebat.* Bongarsius illud sine v. l., ut vett. edd., quas fort. h. l. ad codd. suos exigere oblitus est; *seminabat* tamen melius etiam videtur.

§ 4. *cerisque*] Bong.: *caerisque*, quam scripturam suspectam dicunt; alii eius, 5 Gronov., edd. vett.: *caeterisque.* Post 8 codd. Gronovii, Goth., at nullus Bong., male: *oblectatur.*

§ 5. *Matri*] Stratonicae, Ariarathis, Cappadocum regis, filiae.

facere] Mss. Bong., 4 Gron.: *parare;* ob quem dissensum Burmannus ad Anthol. lat. II. p. 42 verbum plane omittendum suasit, ut in uno Bongars.

heres P. R.] U. c. 651.

§ 6. *citharistae*] Ms. Bong.: *Aristhe.* V. Sevinum in *hist. de l'Acad. des inscr.* Vol. XII, p. 313.

paternum] Vincent.: *avitum.*

§ 7. *ei nol.*] Mss. Bong., 5 Gron., Goth.: *eidem n.*

§ 8. Freinshem. Suppl. Liv. LIX, 48—51.

locum missus *Perperna** consul prima congressione Aristonicum su-
peratum in potestatem suam redegit; Attalicasque gazas, heredita-
rias populi Romani, navibus impositas Romam deportavit. Quod 10
aegre ferens successor eius *Manius*** Aquilius consul ad eripiendum
Aristonicum *Perpernae**, veluti sui potius triumphi munus esse debe-
ret, festinata velocitate contendit. Sed contentionem consulum mors 11
*Perpernae** diremit. Sic Asia Romanorum facta cum opibus suis 12
vitia quoque Romam transmisit.

* *Perpenna*, — *Perpennae* ** *Marcus*

---

§ 9. *Perpenna*] Sic in codd. omnibus legitur praeter Med. 2. Dudum restituerunt interpp., quos v., *Perperna.*

populi R.] Mss. Bong.: *a pop. R.*

§ 10. 11. Loci ap. Freinsh. Suppl. Liv. LIX, 70.

Marcus Aquilius] Ita edidit Bong. et quos novi codd. Error e compendio scripturae natus *'M* et *M':* cuius tamen sit, ego non definiam. V. intt. — Quidam mss. Bong.: *Aquilinus.*

LIBER XXXVII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXXVII.*)

Septimo et tricesimo volumine continentur haec. Repetitis regum Ponticorum originibus ut (*ad*)[1] ultimum Mithridatem Eupatora[2] series imperii deducta sit. Atque ut ingressus ille regnum subegit Pontum et Paphlagoniam, priusquam in bella Romana descendit[3]. Dictaeque in excessu regum Bosporanorum[4] et Colchorum origines et res gestae.

---

[1]) Inseruerunt Freinshem. et Longuerr. Alii aliter. Modius: *ultimum in Mithr.* Ed. Oxon.: *ultimo in M.* Periz., Crac.: *ut in ult.;* ita Gronovius; fort. vere.

[2]) Mss. omnes *Neupatora* vel *Neopatora.* Emendavit Bong.

[3]) Periz., Crac.: *descenderit.*

[4]) Vett.: *regnum Bosphor.* — 4 Gronov.: *in excursu.* — Et has et Ponticorum regum origines Iustinus pro more omisit.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Massilienses pro Phocaeensibus apud Romanos deprecantur. Regibus, qui adversus Aristonicum auxilia tulerant, praemia a Romanis persoluta. Tragoediae in Cappadocia et Ponto. Mithridati Euergetae, Ponti regi, succedit Mithridates Eupator.*
2. *Eiusdem futura magnitudo praedicta, occupationes, vindicta.*
3. *Eiusdem res gestae, et domi ab uxore periculum.*
4. *Eiusdem exercitia militaria, Cappadociae et Galatiae occupatio atque superbum Romanis responsum.*

---

1 I. Capto Aristonico Massilienses pro *Phocaeensibus* *, conditoribus suis, quorum urbem senatus et omne nomen, quod et tunc et antea Antiochi bello infesta contra populum Romanum arma tulerant, deleri iusserat, legatos Romam deprecatum misere veniamque his a
2 senatu obtinuere. Post haec regibus, qui adversus Aristonicum auxilia tulerant, praemia persoluta: Mithridati Pontico *Phrygia* ** maior; filiis Ariarathis, regis Cappadociae, qui eodem bello occi-
3 derat, Lycaonia et Cilicia datae; fideliorque populus Romanus in socii filios quam mater in liberos fuit: quippe hinc parvulis auctum

* *Phocensibus* ** *Syria*

C. I. § 1. *pro Phocensibus*] Sic codd. omnes, h. l. et infra XLIII, 3, § 4; sed hi sunt incolae *Phocidis* in Graecia, non Phocaeae Asiaticae; restituit igitur Gronovius avi suasu: *Phocaeensibus*. At librariis hoc vitium an scriptori tribuas iusta dubitatio est: nam ipsi Romani haec nomina permutavisse videntur; de qua re vide, quos bene hic adducit Beneckius, interpp. ad Liv. V, 34, § 8; adde Tzschuckium ad Melam Vol. III. P. 1. p. 510. P. 2. p. 472, al. ap. Henricum Ternaux *de Massilia* p. 3. not. 5. Phocaea propinqua Leucis est, unde potissimum ab Aristonico bellum movebatur. — Mss. Bong.: *contra arma t.*, omissis verbis *pop. Rom.*

§ 2. *Mithridati*] quinto, cogn. Euergetae. Cf. Eutrop. IV, 9 coll. Orosio V, 10.

Syria maior] Id Bong. codd. omnes praebent, Crac., Goth. ac sine dubio etiam Gronoviani: aperto errore, quem primus, nisi fallor, Fr. Asulanus correxit e XXXVIII, 5, § 3, ubi Mithridates Eupator: *sibi pupillo maiorem Phrygiam ademerint, quam patri suo praemium dati adversus Aristonicum auxilii concesserant.* Adde Appian. Mithrid. 12. 57. Error mirum nisi Iustini existimandus erit. Secuti sunt Aldinam omnes interpp. Edd. vett.: *Syria minor.* Unus Bong.: *Syriae, et maiori ex filiis Ar.* — *Ariarathis*] sexti, Philopatoris.

§ 3. *fideliorque*] 6 Gron., Goth.: *fidiorque;* 3 ex iisdem et 1 Bong.: *sociorum fil.*, quod memorabile est, si non ex compendio in hac voce solito ortum.

regnum, inde vita ademta. Namque Laudice ex numero sex filio- 4
rum, quos virilis sexus ex Ariarathe rege susceperat, timens ne
non diutinam regni administrationem adultis quibusdam potiretur,
quinque parricidiali veneno necavit: unum parvulum sceleri matris 5
cognatorum custodia eripuit, qui post necem Laudices (nam propter
crudelitatem eam populus exstinxerat) solus regno potitus est. Mi- 6
thridates quoque repentina morte interceptus filium, qui et ipse
Mithridates dictus est, reliquit: cuius ea postea magnitudo fuit, ut 7
non sui tantum temporis, verum etiam superioris aetatis omnes re-
ges maiestate superaverit bellaque cum Romanis per quadraginta sex
annos varia victoria gesserit: cum eum summi imperatores, Sylla, 8
Lucullus ceterique, in summa Cneus Pompeius, ita vicerint, ut
maior clariorque in restaurando bello resurgeret damnisque suis ter-

---

§ 4. *Laudice*] Gronov. e vett. edd.: *Laodice.* Sic etiam codd. recc., ut Goth. Dubitationes quasdam de re v. ap. Baylium *dict. crit. et hist.* v. Cappadocia, p. 49 a. ed. Gottsched.

diutinam r. administrationem] Sic omnes codd. Bong.: quod etiam post distinctionem, quam exposuit Beneckius ad VI, 4, § 8, expellendum non erat: timebat, ne dominatio, quam iam accepit mortuo coniuge, non foret diutina. Ablativum: *diutina r. administratione* vel *adm. r.* Gronoviani plerique vel omnes habere videntur; accedunt Crac., Prag., Goth., 4 Wopkens.

potiretur] Mss. Bong.: *pateretur;* unde Schefferus: *paterentur,* a quo negatio disiungi non poterat. Goth.: *pararetur;* Crac.: *privaretur.*

parricidiali] Sic Bongars. et alii multi libri. Cf. XXVII, 1, § 10. Gronov. e 7 codd.: *parricidali*, ut Goth., Prag. Eiusmodi adiectiva multa h. l. collegit Gronov. p. 962, quibus tamen illa forma, Lampridio quoque et aliis usurpata, falsa non arguitur.

§ 5. *parvulum*] Ariarathem VII.

§ 6. *interceptus*] per familiarium insidias.

Mithridates filius Eupator dicebatur.

§ 7. *superaverit*] Mss. Bongars.: *praeierit*, ut e Gronovianis unus coll. N.

quadraginta sex] Non quadraginta, sed viginti sex, ab a. 89 ad a. 63. Quodsi a mortis anno ad sextum et quadragesimum ascenderis, efficietur a. 110, quo Scythica fere bella aggressus est: δι' ἃ μᾶλλον Ῥωμαῖοι τὴν αὐτοῦ διάνοιαν ὕποπτον ποιούμενοι τοῖς Σκυθῶν βασιλεῦσιν ἐψηφίσαντο τὰς πατρῴας αὐτὸν ἀρχὰς ἀποκαταστῆσαι (Memnon Phot p. 230, 10. b. Bekk.): quidni igitur iam tum incepta esse bella cum Romanis rhetor significet, cum tam mature cogitasse atque adeo parasse Mithridatem Romana bella sibi persuaserint? Sed lectorum esto iudicium; fort. nihil voluit nisi universum imperii tempus, quod ipso Iustino duce (e XXXVIII, 8, 1) statuunt annorum 48. Praeteriit hunc l. Io. Ern. Woltersdorf. in *comment. vitam Mithridatis M. per annos sistente* (Gotting., 1813), qua aliquoties usi sumus.

§ 8. *Cneus Pomp.*] Mss. Bong., coll. N.: *Gneus quoque P.*

vicerint] Mss. Bong., Crac., Goth.: *vicerit.*

in restaurando] Ita omnes codd.; v. supra saepe. Gronov. ex edd. vett.: *instaurando.*

9 ribilior redderetur. Denique ad postremum non vi hostili victus, sed
voluntaria morte in avito regno senex herede filio decessit.
1 II. Huius futuram magnitudinem etiam caelestia ostenta prae-
2 dixerant. Nam et quo genitus est anno et eo, quo regnare primum
coepit, stella cometes per utrumque tempus septuaginta diebus ita
3 luxit, ut caelum omne conflagrare videretur. Nam et magnitudine
sui quartam partem caeli occupaverat et fulgore sui solis nitorem vi-
cerat; et cum oriretur occumberetque, quatuor spatium horarum
4 consumebat. Puer tutorum insidias passus est, qui eum fero equo
5 impositum equitare iacularique cogebant: qui conatus cum eos fefel-
lissent, supra aetatem regente equum Mithridate veneno eum appe-
6 tivere. Quod metuens antidota saepius bibit et ita se adversus in-
sidias exquisitis tutioribus remediis stagnavit, ut ne volens quidem
7 senex veneno mori potuerit. Timens deinde, ne inimici, quod ve-
neno non potuerant, ferro peragerent, venandi studium finxit, quo
8 per septem annos neque urbis neque ruris tecto usus est: sed per
silvas vagatus diversis montium regionibus pernoctabat ignaris omni-
bus, quibus esset locis; adsuetus feras cursu aut fugere aut perse-

---

§ 9. *vi hostili victus*] Sic omnes codd. et edd. vett. praeter unum coll. N. et Ald., qui vocem *victus* omittunt: eleganter sane; sed hoc non satis causae, ut continuo ita legatur. Sic fort. etiam Prag. Vulgo: ***non vi hostili*, *sed vol. morte.*** De morte Mithridatis habes narrationes apud Gronov. p. 963.

in avito] 1 Bong.: *in aucto.*

C. II. § 2. *Nam et quo gen.*] Sic Bong. ut ex optimis suis; nam addit: „Mss.: *et eo quo g.*"; hoc autem in omnibus Gronov. videtur legi, praeterea in Servati Lupi epist. 20 et Vincent., qui paullum immutare solent, quae insolite vel obscurius dicta videbantur. Vulgo igitur: *Nam et eo quo g.;* illud multo venustius, sed aliqua etiam, fateor, confirmatione eget.

septuaginta] Ald.: *septem.* Med. 2: *septuagenis diebus*, de manu correctoris.

luxit] Lupus: *eluxit.* — De re cf. Woltersdorf. *comm.* p. 16 sq.

conflagrare] Sic Bong. e melioribus suis, 6 Gronov., Goth., Vincent.: nec video reiectae rationem. Vulgo, ut Lupus: *flagrare;* Scheffer.: *eo flagrare.*

§ 3. *fulgore sui solis nit.*] Lupus: *fulguris sui radiis nitorem sol.*

oriretur] Lupus, Bodl., 2 Medd.: *orcretur.*

quatuor] Vincent.: *vel VIII vel VII.*

§ 6. *exquisitis tutioribus rem.*] Sic Bongarsii omnes, 5 Gron., Goth., Prag., Crac., Vincent.: *exquisitis* participium est. Vulgo Vorstii suasu ex edd. vett.: *exquisitioribus r.*

stagnavit] i. e. munivit. Idem verbum de eadem re bis usurpavit Vegetius *de re veter.*, laudante Gesnero s. v. Cf. glossas ap. Salmas. ad Solin. p. 577. I. Fr. Gron. probante Graevio: *stannavit*, cuius usus incertior etiam est.

§ 7. *per septem*] Edd. vett., Vincent.: *quattuor.* Goth.: *fingit.*

§ 8. *cursu aut fugere*] scil. quas lacessiverat feras. Ita iam multae edd. vett.; sed Bongars. ex suis libris, ut videtur, omnibus reduxerat:

qui, cum quibusdam etiam viribus congredi. Quibus rebus et insi- 9
dias vitavit et corpus ad omnem virtutis patientiam duravit.

III. Ad regni deinde administrationem cum accessisset, statim 1
non de regendo, sed de augendo regno cogitavit. Itaque Scythas 2
invictos antea, qui Zopyriona, Alexandri Magni ducem, cum tri-
ginta millibus armatorum deleverant; qui Cyrum, Persarum regem,
cum ducentis millibus trucidaverant; qui Philippum, Macedonum
regem, fugaverant, ingenti felicitate perdomuit. Auctus igitur vi- 3
ribus Pontum quoque ac deinceps Cappadociam occupavit. Cum de 4
Asia tractaret, tacitus cum quibusdam amicis regno profectus univer-
sam nemine sciente pervagatus est omniumque urbium situm ac re-
giones cognovit. Inde in Bithyniam transcendit et quasi dominus 5
Asiae opportuna quaeque victoriae suae metatus est. Post haec in 6
regnum, cum iam perisse crederetur, reversus est invento parvulo

---

fugare, ut 5 Gron., 3 Wopk., Vincent.; iterum correxit assentientibus interpp. Freinshemius. Opinati sunt librarii *fugare* potius esse Mithridatis quam *fugere feras*.

C. III. § 1. Anno 112 a. C., aetatis 20. Vid. Woltersdorf. *comm.* c. III. p. 10—26.

§ 2. *Zopyriona*] Bong. et codd. paene omnes h. l., II, 3, § 4 et XII, 2, § 16, quem l. cf. de re cum S. C. *examen critique des histoires d'Al. le Gr.* pag. 629 sq.: *Sopyriona:* forma, ut videtur, antiquior, ut *Sethus* pro *Zetho; Saguntus* e *Ζακύνθῳ;* conf. Schneider. gr. lat. I. p. 379 sq. not.; nostrum exemplum adde p. 384.

Cyrum] V. supr. I, 8.

Philippum] Collato IX, 2, § 14 sq. agnosces rhetorem, nisi forte Triballos ad Scythas a Trogo relatos dicas, IX, 3 init. Veram autem lectionem esse neque errore corruptam, dum de Dario potius Hystaspis f. cogitaret, ut Berneccerus putaverat, Schefferus ostendit coll. XXXVIII, 7, § 3.

fugaverant] Mss. Bong., Crac.: *fugientem ceperant.*

perdomuit] Quae loca in illis regionibus subiecerit, v. ap. Strabon. VII. p. 214 sq. XI. p. 344. XII. p. 332 sq. Cas. Memnon p. 230 Bekk.: κατεστρέψατο πολέμῳ τοὺς περὶ τὸν Φᾶσιν βασιλεῖς ἕως τῶν κλιμάτων τῶν ὑπὲρ τὸν Καύκασον, quos paullo post τοὺς Σκυθῶν βασιλεῖς appellat. V. Niebuhr. *Opusc.* I. p. 388 sqq.

§ 3. *Pontum*] Scythicas gentes prius an Pontum bello petierit, ob dissensum scriptorum dubitatur. V. haec breviter exposita a Woltersdorf. p. 28 sqq.

Cappadociam] eiecto Ariobarzane rege.

§ 4. *nemine sciente*] 12 Gron., Vincent.: *n. sentiente*, ab iis profectum, qui illud pro compendio acceperant.

§ 5. *Inde in Bithyniam*] Sic mss. aliquot Bong., Gronoviani tres, Franecq., 2 Dorv. et alii recc.; sed Bong. e melioribus et ceteri codd.: *Inde Bith.:* quod fort. verum est; praecedens tamen *iñ* (i. e. *inde*) et ambiguitas sententiae dubitationem iniiciunt; supra etiam l. XXIII, init.: *in Italiam transcendit.* — Res ab aliis non narratur, Woltersdorfio ad a. 103 relata. Sine dubio cum Nicomede rege amice consultaturus erat de iis, quae iam in animo volutabat. Etiam seqq. ab aliis non nisi leviter tanguntur. — Gronov.: *Laodice.*

filio, quem per absentiam eius Laudice soror uxorque enixa fuerat.
7 Sed inter gratulationem adventus sui et filii geniti veneno periclitatus est: siquidem Laudice soror, cum perisse eum crederet, in concubitus amicorum proiecta, quasi admissum facinus maiore sce-
8 lere tegere posset, venenum advenienti paravit. Quod cum ex ancilla Mithridates cognovisset, in auctores vindicavit.
1 IV. Hieme deinde appetente non in convivio, sed in campo; non in avocationibus, sed in exercitationibus; nec inter sodales, sed
2 inter coaequales aut equo aut cursu aut viribus contendebat. Exercitum quoque suum ad parem laboris patientiam quotidiana exercitatione durabat: atque ita invictus ipse inexpugnabilem exercitum fe-
3 cerat. Inita deinde cum Nicomede societate Paphlagoniam invadit

---

§ 7. 3 Gronov., Crac., Prag., edd. vett.: *gratul., post longam peregrinationem, adv. sui.*

maiore] Med. 1: *maiori.*

§ 8. *ex ancilla*] 1 Bong., 11 Gronov., Goth., Prag., Vincent., ed. Rom.: *ex ancillis.*

C. IV. § 1. *appetente*] Sic mss. nescio quot Bong. et plures Gron., in quibus meliores Leidd. Bong., ut vett. edd., Prag.: *imminente.* 5 recc. Gronov., Goth.: *adveniente.*

non in avocationibus] i. e. recreationibus, oblectamentis. Hanc autem lectionem monstrare videntur plurimi optimique codd.; Bongarsius enim edidit: *non in advocatt.*, ut habent 4 Gron., Franecq., Dorv. 1; alii mss. Bong., 4 Gron.: *nec in adv.:* et saepissime permutantur *advocare* et *avocare* ac similia. Duo Gronov., Med. 1 et Leid. 5: *nec in avocat.;* Dorv. 3 a pr. m. et Gothanus: *non in avoc.*, ut edidimus. Defenderunt eam lectionem Vossius ad Catullum p. 110, Wopkens. ad h. l. et Burmannus ad Anthol. III, 5, 12; reiectam vero esse a I. Fr. Gronovio (ut significat nepos p. 965), non est verisimile. Quid voluerit Berneccerus, cum scriberet: „Sed omnino rectum est *advocationibus*," equidem non assequor; non apta certe sunt, de quibus cogitare possis. Vulgo de Lipsii suasu: *non in vacationibus*, quod in *advocationibus* corrumpi non poterat. Ita edd. vett. quotquot novimus, e codd. recentissimi, ut Dorv. 2, Prag., Crac., fort. Leid. 1. Modius et Ian. Gulielmus: *non in vocationibus*, i. e. invitationibus, conviviis, ut Bodl.

sed in exercit.] Desunt in Bodl., coll. C. C. et vett. Bong., nisi forte Bong. in uncis ponendis erravit; nam in Leidd. 3. 4 et Goth. absunt: *in exerc., nec.*

coaequales] Sic omnes Bong. et, ut videtur, Gronovii, Dorv. 1. 3, Goth. et, ni fallor, Prag. Vulgo ex edd. vett., Franecq., Dorv. 2: *aequales.* De locis, quos comparat Beneckius, aliter iudicandum erat. Cf. Fabrum.

cursu] Mss. Bong., coll. C. C.: *curru.*

§ 3. *cum Nicomede* cett.] Adde locum Trogi ex oratione Mithridatis: *Paphlagonia — — quae non vi, non armis, sed adoptione testamenti et regum domesticorum interitu hereditaria patri suo obvenisset.* (XXXVIII, 5, § 4 et infr. § 5.) Post obitum ergo Pylaemenis, qui Romanis in debellando Aristonico auxilium tulerat, Euergetes in regnum Paphlagoniae testamento, ut videtur, Pylaemenis successerat; sed Eupatore pupillo vel, quod malim, Asiam peragrante et periisse credito Paphlagones de-

victamque cum socio dividit. Quam cum teneri a regibus senatui 4
nuntiatum esset, legatos ad utrumque misit, qui *gentem restitui in pristinum statum* iuberent. Mithridates, cum se iam parem magni- 5
tudini Romanorum crederet, superbo responso *hereditarium patri suo regnum obvenisse* respondit; *mirarique se, quod ei relata controversia non fuerit, sibi referatur.* Nec territus minis Galatiam quoque oc- 6
cupat. Nicomedes, quoniam se tueri iure non potuerat, *iusto regi* 7
redditurum respondit. Atque ita filium suum mutato nomine *Pylae-* 8
menem *, Paphlagonum regum nomine, appellat et quasi stirpi regiae reddidisset regnum, falso nomine tenet. Sic ludibrio habiti 9
legati Romam revertuntur.

* *Philiamenem*

---

fecerunt; aliter enim eorum terra infesto exercitu invadi non poterat. Accuratiora reliqui scriptores non suppeditant; iustis autem rationibus Woltersdorfius hanc occupationem ad a. 102 vel 652 U. refert (p. 33 sqq.); male *Ioannes Vaillant* ad a. 630 (*reges Bithyniae* p. 341).

§ 5. *quod ei relata* cett.] Sic codd. Bong. et Gron. duobus exceptis omnes, nec quicquam est, quod ei lectioni vitio possit dari. 1 Bong.: *mirari quoque cum ei;* Prag., Bodl.: *quod cum ei;* Periz., Goth.: *cum ei.* Vulgo post Graevium ex Ald.: *quod quae ei r.*, non tam plana sententia.

§ 6. *Galatiam*] Neque hoc ceteris memoratur; sed monendum initio bellorum cum Romanis Galatas in Romanorum auxiliis conspici.

§ 8. *Philiamenem*] Bongarsius sine v. l.; Bodl., Goth.: *Philamenem;* Prag.: *Philopomeum.* Edd. vett.: *Philomenem.* Verum nomen primus restituit Glareanus, post eum alii; v. Bongars. Orosius VI, 2 sine v. l.: *Pylaemene*, sed non ex nostro loco. — Gronov.: *Pylaemenen.*

tenet] Goth.: *tenuit.*

LIBER XXXVIII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXXVIII.*)

Octavo et tricesimo volumine continentur haec. Ut Mithridates Eupator [1]) occiso Ariarathe [2]) Cappadociam occuparit

---

1) Sic Bong.; vett.: *Eupatore.*

2) Sic Maxim., Periz., Crac. Ceteri: *Arathe*, quod correxit Bong. „Et videtur sane merus lapsus: quamquam etiam in Memnone Ἀϱάϑης [v. nos ad 1, § 1 et 7] et supra *Ariates* et Arathes Antiochi dei gener in Euseb. Arm. I. p. 345 Ven.“ *Grauert.*

victoque Nicomede et Malthino[3]) Bithyniam. Ut mortuo Ptolemaeo Philometore frater eius *Physcon* *[4]) accepto regno Aegypti seditionem[5]) populi, deinde bellum cum uxore sua Cleopatra et cum rege Syriae Demetrio habuit. Inde repetitum, ut Demetrius captus sit a Parthis et frater eius victo in Syria Tryphone bellum Parthis[6]) intulerit, qui cum exercitu suo deletus est.

* *Ascon*

---

[3]) Ita codd. praeter 2 Leidd., qui: *Maltino*, ut Iustinus. Crac.: *Altimo*.

[4]) Vett.: *Phil. frater eius. Ac fr. e. Ascon;* 2 Vatt.: *Aston;* Crac.: *Asiam.* In codd. Gron. et Crac. deest *ac; Physcon* reposuit Bong.

[5]) Sic Freinshemius coniecit; codd. omnes: *seditione;* quare Bong. et Modius: *accepit regnum.* Grauertus: *seditione pop. [eiectus est]: deinde* cett., quod nos edidimus, barbarum vocans, dum ad Zeugma in his verbis satis facile non attendit.

[6]) Quae intersunt inter duo verba *Parthis*, in vett. Bong. desiderabantur, restituta tandem e codd. Maxim. et 2 Vatt., quibus usus est Longuerrius; accedunt Periz. et Crac.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Mithridates regni sui auspicia parricidiis polluit; et callidis artibus Ariarathem Cappadocem trucidat.*
2. *Novae Mithridatis et Nicomedis tragoediae, quas senatus Romanus utcumque sedat.*
3. *Mithridates Tigranem in societatem belli adversus Romanos trahit; et proconsulibus Romanis fusis ingenti civitatium Asianarum favore excipitur.*
4. *Oratio Mithridatis, in qua rationes suas exponit, cur bellum sit Romanis inferendum.*
5. *Romanos, dum occupati essent, adoriundos esse censet, iustum bellum illud ostendens.*
6. *Malas eorumdem artes et originem detegit.*
7. *Stirpis suae nobilitatem suorumque libertatem ac fortitudinem opponit; et belli facilitatem, liberalitate ac munificentia milites alliciens.*
8. *Ptolemaeus Physcon in Aegypto multiplici scelere omnia turbat et a suis pellitur.*
9. *Demetrii, Syriae regis, fortunae ludibrii, casus varii.*
10. *Antiochus, Demetrii frater, Parthos bello adgreditur et in proelio a suis desertus occiditur.*

I. Mithridates parricidia nece uxoris auspicatus sororis alte- 1
rius Laudices filios, cuius virum Ariarathem, regem Cappadociae,
per Gordium insidiis occiderat, tollendos statuit: nihil actum morte
patris existimans, si adolescentes paternum regnum, cuius ille cupi-
ditate flagrabat, occupassent. Igitur dum in his cogitationibus ver- 2
satur, interim Nicomedes, rex Bithyniae, vacuam morte regis Cap-
padociam invadit. Quod cum nuntiatum Mithridati fuisset, per si- 3
mulationem pietatis auxilia sorori ad expellendum Cappadocia Nico-
medem mittit. Sed iam Laudice per pactionem se Nicomedi in 4
matrimonium tradiderat. Quod aegre ferens Mithridates praesidia 5
Nicomedis Cappadocia expellit regnumque sororis filio restituit: egre-
gium prorsus factum, ni subsecuta fraus esset. Siquidem interiectis 6
mensibus simulat se Gordium, quo ministro usus in Ariarathe inter-
ficiendo fuerat, restituere in patriam velle, sperans, si obsisteret
adolescens, causas belli futuras, aut, si permitteret, per eumdem
filium tolli posse, per quem interfecerat patrem. Quod ubi Ariara- 7
thes iunior moliri cognovit, graviter ferens interfectorem patris per
avunculum potissimum ab exsilio revocari, ingentem exercitum con-
trahit. Igitur cum in aciem eduxisset Mithridates peditum octoginta 8
millia, equitum decem millia, currus falcatos sexcentos, nec Ariara-
thi auxiliantibus finitimis regibus minores copiae essent: incertum
belli timens consilia ad insidias transfert; sollicitatoque iuvene ad 9
colloquium, cum ferrum occultatum inter fascias gereret, scrutatori,

---

C. I. § 1. *parricidia nece*] Sic Bongars. sine v. l., 7 Gron: quod recte iam reduxit Beneckius, quem vide vel Gron. p. 966. Vulgo cum edd. vett.: *parr. a nece.*

sororis alterius Laudices] Errorem Freinshemii ad h. l. corrigit P. Baylius, *dict. crit. et hist.* v. Laudice. — Gron.: *Laodices.*

filios — adolescentes] duos, v. c. 2, § 3. Memnon pag. 230 unius tantum meminit: *δι' ἀπάτης καὶ ὅρκων συμβατηρίων τὸν ἀδελφιδοῦν Ἀράθην* (? v. ad § 7) *συλλαβὼν ὁ Μιθριδάτης αὐτοχειρίᾳ ἀποσφάξας (τῆς Καππαδοκίας) ἐκράτησε· παῖς δὲ ὁ Ἀράθης ἐκ τῆς ἀδελφῆς τοῦ Μιθρ. Ἀριαράθῳ γεγένητο.* Haec igitur noster hoc capite disertius narrat. — Gron.: *Ariarathen;* post: *Nicomeden.*

§ 5. *Cappadocia*] Omittunt mss. Bong.

§ 6. *mensibus*] Edd. vett: *diebus.*

§ 7. *Ariarathes iunior*] idem quem Memnon *Ἀράθην* appellat (cf. ad prol. not. 2). Brevius nomen a librariis corruptionem passum esse videtur. Eiusmodi vitium supra ex Appiano sustulimus. — Voc. *Quod* deest in mss. Bong., 3 Gron.; sed v. Wopkens. et Beneck. I. Fr. Gron.: *Quem ubi A.*

graviter] Edd. vett.: *indigne.*

§ 8. *decem millia*] Posteriorem voc. omitt. mss. Bong. et Med. (ap. Gron p. 798); quod ut per se probabile est (vid. Beneck.), ita in hoc loco ob seq. minus aptum.

§ 9. *inter fascias*] „subligar, quod ex fasciis constabat.“ *Faber.* Aliter alii ap. Bernecc.

ab Ariarathe regio more misso, curiosius imum ventrem pertractanti
10 ait: *caveret, ne aliud telum inveniret quam quaereret.* Atque ita risu
protectis insidiis sevocatum ab amicis velut ad secretum sermonem
inspectante utroque exercitu interficit: regnum Cappadociae octo
annorum filio imposito *Ariarathis* nomine additoque ei rectore Gordio
tradidit.

1 II. Sed Cappadoces crudelitate ac libidine praefectorum vexati
a Mithridate deficiunt; fratremque regis, et ipsum Ariarathem no-
2 mine, ab Asia, ubi educabatur, revocant: cum quo Mithridates
proelium renovat victumque Cappadociae regno expellit. Nec multo
3 post adolescens ex aegritudine collecta infirmitate decedit. Post huius
mortem Nicomedes timens, ne Mithridates accessione Cappadociae
etiam Bithyniam finitimam invaderet, subornat puerum eximiae pul-
chritudinis, quasi Ariarathes tres, non duos filios genuisset, qui a
4 senatu Romano paternum regnum peteret. Uxorem quoque Laudi-
cen Romam mittit ad testimonium trium ex Ariarathe susceptorum
5 filiorum. Quod ubi Mithridates cognovit, et ipse pari impudentia
Gordium Romam mittit, qui senatui adsereret *puerum, cui Cappa-
dociae regnum tradiderat, ex eo Ariarathe genitum, qui bello Aristo-
6 nici auxilia Romanis ferens cecidisset.* Sed senatus studio regum
intellecto, aliena regna falsis nominibus furantium, et Mithridati
Cappadociam et Nicomedi ad solatium eius Paphlagoniam ademit.
7 Ac ne contumelia regum foret ademtum illis, quod daretur aliis,
8 uterque populus libertate donatus est. Sed Cappadoces munus liber-

---

regio more] V. Bernecc.

§ 10. *sevocatum*] Sic post I. Fr. Gronovium Graevius, ut necessario emendandum erat. Vid. Graev. Viderant iam editores antiquissimi. Bong. et codd. plurimi: *evocatum;* nonnulli Bong.: *vocatum.*

interficit] eleganter et ex usu Iustini. Leid. 1: *interfecit*, quod miror Gronovium suo non decorasse elogio. — 3 eiusd.: *regnumque;* iidem fere: *tradit*, ut Crac., Prag. — Mss. Bong.: *posito.*

C. II. Haec quoque ab aliis non narrantur. De legatione utriusque regis Tib. Gracchi dictum ap. Gellium XI, 10. Cf. Woltersdorf. *comm.* p. 36 sq.

§ 3. *accessione Capp.*] Heinsius: *accessionem*, i. e., ut I. Fr. Gronov. coniecerat, *velut accessionem.*

§ 4. *filiorum*] Abest a mss. Bongars., coll. C. C. — Gronovius: *Laodicen.*

§ 5. *adsereret*] Sic Bong. e melioribus suis et edd. vett.; de quo dubius adhuc haerebat Wopkens., sed plene vindicavit Dresigius in *Epistola* p. 701 sqq. in ed. Fischeri: quae adde novae ed. Lexici Forcellinii s. v. p. 256. Vulgo legitur ex aliquot Bong., 7 Gron., omnibus Wopk., Prag., Goth.: *adseveret;* sed hunc praesentis coniunctivum respuit usus Iustini.

§ 6. *ad solatium ei.*] Sic Bongars. sine v. l., multi codd. et edd. omnes, donec Gronov. e 7 suis (et Goth.) *ad solatia ei.* recepit, quod huic loco non satis aptum est, aptius in aliis apud eundem p. 967.

tatis abnuentes negant *vivere gentem sine rege posse.* Atque ita rex
illis a senatu Ariobarzanes constituitur.

III. Erat eo tempore Tigranes rex Armeniae, obses Parthis 1
ante multum temporis datus, sed olim ab iisdem in regnum pater-
num remissus. Hunc Mithridates mire ad societatem Romani belli,
quod olim meditabatur, pellicere cupiebat. Nihil igitur de offensa 2
Romanorum sentientem per Gordium impellit, ut Ariobarzani, segni
admodum, bellum inferat; et, ne quis dolus subesse videretur, filiam
suam ei Cleopatram in matrimonium tradit. Primo igitur adventu 3
Tigranis Ariobarzanes sublatis rebus suis Romam contendit. Atque
ita per Tigranem rursus Cappadocia iuris esse Mithridatis coepit.
Eodem tempore mortuo Nicomede etiam filius eius, et ipse Nicome- 4
des, regno a Mithridate pellitur; qui cum supplex Romam venisset,
decernitur in senatu, ut uterque in regnum restituantur: in quod
tum missi Aquilius et Manlius Maltinus legati. His cognitis Mithri- 5

---

§ 8. *gentem*] suam. — Adde c. 5, § 9.

C. III. § 1. *eo temp.*] Mss. Bong., Prag.: *eodem t.*

obses Parthis] Sic ex uno suo Bong., cuius ceteri, ut edd. vett.: *obses a P.*, inepte. Goth.: *a patre;* e Prag. et Crac. nihil enotatur, neque e Gronovianis. Strabo XI prope fin.: (ὁ Τιγράνης) καταρχὰς μὲν ὡμήρευσε παρὰ Πάρθοις· ἔπειτα δι' ἐκείνων ἔτυχε καθόδου, λαβόντων μισθὸν ἑβδομήκοντα αὐλῶνας τῆς Ἀρμενίας cett. Ex eodem loco, quem legas, manifesto apparet, quam vere dicantur seqq.: *ante multum temporis*, et *sed olim.* Edd. vett.: *ante non multum tempus*, quod probari non debebat.

sed olim] Mss. Bong., coll. C. C., 7 Gron., Goth., edd. vett.: *nec olim:* de quo sane dubitari potest. Magl., Periz., Crac., ed. Rom. voculam *sed* omittunt.

quod olim med.] Cf. Nagel. in Actis Traiect. T. IV. p. 291.

§ 2. *sentientem*] Mss. Bong.: *sentiente.*

videretur] Mss. Bong., Crac.: *videatur.*

§ 3. *per Tigranem*] (Gron.: *Tigranen*) cuius si pro ducibus habebis Mithraam et Bagoam aliunde ignotos, consentiet cum Iustino Appianus c. 10. Ita iam docti ap. Schweighaeus. pag. 596 sq. Sed moneri debet Ariobarzanem iam semel a Romanis restitutum nunc altera vice expelli; post iterum reduci per legatos Rom.; tertium denique a Sulla: quod neglectum ab historiarum scriptoribus ex solo Appiano poterat constitui; pluribus autem probavit Woltersdorfius *comm.* p. 37 sqq. Appiani c. 67 huc plane non pertinet.

§ 4. *Nicomede* cett.] V. Appian. Mithr. 10. Memnon. p. 230, l. 16. b. Bekk.; Woltersd. p. 38 sqq.

decernitur] a. 89.

Aquilius et Manlius Maltinus] Sic Bong. et reliqui post eum. Appianus c. 11: Ῥωμαῖοι δὲ Νικομήδην ὁμοῦ καὶ Ἀριοβαρζάνην ἐπανήγον ἐς τὴν οἰκεῖαν ἑκάτερον· πρέσβεις τέ τινας αὐτοῖς ἐς τοῦτο συνέπεμψαν, ὧν Μάνιος Ἀκύλιος ἡγεῖτο. Livius: *Aquillius.* Manlium Maltinum etiam Glareanus nusquam invenerat. „Vett. quidam" Bongarsii: *Aquilius et Marcus Altinius;* alii eiusdem: *Mallius Malt.* Perizon., Goth.: *Marcus Aquil. et Mallius Maltinus.* Crac.: *Manl. Mallitius.* Edd. vett.: *Aquilius Mallius* (vel *Manlius*) *et Malthinius.* Ald.: *Aqu. Manlius*

dates societatem cum Tigrane bellum adversus Romanos gesturus iungit: pactique inter se sunt, ut urbes agrique Mithridati, homi-
6 nes vero et quaecumque auferri possent, Tigrani cederent. Post haec Mithridates intellecto quantum bellum suscitaret, legatos ad Cimbros, alios ad Gallograecos et Sarmatas Bastarnasque auxilium
7 petitum mittit. Nam omnes has gentes Romanum meditabundus bellum variis beneficiorum muneribus iam ante illexerat. Ab Scythia quoque exercitum venire iubet omnemque Orientem adversus Roma-
8 nos armat. Non magno igitur labore Aquilium et Maltinum Asiano exercitu instructos vincit; quibus simul cum Nicomede pulsis ingenti
9 favore civitatium excipitur: multum ibi auri argentique studio veterum regum magnumque belli apparatum invenit: quibus instructus debita civitatibus publica privataque remittit et vacationem quinquen-
10 nii concedit. Tunc ad concionem milites vocat eosque variis exhor-
11 tationibus ad Romana bella sive Asiana incitat. Quam orationem dignam duxi, cuius exemplum brevitati huius operis insererem; quam obliquam Pompeius Trogus exposuit: quoniam in Livio et in Sallustio reprehendit, quod conciones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excesserint.

---

et Manius Attilius. Cod. Prag.: *in quam rem* (ut 4 Gronov.) *missi tres Aquilius, Manilius et Mancinus legati.* Bongarsius: „Legendum arbitror *Manius Aquilius et M. Attilius.*" Et hoc sane ita depravari poterat, ut est in codd.: ut agnoscas virum in his versatissimum. Th. Reinesius e Vincent.: *Aqu. et M. Acilius;* Freinshemius ex Appiano c. 19: *Manilius Mancinus;* sed locus ille Appiani corruptus est: lege Schweighaeuserum p. 604. Ceterum *Maltinus* ille cum Aquilio coniungitur etiam § 8 et ab ipso Trogo c. 4, § 4: ita ut mutandum non videatur hoc nomen; gentile tamen *Manlius* incertissimum est; neque novimus Maltinum inter Manlios.

§ 6. *intellecto*] Sic omnes Gronov., Crac., Goth.; at Bong. ex uno tantum producit: ipse ut vett. edd. et Prag.: *intelligens.*

ad Cimbros] Dubitabat de his Freinshemius et e cap. 7 extr., ubi *Bosporus* memoratur, reposuit: *Cimmerios.* Cui respondet Wetzelius Cimbrorum reliquias intelligi tredecim annis ante ab Mario debellatorum: sed has neminem novi qui memoret, omnibus ad internecionem deletos esse affirmantibus. Imo Trogus (id quod me monuit cel. *Uckertus*) ad eos pertinere videtur, qui Cimmerios partem Cimbrorum vel eundem utrumque populum, idem nomen habuerint: ita enim Posidonius, ex quo multa Trogus hausit; v. Wessel. ad Diodor. V, 32. Sic ne Iustini quidem error statuendus est. — Pontanus: *Iberos.*

Bastarnas] Goth.: *Basternas;* v. ad XXXII, 3, § 16.

§ 7. *Ab Scythia*] Praepos. deest in mss. Bong., 2 Gron. Vincent.: *de Scythia.*

§ 8. *Maltinum*] Mss. Bong., Bodl., coll. C. C., Goth.: *Mallium Maltinum;* al. Bong.: *M. Altinium;* al.: *m̄ Malt.* Ald. hic et 4, § 4: *Man. Attilium.* Prag.: *Manilium.*

Asiano] proinde molli. — V. brevem narrationem bene ex aliis concinnatam Woltersdorf. p. 41 sq.

§ 11. *conciones directas*] Edd. vett.: *conc. ac orationes d.* Med. 2: *q. conc. propria oratione operi suo i.*, ut fere ubique ex ingenio corrigit,

IV. *Optandum sibi fuisse* ait, *ut de eo liceret consulere, bellumne* 1
sit cum Romanis an pax habenda: quin vero sit resistendum impu- 2
gnantibus, nec eos quidem dubitare, qui spe victoriae careant: quippe
adversus latronem, si nequeant pro salute, pro ultione tamen sua
omnes ferrum stringere. Ceterum quia non id agitur, an liceat quie- 3
scere non tantum animo hostiliter, sed etiam proelio congressis, con-
sulendum, qua ratione ac spe coepta bella sustineant. Esse autem sibi 4
victoriae fiduciam, si sit illis animus; Romanosque vinci posse cogni-
tum non sibi magis quam ipsis militibus, qui et in Bithynia Aquilium
et Maltinum in Cappadocia fuderint. At si quem aliena magis exem- 5
pla quam sua experimenta moveant, audire se a Pyrrho, rege Epiri,
non amplius quam quinque millibus Macedonum instructo fusos tribus
proeliis Romanos. Audire Hannibalem sedecim annis Italiae victorem 6
immoratum: et quin ipsam caperet urbem, non Romanorum illi vires
obstitisse, sed domesticae aemulationis atque invidiae studium. Audire 7
populos Transalpinae Galliae Italiam ingressos maximis eam plurimis-
que urbibus possidere; et latius aliquanto solum finium quam in Asia,
quae dicatur inbellis, eosdem Gallos occupasse: nec victam solum dici 8
sibi Romam a Gallis, sed etiam captam, ita ut unius illis montis tan-
tum cacumen relinqueretur; nec bello hostem, sed pretio remotum.
Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruit, in partem vi- 9

---

coll. N. saepe e libris vetustioribus. — De re quid sit iudicandum, iam inter omnes convenit. Dum in his veritatem historiae morose custodit, in aliis multo gravioribus eandem deserit ac paene ludibrio habet; dum ad singula adumbranda colores saepissime a poësi mutuatur, in toto ponendo ab eadem alienissimus est.

C. IV. § 2. *nec eos quidem*] Sic codd. et edd. sine ullo dissensu omnes, ut supr. VII, 5, § 8; nam a testibus removendus est Med. 2, qui unus: *ne eos quidem*, auctore I. Fr. Gronovio in edd. receptum. Inest h. l.: etiam ne eos quidem —; si discesseris ab iis, quibus sit victoriae spes.

§ 3. *id agitur*] Sic Bong. sine v. l., Gronoviani praeter 4 interpolatissimos, Crac., Franecq., Dorv. 2, edd. vett. omnes: quod usum Iustini respicientes recte defenderunt Vorstius et Beneckius, quem confer p. 141 sq. Vulgo suasu I. Fr. Gronovii: *id agatur*, ut 4 Gron., 2 Dorvill., Goth.

proelio congressis] Mss. Bong. et 1 Leid.: *proelii congressu.*

§ 4. *Maltinum*] 1 Bong: *M. Altinum.* Prag.: *Manilium.*

§ 5. *quinque millib. Macedonum*] V. XVII, 2, § 14.

tribus proeliis] Artificium rhetoricum; sane tria proelia commisit, in quibus si non omnibus, parte tamen maiore vicit; quare auditor non corriget recitantem, qui ad singula iam non descendit, de universis autem veri plus quam falsi dixit. Similiter XLI, 1, § 7, ubi v.

§ 6. *sedecim*] Sic omnes codd. Bong., Goth. Editiones: *sexdecim.*

obstitisse] Mss. Bong., Crac., Goth.: *restit.*

§ 7. *solum finium*] Wopkensius primum coni.: *finitimum*, sed deinde recte explicat: territorii solum. Paullo post mss. Bongars., coll. C. C., Bodl., Franecq., 2 Dorv., Goth.: *idem* (iidem) *Galli occupassent.*

§ 8. *pretio*] V. XLIII, 5, § 9.

rium suarum ipse numeret. Nam hos, qui Asiam incolunt, Gallos ab
10 *illis, qui Italiam occupaverant, sedibus tantum distare; originem qui-*
dem ac virtutem genusque pugnae idem habere: tantoque his sagaciora
esse quam illis ingenia, quanto longiori ac difficiliori spatio per Illy-
ricum Thraciamque prodierint, pene operosius transitis eorum finibus
11 *quam ubi consedere, possessis. Iam ipsam Italiam audire se numquam,*
ut Roma condita sit, satis illi pacatam, sed adsidue per omnes an-
nos pro libertate alios, quosdam etiam pro vice imperii bellis continuis
12 *perseverasse; et a multis civitatibus Italiae deletos Romanorum exerci-*
13 *tus ferro, a quibusdam novo contumeliae more sub iugum missos. Ac*
ne veteribus immoremur exemplis, hoc ipso tempore universam Italiam
bello Marsico consurrexisse, non iam libertatem, sed consortium im-
14 *perii civitatisque poscentem; nec gravius vicino Italiae bello quam do-*
mesticis principum factionibus urbem premi, multoque periculosius esse
15 *Italico civile bellum. Simul et a Germania Cimbros, immensa millia*
ferorum atque immitium populorum, more procellae inundasse Italiam:
16 *quorum tametsi singula bella sustinere Romani possent, universis tamen*
obruantur, ut ne vacaturos quidem bello suo putet.
1 V. *Utendum igitur occasione et rapienda incrementa virium, ne,*
si illis occupatis quieverint, mox adversus vacuos et quietos maius ne-

---

§ 9. *ipse numeret*] Insolite dictum: exspectes: *ipsum numerare*, pro quo interpp. perperam acceperunt; est coniunctivus in opinione exponenda usurpatus; pro quo oratione recta Mithridates diceret: *Gallorum nomen in partem virium mearum numerem* vel numerari posse credam; *nam hos* cett. Wopkens. coniecit: *ipse numerat* coll. c. 7, § 7 vel *ipsi numerent*, utrumque falso. Gronov.: *in parte v.;* hodie vulgata non indiget defensione.

§ 10. *tantoque — longiori*] Absunt a mss. Bong.

sagaciora] V. Graev. Mss. Bong., Bodl., Crac.. Prag., Goth.: *acriora*, quod etiam aliter intelligi potest ac Graevius volebat. — Mss. Bong., Goth.: *longiore — difficiliore.*

§ 11. *alios*] Mss. Bong.: *contra al.*, *contra quosd.*

pro vice imp.] Sic omnes Bong., „plerique" Gron., omnes Wopk. praeter Dorv. 3, Crac., Prag., Goth. Edd. omnes: *pro iure imp.* Sed „lectio *vice*, inquit I. Fr. Gronovius, omnino praeferenda est. Intelligit enim alteram imperii et senatus et consulum partem, ut ipsis essent vices imperii et partes: cum peterent populi Latii ius civitatis et alterum consulem et dimidiam senatus partem." Livius VIII, 4: *cur non*, inquit praetor Latinorum, *alter ab Latinis consul datur? ubi pars virium, ibi et imperii pars est.*

§ 12. *ferro*] Mss. Bong., Goth.: *ferri.*

§ 13. *immoremur*] Sic Bong. sine v. l., Prag., Goth.; Crac.: *immorentur*, quod idem est. Vulgo ex Iunt.: *immoretur*, quod in nullo libro esse arbitror. Et servandam esse veterem lectionem, iam Schefferus intellexit.

§ 14. *esse It.*] Sic Bong. e suis omnibus, et ceteri codd. Ex aperta interpolatione vett. edd.: *accessisse*, quod Graevio auctore receptum est, qui praeterea ex Iunt.: *vicinae It. b.* de quo v. Wopkens.

gotium habeant. Non enim quaeri, an capienda sint arma, sed utrum 2
sua potius occasione an illorum. Nam bellum equidem iam tunc secum 3
ab illis geri coeptum, cum sibi pupillo maiorem Phrygiam ademerint, quam patri suo praemium dati adversus Aristonicum auxilii concesserant, gentem quam et proavo suo Mithridati Seleucus Callinicus in dotem dedisset. Quid, cum Paphlagonia se decedere iusserunt, non 4
alterum illud genus belli fuisse? quae non vi, non armis, sed adoptione testamenti et regum domesticorum interitu hereditaria patri suo obvenisset. Cum inter hanc decretorum amaritudinem parendo non 5
tamen eos mitigaret, quin acerbius se in dies gerant, non obtinuisse. Quod enim a se non praebitum illis obsequium? non Phrygiam Paphla- 6
goniamque dimissas? non Cappadocia filium eductum, quam iure gentium victor occupaverat? Raptam tamen sibi esse victoriam eius ab 7
illis, quorum nihil est nisi bello quaesitum. Non regem Bithyniae 8
Chreston, in quem senatus arma decreverat, a se in gratiam illorum occisum? tamen nihilominus imputari sibi, si qua Gordius aut Tigranes faciat: libertatem etiam in contumeliam sui a senatu ultro delatam 9
Cappadociae, quam reliquis gentibus abstulerunt: deinde populo Cappadocum pro libertate oblata Gordium regem orante ideo tantum, quo-

---

C. V. § 3. *proavo suo Mithridati Seleucus Callinicus*] Vid. de re Niebuhrium *Opusc.* I. p. 261 sq. Antiochus Deus dicendus erat.

§ 4. *iusserunt*] Sic Bong., edd. vett. omnes, Crac., maior pars Gron., qui e Leidensibus (an omnibus??), Thuan., Med. 1 edidit: *iusserint.* — 6 Gron., 4 Wopk., Goth., Prag.: *venisset*, sed nullus Bong. — V. ad XXXVII, 4, § 3.

§ 5. *mitigaret*] Sic codd. paene omnes et edd. vett. Leid. 2, Prag.: *mitigari.* Vulgo ex Ald.: *mitigarit*, quod primo aspectu placet; sed illud mitigandi Romanos studium, quod diutius exercuisse se significat, in seqq. pluribus exponit: quare verum est *mitigaret.* Neque ταυτολόγος est enunciationis sententia: Cum placandis Romanis omnem frustra adhibuisset operam, ne id quidem obtinuisse, ut non maiores ipsi hostes fierent, quam fuerant ante; eos non in eodem adversus se animo permansisse, quod exspectari etiam a non placatis poterat, cum omnia ipsis concessisset, sed acerbiores in eum factos esse. (Similiter Wopkens.) Eiusmodi sententiarum subtilitatem vel argutias in nostro saepe deprehendas. Interpretum conatus, quorum nullus satis probabilis, post Wopkensium Beneckius refellit; neque tamen certiora profert ipse. — Seq. *se* omitt. mss. Bong., Franecq. (cf. Wopk.); illi etiam *non* ante *obt.*

§ 7. *Raptam — victoriam eius*] Sic Bong. et codd. plurimi: quod recto iudicio tuetur Beneckius. Vulgo ex Ald.: *raptum — victoriae ius*, ut Leid. 2, Duisb., Crac., Prag.; Bodl., Periz., Goth.: *raptum — ius victoriae.*

§ 8. *Chreston*] *Χρηστὸν*, Nicomedis fratrem; cf. Schweighaeus. ad Appian. Mithr. 10. Mss. Bong.: *Cerson;* al. eius, Bodl., coll. C. C., Goth.: *Cherson.*

§ 9. *populo Capp. — orante*] Sic Bong.; Periz., Goth.: *populo — oranti*, extremum etiam Crac. Non dubito tamen, quin Bongarsiana lectio etiam in Gronovianis habeatur. Cum in structura offenderent, Graevius ex Ald. reposuit: *populos Capp. — orantes*, quod in ceteras edd. transiit.

10 *niam amicus suus esset, non obtinuisse. Nicomedem praecepto illorum bellum sibi intulisse: quia ultum ierit se, ab ipsis ventum obviam et nunc eam secum bellandi illis causam fore, quod non impune se Nicomedi lacerandum, saltatricis filio, praebuerit.*

1 VI. *Quippe non delicta regum illos, sed vires ac maiestatem insequi; neque in se uno, sed in aliis quoque omnibus hac semper arte*
2 *grassatos. Sic et avum suum Pharnacem, per cognationum arbitria*
3 *succedaneum regi Pergameno Eumeni datum; sic rursus Eumenem, cuius classibus primum in Asiam fuere transvecti, cuius exercitu magis quam suo et Magnum Antiochum et Gallos in Asia et mox in Ma-*
4 *cedonia regem Persen domuerant: et ipsum pro hoste habitum eique interdictum Italia; et quod cum ipso deforme sibi putaverant, cum filio*
5 *eius Aristonico bellum gessisse. Nullius apud eos maiora quam Masinissae, regis Numidarum, haberi merita. Huic imputari victum Hannibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam; hunc*
6 *inter duos illos Africanos tertium servatorem urbis referri: tamen cum huius nepote bellum modo in Africa gestum adeo inexpiabile, ut ne victum quidem memoriae patris donarent, quin carcerem ac triumphi spe-*

Sed nihil hic mutandum erat; v. exempla ap. Beneckium ad II, 4, § 24, p. 40, pleraque ex Hofmanni censura grammat. Ramshorn. petita. Rationem explicare hic longum foret. — Mss. Bong. et Leid. 1: *populo optione Capp. — orant.* Quia edd. vett.: *orantem*, Schefferus: *populum Capp. — orantem.*

§ 10. *obviam et nunc*] Bong. sine v. l., Leidd. 1. 2. 5: *obv. in eo et n.:* quo quid faciam, nescio. Faber: *obv. tunc, et n.;* Schefferus: *obviam. Eo et n.;* poterat etiam: *Ideo et n.* Si ordo pateretur verborum, cogitari posset de voce *ilico.* — Gron.: *Nicomeden;* infra: *Pharnacen; Eumenen.*

C. VI. § 1. *in se uno*] Plerique Gron., Goth.: *in uno se.*

semper] Mss. Bong., Leid. 1, coll. N., Goth.: *saepe.*

§ 2. Non magis inveni apud scriptores quibus haec confirmentur et explicentur quam *Io. Vaillant*, in *Regib. Ponti* p. 50 sq. „Unde enim, inquit, Pharnacis illa cum Eumene affinitas? quae, etiamsi Eumenes grandioribus filiis caruerit, tamen Attalum, eius fratrem, qui ei successit, excluderet? Videtur igitur Eumenes parvulos tantum ex Stratonica, Ariarathis, Cappadocum regis, filia, reliquisse, qui per aetatem regnum administrare non poterant. Quam ob causam Eumenis sororem ducit Pharnaces et consensu omnium affinium succedaneus regi Eumeni nuncupatus est. Quod Attalus improbans regno succedere voluit: — quae res Senatus arbitrium videtur delata — Attalo vero regnum Senatus attribuit." Abbas *Sevinus* in suis *recherches sur les rois de Pergame* rem plane non tetigit. — Adiecturus est: *damnatum* vel *hostem iudicatum*, quod sequitur § 4.

§ 5. *illos* et *referri* abest in mss. Bong. — *Africanos*] Scipiones.

§ 6. *huius nepote*] Iugurtha.

modo] ante annos XVI; v. Bernecc. — Goth.: *nec vict. q.*, ut 7, § 5: *nec spes q.*

patris] i. e. Masinissae avi. Lectionem merito tuitus est Beneckius; et sunt exempla vel apud Schellerum s. v., in quibus haec vox non tam

ctaculum experiretur. Hanc illos regibus omnibus legem odiorum 7
dixisse: scilicet quia ipsi tales reges habuerint, quorum etiam nominibus erubescant, aut pastores Aboriginum, aut haruspices Sabinorum, aut exsules Corinthiorum, aut servos vernasque Thuscorum, aut, quod honoratissimum nomen fuit inter haec, Superbos; atque, ut ipsi ferunt, conditores suos lupae uberibus altos: sic omnem illum populum 8
luporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii divitiarumque avidos ac ieiunos habere.

VII. *Se autem, seu nobilitate illis comparetur, clariorem illa* 1
colluvie convenarum esse, qui paternos maiores suos a Cyro Darioque, conditoribus Persici regni, maternos a Magno Alexandro ac Nicatore Seleuco, conditoribus imperii Macedonici, referat: seu populus illorum conferatur suo, earum se gentium esse, quae non modo Romano imperio sint pares, sed Macedonico quoque obstiterint. Nullam subiecta- 2
rum sibi gentium expertam peregrina imperia; nullis umquam nisi domesticis regibus paruisse: Cappadociam velint an Paphlagoniam recensere; rursus Pontum an Bithyniam; itemque Armeniam maiorem minoremque: quarum gentium nullum neque Alexander ille, qui totam pacavit Asiam, nec quisquam successorum eius aut posterorum attigisset. Scythiam duos umquam ante se reges non pacare, sed tantum 3
intrare ausos, Darium et Philippum, aegre inde fugam sibi expedisse, unde ipse magnam partem adversus Romanos virium haberet. Multo- 4
que se timidius ac diffidentius bella Pontica ingressum, cum ipse rudis ac tiro esset, Scythiae praeter arma virtutemque animi locorum quoque solitudinibus vel frigoribus instructae, per quae denuntiaretur ingens militiae labor ac periculum. Inter quas difficultates ne spes qui- 5
dem praemii foret ex hoste vago nec tantum pecuniae, sed etiam sedis

---

anguste capitur; q. v. Vulgo ex Ald.: *avi*, quod in nullo codice praeterquam Gothano inesse video.

§ 7. *harusp.*] Bong.: *arusp.*

Thuscorum] Sic Bong. ubique; Gronov. e 5 interpolatis: *Tusc.*

C. VII. § 1. *Nicatore Seleuco*] ob proaviam, Seleuci Callinici sive potius Antiochi Dei filiam, c. 5. § 3 c. not.

§ 2. Nimis haec ὑπερβολικῶς dicta, ut historia arguit.

quisquam] Sic Bong., Goth., edd. vett.: quod recte reduxit Beneckius, quem v. Aliae edd., Crac.: *quisque.* Male vulgo: *quispiam*, quod unde primum venerit, non inveni.

§ 3. *Philippum*] V. ad XXXVII, 3, § 2.

§ 4. *Scythiae — instructae*] Sic Bong. sine v. l. et vett. edd. De suis codd. Gronovius nihil prodidit. Ex Iunt. vel Ald. hodie legitur: *Scythas — instructos;* Graevius: *Scythiam — instructam;* Schefferus: *Scythia — instructa*, scil. esset: cum quod ante editum erat, intelligi non posse videretur. Sed explicat Mithridates *bella Pontica*, quae dixerat, per appositionem: *Scythiae bella*, i. e. contra Scythas gesta, ut saepe Iustinus; v. Schefferum in indice. Goth., Crac.: *Scythae — instructi* sc. essent.

per quae] 1 Bong.: *praeter quae.*

6 *inope. Nunc se diversam belli conditionem ingredi. Nam neque caelo Asiae esse temperatius aliud, nec solo fertilius nec urbium multitudine amoenius; magnamque temporis partem non ut militiam, sed ut festum*
7 *diem acturos bello dubium facili magis an uberi: si modo aut proximas regni Attalici opes aut veteres Lydiae Ioniaeque audierint, quas non*
8 *expugnatum eant, sed possessum; tantumque se avida exspectat Asia, ut etiam vocibus vocet: adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas*
9 *proconsulum, sectio publicanorum, calumniae litium. Sequantur se modo fortiter et colligant, quid se duce possit efficere tantus exercitus, quem sine cuiusquam militum auxilio suamet unius opera viderint Cappadociam caeso rege cepisse: qui solus mortalium Pontum omnem Scythiamque pacaverit, quam nemo ante transire tuto atque adire potuerit.*
10 *Nam iustitiae atque liberalitatis suae nec ipsos milites, qui experiantur, testes refugere; et illa indicia habere, quod solus regum omnium non paterna solum, verum etiam externa regna hereditatibus propter munificentiam adquisita possideat, Colchos, Paphlagoniam, Bosporum.*

1 VIII. Sic excitatis militibus post annos tres et viginti sumti regni in Romana bella descendit.
2 At in Aegypto mortuo rege Ptolemaeo ei, qui Cyrenis regnabat, Ptolemaeo per legatos regnum et uxor Cleopatra regina, soror
3 ipsius, defertur. Laetus igitur hoc solo Ptolemaeus, quod sine certamine fraternum regnum recepisset, in quod subornari et a matre Cleopatra et favore principum fratris filium cognoverat: ceterum in-

---

§ 5. Mss. Bong.: *inopiae;* Crac.: *inopie;* Goth.: *inopes;* Ald.: *inopi.* § sq. mss. Bong.: *ubere.*

§ 7. *audierint*] Mss. Bong., Goth., edd. vett.: *adierint.*

§ 8. *exspectat*] Sic Bong. sine v. l., Goth.; edd. ante eum deleverant. Ald.: *exspectet*, quod de Fabri coniectura vulgo editur; male, ut iam Beneckius animadvertit. Gronovius de suis libris tacet. *Exspectat* verum est, ut vel seq. *incussit* monstrare debebat.

§ 9. Mss. Bong.: *sua et unius;* Goth.: *sua un.*

§ 10. *nec ipsos*] Ita legendum esse nuper etiam evicit Beneckius. Bong. et ceteri codd.: *ne ipsos;* unus coll. N.: *nec i.* — Mss. Bongars., Goth.: *quin exp.*

indicia] Goth., ut 2 edd.: *iudicia.*

propter mun.] Rupertus: *a c propt. m.*

Bosporum] Bong. et codd. multi: *Bosphorum*, ut saepe etiam editur.

C. VIII. § 1. Hic Trogus quoque res Mithridatis reliquisse videtur, patriae historiae scriptoribus iam traditas.

tres et viginti] Leid. 2: *XIII a.* V. Woltersdorf. *comm.* cap. III.

§ 2. *At in*] Mss. Bong., coll. N.: *atque;* Crac., Prag.: *Tunc.*

rege Ptolemaeo] Philometore, in pugna adversus Balam, a. C. 147, ex rationibus *Letronnii*, quas subinde etiam sequimur.

ei, qui Cyr. r., Ptolemaeo] Physconi fratri vel Euergetae, qui alter est.

§ 3. *in quod*] Mss. Bong., Bodl., coll. C. C., Goth.: *itaque quod;* deinde mss. Bong., Goth.: *s a t i s fratris.*

festus omnibus statim ubi Alexandriam ingressus est, fautores pueri trucidari iussit. Ipsum quoque die nuptiarum, quibus matrem eius 4
in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum et solemnia religionum in complexu matris interficit atque ita torum sororis caede filii eius cruentus adscendit. Post quod non mitior in populares, 5
qui eum in regnum vocaverant, fuit: siquidem peregrinis militibus licentia caedis data omnia sanguine quotidie manabant: ipsam quoque sororem filia eius virgine per vim stuprata et in matrimonium adscita repudiat. Quibus rebus territus populus in diversa labitur; 6
patriamque metu mortis exsul relinquit. Solus igitur in tanta urbe 7
cum suis relictus Ptolemaeus, cum regem se non hominum, sed vacuarum aedium videret, edicto peregrinos sollicitat. Quibus con- 8
fluentibus obvius legatis Romanorum, Scipioni Africano et Spurio Mummio et L. Metello, qui ad inspicienda sociorum regna veniebant, procedit. Sed quam cruentus civibus, tam ridiculus Roma- 9
nis fuit. Erat enim et vultu deformis et statura brevis et sagina ventris non homini, sed belluae similis. Quam foeditatem nimia 10
subtilitas perlucidae vestis augebat: prorsus quasi astu inspicienda praeberentur, quae omni studio occultanda pudibundo viro erant. Post discessum deinde legatorum (quorum Africanus, dum inspicit 11
urbem, spectaculo Alexandrinis fuit) iam etiam populo peregrino invisus cum filio, quem ex sorore susceperat, et cum uxore, matris pellice, metu insidiarum tacitus in exsilium proficiscitur; contractoque mercenario exercitu bellum sorori pariter ac patriae infert. Ar- 12
cessitum maximum deinde a Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra se regem crearent, interficit. Tunc populus statuas et imagines eius detrahit. Quod factum studio sororis existimans filium, quem 13
ex ea susceperat, interficit, corpusque in membra divisum et in cista compositum matri die natalis eius inter epulas offerri curat. Quae res non reginae tantum, verum etiam universae civitati acerba 14
et luctuosa fuit; tantumque moerorem festivissimo convivio intulit, ut regia omnis repentino luctu incenderetur. Verso igitur studio 15
principum ab epulis in exsequias membra lacera populo ostendunt et quid sperare de rege suo debeant, filii caede demonstrant.

---

fautores] Prag.: *altores*.
§ 5. *vocaverant*] Mss. Bong.: *moverant*; al. *promov.*
repudiat] a. C. 145.
§ 6. 7. Haec ceteri non narrant.
§ 8. *L. Metello*] Mss. Bong. omitt. praenomen.
§ 11. *in exsilium*] in Cyprum; a. C. 132.
§ 12. *maximum — filium*] Etiam hic ignotus.
§ 13. *filium*] Memphilem.
die natalis] Sic Bong., e Gronovianis nulli nisi 7 omnium interpolatissimi: qui hic e vett. correcti esse videntur. Ceteri, edd. vett.: *die natali*. Illud recte dici ostenderunt I. Fr. Gronov. et Wopkensius.

1 IX. Finito luctu orbitatis Cleopatra, cum urgueri se fraterno
bello videret, auxilium a Demetrio, rege Syriae, per legatos petit;
2 cuius ipsius varii et memorabiles casus fuere. Namque Demetrius,
ut supra dictum est, cum bellum Parthis intulisset et multis congres-
sionibus victor fuisset, repente insidiis circumventus amisso exercitu
3 capitur. Cui Arsacides, Parthorum rex, magno et regio animo misso
in Hyrcaniam non cultum tantum regium praestitit, sed et filiam in
matrimonium dedit regnumque Syriae, quod per absentiam eius
4 Trypho occupaverat, restituturum promittit. Post huius mortem
desperato reditu non ferens captivitatem Demetrius, privatam, etsi
opulentam vitam pertaesus, tacitus in regnum fugam meditatur.
5 Hortator illi et comes Callimander amicus erat: qui post captivita-
tem eius a Syria per Arabiae deserta ducibus pecunia comparatis
6 Parthico habitu Babylonem pervenerat. Sed fugientem Phrahates,
qui Arsacidae successerat, equitum celeritate per compendiosos tra-
7 mites occupatum retrahit. Ut est deductus ad regem, Callimandro
quidem non tantum venia, verum etiam praemium fidei datum:
Demetrium autem et graviter castigatum ad coniugem in Hyrcaniam
8 remittit artioribusque custodiis observari iubet. Interiecto deinde
tempore, cum fidem illi etiam suscepti liberi facerent, eodem amico
comite repetita fuga est: sed pari infelicitate prope fines regni sui
deprehenditur; ac denuo perductus ad regem, ut invisus, a con-
9 spectu submovetur. Tunc quoque uxori et liberis donatus in Hyrca-
niam, poenalem sibi civitatem, remittitur talisque aureis ad expro-
10 brationem puerilis levitatis donatur. Sed hanc Parthorum tam mitem
in Demetrium clementiam non misericordia gentis faciebat, nec re-
spectus cognationis: sed quod Syriae regnum adfectabant, usuri

---

C. IX. § 1. *cuius ipsius*] 7 Gronov., Crac.: *cuius et i.*

§ 2. *supra*] XXXVI, 1, § 5. 6.

§ 3. *Arsacides*] V. ad l. l. § 3. Seqq.: *Parthorum — misso* in vett. omnibus Bong. desunt, exhibentibus: *Arsacides par in Hyrc.*

filiam] Rhodogunam, quam Appianus narrat a fratre Phrahate datam esse.

Trypho] V. XXXVI, 1, 7 sq.

§ 4. *huius* (Mithridatis I) *mortem*] a. C. 136.

§ 5. *Callimander*] *Καλλίμανδρος*, ut 4 Gronov., Goth., al. recc. Bong. et codd.: *Gallim.*, ut supra saepe *Gallinicus.* Sic etiam § 7. Alibi non memoratur. — *ducibus*] viae.

§ 7. *datum*] Mss. Bong: *datur.*

§ 8. *deprehenditur*] Post Graevium in edd. receptum est: *reprehenditur;* v. intt. ad h. l.; sic autem 1 Bong., 4 Gronov. interpolatissimi, Goth., Prag., quaedam edd. vett. Sed correctoris esse videtur, neque necessarium, ob seq. *perductus ad r.;* cf. XXXIX, 2, § 6.

§ 9. *ad exprobr.*] 11 Gron., Goth.: *in expr.*

Demetrio adversus Antiochum fratrem, prout res vel tempus vel fortuna belli exegisset.

X. His auditis Antiochus occupandum bellum ratus exercitum, 1 quem multis finitimorum bellis induraverat, adversus Parthos ducit. Sed luxuriae non minor apparatus quam militiae fuit: quippe octo- 2 ginta millia armatorum secuta sunt trecenta millia lixarum, ex quibus coquorum, pistorum scenicorumque maior numerus fuit. Argenti 3 certe aurique tantum, ut etiam gregarii milites caligas auro figerent proculcarentque materiam, cuius amore populi ferro dimicant. Cu- 4 linarum quoque argentea instrumenta fuere, prorsus quasi ad epulas, non ad bella pergerent. Advenienti Antiocho multi Orientales 5 reges occurrere tradentes se regnaque sua cum exsecratione superbiae Parthicae. Nec mora congressioni fuit. Antiochus tribus proeliis 6 victor, cum Babyloniam occupasset, magnus haberi coepit. Itaque omnibus ad eum populis deficientibus nihil Parthis reliqui praeter patrios fines fuit. Tunc Phrahates Demetrium in Syriam ad occu- 7 pandum regnum cum Parthico praesidio mittit, ut eo pacto Antiochus ad sua tuenda a Parthia revocaretur. Interim, quoniam viribus non poterat, insidiis Antiochum ubique tentabat. Propter mul- 8 titudinem hominum exercitum suum Antiochus per civitates in hiberna diviserat: quae res exitii causa fuit. Nam cum gravari se copiarum praebitione et iniuriis militum civitates viderent, ad Parthos deficiunt; et die statuta omnes apud se divisum exercitum per insidias, ne invicem ferre auxilia possent, adgrediuntur. Quae cum nuntiata 9 Antiocho essent, auxilium proximis laturus cum ea manu, quae secum hiemabat, progreditur. In itinere obvium regem Parthorum habuit, adversus quem fortius quam exercitus eius dimicavit. Ad 10 postremum tamen, cum virtute hostes vincerent, metu suorum de-

---

§ 10. *Antiochum fratrem*] minorem natu, Sidetem dictum, qui novem annis post prius Demetrii imperium regnavit.

C. X. § 2. Mss. Bong.: *Sed per luxuriam.*

trecenta millia l] Vocem *millia* omitt. 6 Gron., Goth.; Orosius et Paulus Diacon. IV, 25: *centum millia armatorum, ducenta millia amplius calonum atque lixarum, immixta scortis et histrionibus.* Med. 2, Prag: *ducenta m.* His consentit Diodorus Exc. Vatt. XXXIV sqq. nr. 9: *τριάκοντα μυριάδες σὺν τοῖς ἐκτὸς τῆς τάξεως ἀναβεβηκόσιν.* Ald.: *XXX m.* Paullo post mss. Bong., coll. C. C.: *pistorumque*, omisso *scenicorum.*

§ 3. *figerent*] 1 Bong., 4 Gron., Crac.: *facerent;* 1 Bong., 2 Gronov. interpolatissimi: *suerent.* Prag.: *militis caligae a. fulgerent.*

§ 5 sqq. Sunt in hac expeditione annis 132 et 131 facta, quae dubitationem admittant, indicata a Froelichio *Annal. Syriae* pag. 80 sqq. et Prolegomenis, ubi ceteri quoque fontes habentur, ut in Vaillantii *Ann. Ars.* p. 53 sqq.

§ 10. *Ad postr.*] Mss. Bong., Goth.: *Sed p.* (G.: *postremo.*)

vincerent] Freinshemius: *vinceret;* sed v. Appian. ap. Gron. p. 973.

metu suorum] in quibus Athenaei ducis; v. Diod. Exc. p. 603 ibiq. Vales.

sertus occiditur: cui Phrahates exsequias regio more fecit, filiamque Demetrii, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore virginis,
11 uxorem duxit. Poenitere deinde dimissi Demetrii coepit: ad quem retrahendum cum turmas equitum festinato misisset, Demetrium hoc ipsum metuentem iam in regno missi invenerunt; frustraque omnia conati ad regem suum reversi sunt.

---

§ 11. Adde XLII, 1.

LIBER XXXIX.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XXXIX.*)

Nono et tricesimo volumine continentur haec. Ut exstincto a Parthis Antiocho Sidete [1]) frater eius Demetrius dimissus regnum Syriae recepit: subornatoque in bellum adversus eum Alexandro Zabineo [2]) interiit: filiusque Antiochus Grypos [3]) victo Zabineo regnum occupavit: dehinc cum fratre suo Antiocho Cyziceno [4]) bellum in Syria Ciliciaque gessit. Ut Alexandriae [5]) mortuo rege Ptolemaeo Physcone filius eius, Ptolemaeus Lathyros [6]), accepto regno expulsus est a matre Cyprum; et in Syria [7]) bello petitus ab eadem, suffecto in locum eius Alexandro, donec [8]) occisa per Alexandrum matre recepit Aegypti regnum. Ut post Lathyrum [9]) filius Alexan-

---

[1]) Modius: *Sedete*, ut pr. XXXVI, n. 1.

[2]) Vett.: *Zabbineo.* 3 Gronov. una litt. *b* scribunt. Crac.: *Sab.*, ut *Sopyrion.* Quod graece *Ζαβινᾶς* est, Grauertus maluit: *Zabina;* sed permutantur hae terminationes, ut *Arcus* et *Areas.*

[3]) Vett.: *Gryppos*

[4]) Sic Maxim., Periz., Crac., levi quisque scripturae mendo. Vett.: *Yzigeno.*

[5]) Sic Freinshemius. Codd.: *Alexandria.*

[6]) Ita Mod.; vett.: *Latyros.*

[7]) „Lathyrus non fuit a matre bello petitus in Syria, sed e Cypro in Syriam fugatus [v. laud. ad c. 4, § 2]: emenda igitur: *expulsus est a m. in Cyprum et in Syriam, bello* cett." Et hoc melius, quam quod Grauertus proposuit: *et in Cypro.*

[8]) Sic plane Periz., Crac., ut Bongars. coniecerat; vett. enim: *Alexandrone occ.* Multi ap. Gron.: *fratre Al.* vel *Al. fratre.*

[9]) Vett.: *Laphyrum;* recte Periz. et Crac.; de *Notho* cf. Freinsh. In Lathyro Iustinus historiam Aegypti et pauculis adiectis librum finit.

dri regnarit expulsoque eo suffectus sit Ptolemaeus Nothus. Ut Syriam Iudaei et Arabes terrestribus latrociniis infestarint: mari Cilices piraticum bellum moverunt[10]), quod in Cilicia Romani per Antonium[11]) gesserunt. Ut in Syria Heracleo[12]) post mortem regis occuparit[13]) imperium.

---

[10]) Gronov.: *moverint*, e coni. Freinsh. Periz.: *moverent.*
[11]) Periz., Crac.: *Marcum A.* Nonnulli male: *Antigonum.* „Sed praeterea exciderunt fort. haec fere: *in Creta per Q. Caecilium Metellum.* Cur enim repetit *in Cilicia?*" Grauert.
[12]) Sic 2 Leidd., Periz. Vett.: *eracleo.* Emendavit Freinshem. e Iosepho. Ad a. 97 a. C. refert Froelichius in *Ann. Syr.* p. 104. 2 Vatt.: *Syriam Edeo* vel *Cheo.* At Longuerr.: *Ut in Syria Arabes Antiocho* (*occiso*) *post m. r. o. i.*
[13]) Vett.: *occuparint.* 3 Gronov.: *occuparent;* Crac.: *occuparetur.*

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Demetrius interfecto fratre Antiocho, dum Aegyptum tentat, Syriam amittit; et tandem cruento fato tollitur.*
2. *Alexander ex ignobili rex factus, dum fortunam suam non reverenter habet, foede perit, interfectus a Grypo, qui et matrem et fratrem exstinguit.*
3. *Cleopatra regina mater in Aegypto gravissimas turbas concitat: unde horrendae lanienae ex mulierum ira, quarum interitus describitur.*
4. *Peculiares tragoediae, quas Cleopatra inter suos excitat. Tandem illa a filio Alexandro occupata interficitur.*
5. *Alexander in exsilium agitur revocato Ptolemaeo Lathuro. Romanis ad Orientalia regna excurrentibus Syria et Aegyptus vexantur.*

I. Antiocho in Parthia cum exercitu deleto frater eius Deme- 1
trius obsidione Parthorum liberatus ac restitutus in regnum, cum
omnis Syria in luctu propter amissum exercitum esset: quasi Par- 2
thica ipsius ac fratris bella, quibus alter captus, alter occisus erat,
prospere cessissent, ita Aegypto bellum inferre statuit, regnum

---

C. I. § 1. Mss. Bong., Goth., 3 Gron.: *liberatus dein* vel *deinde ac r.* — Luctus describitur Diod. Exc. Vatt. XXXIV—VI, 9.
§ 2. *cessissent*] Emendatio Bongarsii, prius etiam Francisci Asulani in Ald., et correctoris Med. 2. Mss. Bong., Goth., Gronoviani, ut vi-

Aegypti Cleopatra socru pretium auxilii adversus fratrem suum pol-
3 licente. Sed dum aliena adfectat, ut adsolet fieri, propria per de-
fectionem Syriae amisit: siquidem Antiochenses primi duce Tryphone,
exsecrantes superbiam regis, quae conversatione Parthicae crudeli-
tatis intolerabilis facta erat, mox Apameni ceteraeque civitates exem-
4 plum secutae per absentiam regis a Demetrio defecere. Ptolemaeus
quoque, rex Aegypti, bello ab eodem petitus, cum cognovisset
Cleopatram, sororem suam, opibus Aegypti navibus impositis ad
filiam et Demetrium generum in Syriam profugisse, immittit iuve-
nem quemdam Aegyptium, Protarchi negotiatoris filium, qui regnum
5 Syriae armis peteret: et composita fabula, quasi per adoptionem
Antiochi regis receptus in familiam regiam esset, nec Syriis quem-
libet regem adspernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam, no-
men iuveni *Alexandri* imponitur auxiliaque ab Aegypto ingentia mit-
6 tuntur. Interea corpus Antiochi interfecti a rege Parthorum in lo-
culo argenteo ad sepulturam in Syriam remissum pervenit: quod
cum ingenti studio civitatium et regis Alexandri ad firmandam fabu-

---

detur, longe plures: *gessissent;* quod idem erat, ut XL, 2, § 4. Bong.: *gessisset;* 1 ei. et Magl.: *evenissent;* Leid. 2: *evasissent.*

Cleopatra socru] Redi ad XXXVIII, 9 in.

§ 3. *duce Tryphone*] at Tryphon iam ante octo annos ab Antiocho Sidete occisus erat; Iustinus quidem XXXVI, 1, § 8 nihil nisi: *bello vincitur;* sed quod diximus constat ex Appiano 68, Ioseph. Antiq. XIII, 7, § 2. Nisi igitur alius hic Tryphon est, ceteris non memoratus, errorem statuamus oportet a scriptore commissum; ac sane in priore seditione primi defecerant Antiochenses; deinde aliae civitates (Ioseph. XIII, 5); et Apameni Tryphonis populares erant. In Bongars. aliquot codd. desunt verba: *primi d. Tr. exsecr.;* unde unus: *Ant. propter superbiam* cett.

Apameni] Sic 7 Gronov., Goth. atque al. Bong.: *Apamenii*, falsa forma, vel errore librariorum orta, dum de *Armeniis* similibusque cogitarent, vel ex noto scribendi more.

per abs. regis] Sic omnes codd. praeter unum Bong., ex quo vulgo editum legitur: *p. a. eius*, quod ita depravari non poterat. Graevius dicere volebat *regis*, qui maiestate, si adfuisset, seditionem cohibere potuisset, *absentiam.*

§ 5. *et composita*] Sic Bong. sine v. l., Crac., Prag., Vincent. et Gronoviani sine dubio omnes. Voc. *et* Schefferus expunxit assentiente Ald., qua auctore (adde lib. Goth.) hodie ita editur. Sed iam Beneckius vidit iungendum esse *et* cum seq. *nec;* hoc si nolis, capias ex eo usu historicorum, quo narrationem iungit, ut *iam*, *inde.*

Antiochi] Sidetis.

Alexandri] cognomine Zabinae, quod Syris significat *emtus.* — A. 128.

§ 6. *pervenit*] Sic Bong., Crac., Goth., e Gronovianis duo tantum (?), edd. vett. Graevius ex Iunt. receperat: *supervenit*, i. e. „inopinato venit et peropportune in illo mimo." Sed non opus hac mutatione, cum respici videatur ad XXXVIII, 10, § 10: *cui Phrahates exsequias regio more fecit* socero suo: ad quam humanitatem pertinebat, ut corpus patriae redderet. — 7 Gron., Crac., Goth., Vinc.: *ad confirmandam f. f.*

lae fidem excipitur. Quae res illi magnum favorem popularium conciliavit omnibus non fictas in eo, sed veras lacrimas existimantibus.
Demetrius autem victus ab Alexandro, cum undique circumstantibus 7
malis premeretur, ad postremum etiam ab uxore filiisque deseritur.
Relictus igitur cum paucis servulis cum Tyrum religione templi se 8
defensurus petisset, navi egrediens praefecti iussu interficitur. Alter 9
ex filiis, Seleucus, quoniam sine matris auctoritate diadema sumsisset, ab eadem interficitur; alter, cui propter nasi magnitudinem cognomen *Grypos* fuit, rex a matre hactenus constituitur, ut nomen regis penes filium, vis autem omnis imperii penes matrem esset.

II. Sed Alexander occupato Syriae regno, tumens successu re- 1
rum, spernere iam etiam ipsum Ptolemaeum, a quo fuerat subornatus in regnum, superba insolentia coepit. Itaque Ptolemaeus re- 2
conciliata sororis gratia destruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii viribus suis adquisierat, summis opibus instituit. Mittit igi- 3
tur ingentia Grypo auxilia et filiam Tryphaenam Grypo nupturam, ut populos in auxilium nepotis non societate tantum belli, verum et adfinitate sua sollicitaret. Nec res frustra fuit: nam cum omnes 4
Grypum instructum Aegypti viribus viderent, paullatim ab Alexandro deficere coepere. Fit deinde inter reges proelium, quo victus 5
Alexander Antiochiam profugit. Ibi inops pecuniae, cum stipendia

---

§ 8. *interficitur*] a. 126.

§ 9. *Grypos*] Sic Med. 2; reliqui autem Gron. et Wopk.: *Gryphos*, *Gripus* et similiter, casu recto omnes. Bongarsius tamen in vett. suis haberi testatur: *Grypo* (sic Crac. et edd. vett., quae: *Grypho*), in uno tantum *Gryphos;* sed cum in reliquis tantus sit consensus, librariis h. l. graecam formam fraudi fuisse putem; in peregrinis enim nominibus, ne casuum declinatione obscuriora etiam redderentur, nominativo uti scriptores amabant. Cf. Beneckium p. 227, alios ad h. l. Ceterum *magnitudinem nasi* non satis proprie dixit; γρυπὸς est καμπυλόῤῥιν, ὁ ἐπικαμπῆ τὴν ῥῖνα ἔχων, Hesych. Cognominabatur etiam *Philometor*.

vis autem omnis imp.] Edd. vett. et Bongars. e suis praeter unum, 5 (?) Gron., Goth., Crac., Vincent.: *ius autem o. i.*, quod copiose defenderunt Wopkensius, post eum Beneck.; audirem, si vox *omnis* vel abesset, ut in Crac., vel legeretur *omne*, mutatione prope nulla. Verum servata hac voce recipienda est cum editoribus recentt. coni. Bernecceri, lectio unius Bong. et Aldinae: *vis;* v. Bernecc., N. Heins. ad Vellei. II, 3. In ductibus nihil paene interest.

C. II. § 3. *Tryphaenam*] Sic Graevius. Bong. et codd.: *Tryphenam;* 1 Bong.: *Trifinam;* infra *Tirfaenam*. Vincent. et edd. vett.: *Gryphinam*. Similiter c. 3 In nonnullis Bong. absunt verba *Tryph. Grypo*. Alibi de hac muliere non legi.

sollicitaret] Mss. Bong., 11 Gron., Goth.: *sollicitet*, quod recipi non debebat.

§ 4. Mss. Bong.: *Grippum*, ut Goth. ubique.

§ 5. *Fit deinde*] Sic Bong. sine v. l., 9 Gronov., Crac., Prag., Goth., edd. vett. Nescio unde edd. Graevii et Gron.: *F. denique*.

militibus deessent, in templo Iovis solidum ex auro Victoriae signum tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circumscribens: nam *Victoriam*
6 *commodatam sibi ab Iove esse* dicebat. Interiectis deinde diebus, cum ipsius Iovis aureum simulacrum infiniti ponderis tacite evelli iussisset deprehensusque in sacrilegio concursu multitudinis esset in fugam versus: magna vi tempestatis oppressus ac desertus a suis a latroni-
7 bus capitur; perductusque ad Grypum interficitur. Grypus porro reciperato patrio regno externisque periculis liberatus insidiis matris appetitur. Quae cum cupiditate dominationis prodito marito Demetrio et altero filio interfecto huius quoque victoria inferiorem dignitatem suam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni
8 obtulit. Sed Grypus praedictis iam ante insidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam iubet; abnuenti instat: postremum prolato indice eam arguit, *solam defensionem sceleris superesse* adfirmans, *si bibat, quod filio obtulit.* Sic victa regina scelere in se
9 verso veneno, quod alii paraverat, exstinguitur. Parta igitur regno securitate Grypus octo annis quietem et ipse habuit et regno prae-
10 stitit. Natus deinde illi est aemulus regni, frater ipsius Cyzicenus, eadem matre genitus, sed ex Antiocho patruo susceptus, quem cum veneno tollere voluisset, ut maturius armis cum eo de regno contenderet, excitavit.

1 III. Inter has regni Syriae parricidiales discordias moritur rex Aegypti Ptolemaeus, regno Aegypti uxori et alteri ex filiis, quem illa legisset, relicto: videlicet quasi quietior Aegypti status quam Syriae regnum esset, cum mater altero ex filiis electo alterum ho-
2 stem esset habitura. Igitur cum pronior in minorem filium esset, a populo compellitur maiorem eligere: cui prius quam regnum daret,

---

in templo I.] Sic mss. nescio quot Bongars., 5 Gronov., Franecq., Dorv. 3, Goth., Vincent., edd. vett.: recte recepit Beneckius, quem v. Vulgatum tamen, etiam Bongarsii: *templo*, non capio pro dativo, neque pro abl. a *tolli* pendente, ut Wopk., sed pro abl. loci, qui hac aetate probari fortasse potest, florentiori in talibus non usurpatus. Quos pro optimis Gronovius habet, Medicei, praebent: *e templo!*

Victoriam] quam Iupiter manu quasi porrigebat.

§ 8. *prolato*] Mss. Bong.: *praelato.*

§ 9. Mss. Bong.: *extinguitur. Regni securitatem Gr. o. a. quietam et i. h.* De re v. Froelichii *Annal.* p. 92.

§ 10. *Cyzicenus*] Antiochus, Antiochi Sidetis, fratris Demetrii, mariti Cleopatrae, filius, ob metum Demetrii Cyzici educatus. Post mss. Bong., 4 Gron.: *sed Ant.*, omissa praepos. — A. 116.

C. III. § 1. *parricidiales*] V. ad XXXVII, 1, § 4. Gronov. h. l. e 4 codd.: *parricidales.*

moritur] a. C. 117.

videlicet quasi quietior] Acute Med. 2: *scilicet ne qu. — regni e.* I. Fr. Gronov.: *Syriae futurus esset.*

§ 2. *minorem*] Ptolemaeum Alexandrum.

maiorem] Ptol. Lathurum. — Hoc vide ut confirmet Letronnius, *re-*

uxorem ademit; compulsumque repudiare carissimam sibi sororem Cleopatram minorem sororem Selenen ducere iubet, non materno inter filias iudicio, cum alteri maritum eriperet, alteri daret. Sed 3
Cleopatra non tam a viro repudiata quam a matre divortio viri dimissa Cyziceno in Syria nubit; eique ne nudum uxoris nomen adferret, exercitum Grypi sollicitatum velut dotalem ad maritum deducit. Par igitur viribus fratris Cyzicenus proelium committit ac victus 4
in fugam vertitur Antiochiamque venit. Tunc Antiochiam Grypus, 5
in qua erat Cyziceni uxor Cleopatra, obsidere coepit: qua capta Tryphaena, uxor Grypi, nihil antiquius quam sororem Cleopatram requiri iussit; non ut captivae opem ferret, sed ne effugere captivitatis mala posset, quae sui aemulatione in hoc potissimum regnum invaserit hostique sororis nubendo hostem se eius effecerit. Tum 6
peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam a fratre contra matris voluntatem extra Aegyptum nuptam accusat. Contra Grypus orare, *ne tam foedum facinus facere cogatur: a nullo* 7
umquam maiorum suorum inter tot domestica, tot externa bella post victoriam in feminas saevitum, quas sexus ipse et periculis bellorum et saevitiae victorum eximat; in hac vero praeter commune bellantium 8
fas accedere necessitudinem sanguinis: quippe ipsius, quae tam cruente saeviat, sororem equidem germanam esse, suam vero consobrinam; liberorum deinde communium materteram. His tot necessitudinibus 9

---

cherches pour servir à l'histoire de l'Egypte p. 106 sq. in quo capite alia quoque inveniuntur ad hunc librum pertinentia.]

Selenen] Edd. vett., codd. Crac., Prag.: *Seleucen.* Res alibi non narratur. *Selenen* vocat etiam Appian. Syr. 69.

§ 3. *Grypi*] qui fortasse *Aegypti vires*, quibus instructus Alexandrum vicerat (c. 2, § 4), etiam tum retinebat. *Grippi* praebent mss. nescio quot Bong., Goth., Crac., Prag.; quid sit in aliis, ignoratur. Bongarsius tamen edd. vett. lectionem: *Cypri* servavit, ut optimis suis exhibitam. Defendit hoc Vorstius coll. § 6: *peregrinos exercitus;* damnarunt ceteri, quia alieni tantum exercitus dici possint *sollicitari;* sed ipsiusne Cleopatrae erat exercitus Cyprius? non verisimile.

§ 4. *Antiochiamque venit*] Desunt haec in mss. Bong., coll. C. C., Bodl., Goth., Prag. — Ex his omnibus paucula tantum apud alios leviter tanguntur.

§ 5. *nihil antiquius quam s. C. r. iussit*] i. e. nihil antiquius quam ut sororem C. requiri iuberet, habuit: cuiusmodi exempla etiamsi, dum haec scribebam, in promptu non erant, in historiarum scriptoribus inveniuntur; vel Iustinum alicubi bona hac aptaque narrationi βραχυλογίᾳ uti recordor. Graevius Franc. Asulani correctionem: *duxit* in ed. a. 1694 ex Iunt. receperat, assentientibus editoribus plerisque; v. Wopkens. et Beneck.; sed idem a. 1701 codd. scripturam reduxit. Schefferus ex 1 Bongars.: *nihil ante quam* cett., pro quo Wopkensius malebat: *nihil prius quam* cett.

§ 8. *sororem equidem*] De his Wopk. h. l., Beneck. ad XXXVIII, 5, § 3. Modius coniecerat: *sororem, et quidem germ.*, ut 4 Gron.

sanguinis adiicit superstitionem templi, quo abdita profugerit: *tan-
toque religiosius colendos sibi deos, quo magis his propitiis ac faven-
tibus vicisset; tum neque occisa illa se virium quidquam Cyziceno dem-
10 *turum, nec servaturum reddita.* Sed quanto Grypus abnuit, tanto
soror muliebri pertinacia accenditur, rata non misericordiae haec
verba, sed amoris esse. Itaque vocatis ipsa militibus mittit qui
11 sororem confoderent. Qui ut in templum intraverunt, cum evellere
eam non possent, manus amplexantis deae simulacrum praeciderunt.
Tunc Cleopatra exsecratione parricidarum mandata violatis numini-
12 bus ultione sui decedit. Nec multo post repetita proelii congressione
victor Cyzicenus uxorem Grypi Tryphaenam, quae paullo ante so-
rorem interfecerat, capit; eiusque supplicio uxoris manibus paren-
tavit.
1 IV. At in Aegypto Cleopatra cum gravaretur socio regni, filio
Ptolemaeo, populum in eum incitat; abductaque ei Selene uxore,
eo indignius, quod ex Selene iam duos filios habebat, exsulare co-
git, arcessito minore filio Alexandro et rege in locum fratris consti-
2 tuto: nec filium regno expulisse contenta bello Cypri exsulantem
persequitur. Unde pulso interficit ducem exercitus sui, quod vivum
eum e manibus dimisisset; quamquam Ptolemaeus verecundia ma-
3 terni belli non viribus minor ab insula recessisset. Igitur Alexander
territus hac matris crudelitate et ipse eam reliquit, periculoso regno
4 securam ac tutam vitam anteponens. Cleopatra vero timens, ne
maior filius Ptolemaeus ab Cyziceno ad reciperandam Aegyptum au-
xiliis iuvaretur, ingentia Grypo auxilia et Selenen uxorem, nuptu-
5 ram hosti prioris mariti, mittit; Alexandrumque filium per legatos in

---

§ 9. *profugerit*] Goth.: *profugerat.*
servaturum redd.] Mss. Bong.: *reservaturum tradita.*
§ 11. *exsecratione parr.* cett.] Explicandum est cum Wopkensio: eo, quod exsecrabatur parricidas, sive dum exsecrabatur, mandans ultionem sui diis; nam audiunt diras et exsequuntur in noxiis. I. Fr. Gronovius coniicit: *cum exsecr.*, quod Beneckius ad X, 3, 3 refutaturus dictiones dissimiles miscet. Med. 2: *in obsecr.*
§ 12. Mss. Bong.: *impienamque paullo* vel *impiamque p.*, ut videtur, pro nomine mulieris.

C. IV. § 1. *At in A.*] Mss. Bong.: *Ut* (?) *tunc in A.*
socio] I. Fr. Gronov.: *socium;* v. XX, 2, § 12. — De temporibus horum imperiorum v. Porphyr. ap. Euseb. I, c. 22, § 3—5, p. 117 sqq. Mai.
rege — constituto] a. C. 107.
§ 2. *e manibus dimisisset*] ut Caes. B. C. III, 49, 3. 10 codd. Gron., Vincent., Goth., Periz. (hi duo praepos. omittunt), vett. edd.: *emisisset*, sed unus tantum Bong.
recessisset] in Syriam cum exercitu triginta millium, Ioseph. XIII, 12, § 2. 3.
§ 4. Quaedam ex his disertius narrat Ioseph. XIII, 13.

regnum revocat: cui cum occultis insidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur; spiritumque non fato, sed parricidio dedit: digna prorsus hac mortis infamia, quae etiam matrem toro 6
expulit; et duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit; et filio alteri in exsilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitium per insidias machinata est.

V. Sed nec Alexandro caedes tam nefanda inulta fuit. Nam 1
ubi primum compertum est scelere filii matrem interfectam, concursu populi in exsilium agitur revocatoque Ptolemaeo regnum redditur: qui neque cum matre bellum gerere voluisset, nec a fratre armis repetere, quod prior possedisset.

Dum haec aguntur, frater eius ex pellice susceptus, cui pater 2
Cyrenarum regnum testamento reliquerat, herede populo Romano instituto decedit. Iam enim fortuna Romana porrigere se ad Orien- 3
talia regna, non contenta Italiae terminis, coeperat. Itaque et ea pars Libyae provincia facta est; postea Creta Ciliciaque piratico bello perdomitae in formam provinciae rediguntur. Quo facto et 4
Syriae et Aegypti regna Romana vicinitate artata, quae incrementa de finitimis bellis quaerere solebant, ademto vagandi arbitrio vires suas in perniciem mutuam converterunt: adeo ut adsiduis proeliis 5
consumti in contemtum finitimorum venerint praedaeque Arabum genti, imbelli antea, fuerint: quorum rex Erotimus fiducia septin- 6

---

§ 5. *occultis*] Mss. Bong.: *occultatis*.

C. V. § 1. *primum*] Deest in Periz., Crac.

concursu populi] seditione potius militari, ut Porphyrius.

Ptolemaeo] Lathuro vel Soteri. Regnat ab a. 89 ad a. 81.

§ 2. *frater*] ex Physcone Ptolemaeo, Ptol. Apion; v. locc. ap. Lips. ad Tacit. Ann. XIV, 18. — U. c. 657. — Bongarsius: „In plerisque mss. manca haec sunt.“ Unus ei.: *Igitur Alexander regni Cyrenis, quod ei pater test. rel.* Crac.: *Ig. Al. regnum, quod ei p. t.*

§ 3. *provincia facta*] imo triginta ferme annis post; nam primum Livio auctore (epit. LXX) *senatus eius* (Apionis) *regni civitates liberas esse iussit.* Inde Cyrenaei tyrannis vexati a Lucullo leges acceperunt (Plutarch. p. 492, E); denique U. c. 686 in provinciae formam videntur redacti esse. V. de his magna sollertia quaerentem Henr. Valesium ad Ammian. Marc. XXII, 16, p. 521 sq. Wagn., ubi idem commentum istud de duobus Ptolemaeis Apionibus, altero Cyrenes, Libyae rege altero, praeclare refutat.

Creta] a Q. Caecilio Metello debellata, U. c. 686.

Cilicia] iam a. 679 a P. Servilio (Isaurico) victa.

piratico bello] a Pompeio a. 687 confecto.

§ 4. *de finitimis bellis*] i. e. a finitimis per bella, ut iam intellexit I. Fr. Gronov.; v. Wopk.

§ 6. *Erotimus*] Vett. edd., etiam Ald.: *Herotimus*, ut Perizonius. Bong.: *Eurotimus*, quod cum nusquam invenerim, vereor ne vitium sit typographi. 3 Gronov.: *Hierotimus;* 1 Bong., Prag.: *Hierotinus;* Goth.: *horodimus*. Rex ignotus, nisi forte *Aretas*, quem significari Is. Vossius non dubitabat. Ac profecto hic iam ante Grypi mortem Arabum regnum

gentorum filiorum, quos ex pellicibus susceperat, divisis exercitibus nunc Aegyptum, nunc Syriam infestabat; magnumque nomen Arabum viribus finitimorum exsanguibus fecerat.

---

habebat (Ioseph. XIII, 13, § 3) et ultra Pompeii victoriam continuavit; Obĕdas autem vel Obŏdas, qui simul cum eo vel aliis Arabum nationibus imperabat (v. Ios. l. l. § 5), pater ipsius fuisse videtur, de quo Steph. Byz. v. *Αυαρα*. Nisi igitur Erotimum aliis Arabiae populis praefuisse tibi persuadeas, pro Areta eum accipere debebis. Ceterum si haec ex aliorum scriptorum reliquiis iudicari licet, nimis hyperbolica sunt.

exsanguibus] Mss. Bong.: *exsanguinibus*, ut XLI, 6, § 3, ubi iidem: *exsanguines*.

LIBER XL.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XL.*)

Quadragesimo volumine continentur haec. Ut mortuo Grypo [1]) rege Cyzicenus cum filiis eius bello congressus interiit: hi deinde a filio Cyziceni Eusebe [2]); extinctaque regum [3]) Antiochorum domo Tigranes Armenius Syriam occupavit: quo [4]) mox victo Romani abstulere eam. Ut Alexandriae post interitum Ptolemaei Lathyri substituti sint eius filii: alteri [5]) data Cypros, cui Publii Claudii rogatione [6]) Romani abstulerunt eam: alter seditione flagitatus [7]) Alexandriae Romam [8])

---

[1]) Codd.: *Cypro*. Emendavit Bong. Paullo post vett.: *Cizycenus*.

[2]) Vett.: *Hii — Cizyceni esebe*. Crac.: *Nesebe*. Reliqui lectionem codd., quae ita intelligi potest: hi deinde interierunt ab Eusebe: etsi scriptorem id voluisse non credo. Bong. inseruit *interfecti;* ed. Oxon.: *occisi*. Grauert.: *His* — [*interfectis*] *extinctaque* cett. Rem v. in Froelichii *Annal.* p. 104 sqq. Ut nos, ni fallor, etiam Longuerrius.

[3]) Sic Romani, al. recc. Vett.: *regubi*, unde Bong. et Mod.: *regali*. Ceterum haec de Tigrane et Syria in provinciae formam redacta sola Iustinus servavit.

[4]) „Malim *Quoi* aut *cui*." Bong.

[5]) Sic Bong. Vett.: *Ut Alexandriam p. i. Pt. Latirii* (Periz.: *Lathiri*) *s. s. e. filia* (2 Gron.: *filii*) *d.* Crac.: *eiusque filia Altina data Cyro, cui Clodii rogatione R. a. e.*

[6]) Sic Vat. 2 et Maxim. Vett.: *post Cl. rogationem*. 5 Gronov.: *Clodii; 2*: *preclodii*, omisso *post*.

[7]) i. e. vexatus, ut explicat I. Fr. Gron. Longuerr., Grauert.: *exagitatus*.

[8]) Vett.: *Romae*. Emendavit Bong.; itaque Periz., Crac., Maximin.

profugit, belloque per Gabinium gesto recepit imperium: quo mortuo successit filius[9]): qui cum sorore Cleopatra certamine insumpto[10]) et Pompeium Magnum interfecit et bellum cum Caesare Alexandriae[11]) gessit. Ut successit eius soror regno, Cleopatra: quae illigato in amorem suum M. Antonio belli Actiaci fine exstinxit regnum[12]) Ptolemaeorum[13]).

Deinde codd. omnes praeter Periz.: *Alexandreae.* Modius: *agitatus Alexandria Romam.* — Quod iam percurritur dimidium saeculi ab a. 81 — 31 a. C. summis difficultatibus impeditum est, adeo ut ne censura quidem rerum ex aliis scriptoribus concinnari h. l. possit: v. interim I. R. Forsteri comment. *de successoribus Ptol. VII.* in Comm. Soc. Gott. Vol. III. et Champollionis Figeaci *Annales des Lapides* Vol. II. p. 236 sqq. Ex filiis Lathuri alter *Ptolemaeus* cogn. Cyprius; alter *Ptol. Auletes.* Cyprus provincia facta a. 57. *Gabinius*, praefectus Syriae a. 54.

[9]) Ptolemaeus Dionysus, a. 51.

[10]) Sic codd. omnes sine exemplo. Freinsh.: *sumpto;* Grauert.: *suscepto.* Crac. tamen: *inde sumto.*

[11]) Hic unus Leid. 4: *Alexandreae.*

[12]) Sic Vat. 2, Crac. Ceteri: *regem.* Illud iam Bong. reposuerat.

[13]) Sic Vat. 2; vett., Crac.: *Ptolemeicorum*, quod idem est in scriptura Longobardica: nam *eic* et *ae* sibi simillima. Modius: *Ptolemaicorum.*

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Syri Tigranem Armenium regem sibi deligunt.*
2. *Victo Tigrane Antiochus, Cyziceni filius, creatur rex Syriae, quae postea in provinciae formam redigitur.*

I. Mutuis fratrum odiis et mox filiis inimicitiis parentum suc- 1
cedentibus, cum inexpiabili bello et reges et regnum Syriae consumtum esset, ad externa populus auxilia concurrit peregrinosque sibi reges circumspicere coepit. Itaque cum pars Mithridatem Pon- 2

C. I. § 1. *et mox filiis inimicitiis*] Sic Bong. e suis omnibus, Goth., Crac., 4 (?) Gronov. Explica: Ob fratrum (Grypi et Cyziceni) mutua odia et cum brevi filii etiam ipsorum et nepotes his inimicitiis succederent, ad externa auxilia populus confugit: in quibus non video, quid inconcinnum sit; imo elegantior est varietas haec membrorum quam similitudo in lectione edd. vett., Prag. et Dorvill. 3 a sec. m.: *filiorum*, a Beneckio recepta, ficta autem ab iis, qui *fratres* et *filiis* ita sibi opponi debere putarent. 3 Gron.: *inimicorum.*

circumspicere] Codd. aliquot, 1 Bong.: *circuminspicere*, de quo v. collecta h. l. a Gron. p. 977 sq.

ticum, pars Ptolemaeum ab Aegypto arcessendum censeret, occurreretque quod Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptole-
3 maeus quoque semper hostis fuisset Syriae: omnes in Tigranem, regem Armeniae, consensere, instructum praeter domesticas vires et
4 Parthica societate et Mithridatis adfinitate. Igitur accitus in regnum Syriae per octodecim annos tranquillissimo regno potitus est; neque bello alium lacessere neque lacessitus inferre alii bellum necesse habuit.

1 II. Sed sicut ab hostibus tuta Syria fuit, ita terrae motu vastata est: quo centum septuaginta millia hominum et multae urbes perierunt. *Quod prodigium mutationem rerum portendere* haruspices re-
2 sponderunt. Igitur Tigrane a Lucullo victo rex Syriae Antiochus,
3 Cyziceni filius, ab eodem Lucullo appellatur. Sed quod Lucullus dederat, postea ademit Pompeius: qui poscenti regnum respondit *ne volenti quidem Syriae, nedum recusanti daturum se regem, qui octodecim annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciae latuerit: victo autem eodem Tigrane a Romanis alieni operis praemia*
4 *postulet. Igitur ut habenti regnum non ademerit, ita quo cesserit Tigrani, non daturum, quod tueri nesciat, ne rursus Syriam Iudae-*
5 *orum et Arabum latrociniis infestam reddat.* Atque ita Syriam in

---

§ 2. *Ptolemaeum*] Lathurum. — Gron.: *Mithridaten; Tigranen.*
§ 3. *Parthica societate*] Parthos paullo ante acri bello vicerat.
§ 4. *accitus*] U. c. 670; a. C. 84.
octodecim annos] Nonnulli Bong. hic et c. 2, § 3, Goth., 3 Gron.: *decem et novem;* 3 al. Gron.: *decem et septem.* Appian. Syr. 48 et 70 recte: *τεσσαρεσκαίδεκα* (integri, ad a. 685), unde Tollius nostrum corrigere volebat; sed Norisius *Cenotaph. Pis.* diss. II. pag. 222 lectionem ita defendit, ut Iustinum de a. 688 cogitavisse dicat, quo Syria ei a Pompeio plane abiudicata fuit (Plut. p. 637): hunc non intellexit quidem, sed vitium inde exortum esse iam apud Trogum credibile est. In *tranquillissimo* tamen isto *regno* bella cum Selene, Antiochi Pii uxore, alia etiam in Phoenicia gessit; v. Ioseph. XIII, 16, 4 et Noris. l. l.

C. II. § 1. *hominum*] Mss. Bong.: *militum.*
§ 2. *victo*] ad Tigranocerta, U. c. 685.
Antiochus] cogn. Asiaticus.
Cyziceni filius] imo nepos, filius Antiochi Pii (*Εὐσεβοῦς*). Cf. Appian Syr. 49 al.
§ 3. *Pompeius*] post quatuor annos, debellato Mithridate.
octodecim] Hic unus Bong.: *X et VII a.;* v. ad 1, 4. Crac.: *XIX.* — Goth.: *annis.*
angulo Ciliciae] Commagene; vid. Froelichii prolegg. ad *Annales* p. 70 sq.
§ 4. *habenti r. non ademerit*] i. e. ut ipsi animus non sit regnum ei adimere, si haberet neque a principio Tigrani concessisset. Recte Wopkensius.
quo] Magl., mss. Bong.: *quod cess.*, fort. ob mutationem in *gesserit.*

provinciae formam redigit: paullatimque Oriens Romanorum discordia consanguineorum regum factus est.

---

§ 5. *redigit*] statim cum haec Antiocho dixisset; ita vult Iustinus. Sic Bong. et edd. vett. Sed Ald.: *redegit*, ut correxerat Schefferus: quod receperunt, assentientibus codd. recentissimis, Dorv. 1. 2, Goth., Crac., Prag. Quid sit in Gronovianis, ignoratur. — A. a. C. 64; U. 690.
Oriens] Intelligit Aegyptum.

LIBER XLI.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XLI.*)

Uno et quadragesimo volumine continentur res Parthicae et Bactrianae. In Parthis [1]) ut est constitutum imperium per Arsacem [2]) regem. Successores deinde eius Artabanus et *Mithridates** [3]) cognomine Deus: a quo subacta est Media et Mesopotamia. Dictusque in excessu Arabiae situs [4]). In Bactrianis autem rebus, ut a Diodoto rege constitutum imperium [5]) est; deinde quo repugnante Scythicae gentes Sarancae et Asiani Bactra occupavere et Sogdianos [6]). Indicae

* *Tigranes*

---

[1]) Sic Periz., Crac. Vett.: *Partilis;* unde Bong.: *In Parthicis.*

[2]) Sic iidem. Vett.: *Assacem.*

[3]) Libri omnes: *Tigranes*, per errorem; v. Longuerr. Intelligitur magnus *Mithridates*, Arsaces VI; v. inf. c. 6. Sic etiam Io. Vaillantius in *Annal. Ars.* p. 39.

[4]) Hic ab Iustino omissus, ut reliqua quae sequuntur, paene omnia.

[5]) Sic Periz., Crac. Vett.: *ut a Diudoto r. constitutum est;* unde Bong. et Longuerr.: *regnum c. e.*, verius. De re v. Th. S. Bayeri *historiam regni Gr. Bactr.*, p. 45 sqq. Idem p. 20 sq. Isidori Hispalensis locum ex ipso Trogo excerptum putat: *Bactriani Scythae fuerunt, qui suorum factione a sedibus suis pulsi iuxta Bactron, orientis fluvium, consederunt, ex cuius vocabulo et nomen sortiti sunt: Parthi quoque* cett. sed alii quoque idem servarunt. Plura etiam admixta sunt in Eriulphi Levitae Glossar. ap. Sinnerum *Catal. bibl. Bernens.* I. p. 409 sq.

[6]) Ita codd. mss., nisi quod ante *Socdianos* (ita enim scribunt) copula desideratur. De re quaedam indicantur Iustin. c. 6, sed nimis ista pauca et exilia, quam ut haec possint inde fingi. Et utcunque defendit codd. lectionem Bayerus lib. I. p. 96 sqq. Strabonis loco opportune allato: *μάλιστα δὲ γνώριμοι γεγόνασι τῶν Νομάδων οἱ τοὺς Ἕλληνας ἀφελόμενοι τὴν Βακτριανὴν, Ἄσιοι καὶ Πασιανοὶ καὶ Τόχαροι καὶ Σαράκαυ-*

quoque res additae, gestae per Apollodotum[7]) et Menandrum, reges eorum.

λοι καὶ ὁρμηθέντες ἀπὸ τῆς περαίας τοῦ Ἰαξάρτου, τῆς κατὰ Σάκας καὶ Σογδιανοὺς, ἣν κατεῖχον („occupatam") Σάκαι, cett. Rex qui fuerit, hodie nescitur; ad Eucratidem tamen partem tantum eorum bellorum aliquam referri posse, ad c. 6, § 3 significavimus. Longuerr.: *quo rege pugnante;* Grauertus: *deinde* [. . . . . *successit Eucratides:*] *quo regnante Sc.* cett. recte animadvertens seriem Bactrianorum regum ad Eucratidam usque deductam a Trogo fuisse, nomen vero ipsum non satis caute interponens. Strabonis locus etiam hac V. D. emendatione nos supersedere posse docet: *Sarancae Drangiani et Sogdiani Bactra occ.* De Sarancis v. Herod. III, 117. VII, 67. Longuerr. volebat: *Saracaucae,* qui sunt incolae urbis Sarmatarum Saracae. 3 codd. Gron.: *Sarauciae;* 2: *Saraucae:* sed noli cogitare de Saracaulis Strabonis vel *Sacauracis* Luciani ap. Gron. p. 1013. Crac. mire: *Seurarathide.* Asianos iam ante Bayerum defenderat Vaillantius *Annal. Ars.* p. 61. Bong.: *Ariani.* Quidni autem Sogdianos quoque Scythae lacessiverint? Sufficere videtur in hanc rem testimonium Strabonis.

[7]) Indiae hos post Alexandrum reges fuisse diserte narratur in Arriani Periplo maris Erythr. p. 27 Huds.; v. Bayerum lib. l. pag. 78 sqq. Male edunt e codd. recentt.: *Apollodorum;* est Ἀπολλόδοτος. Infeliciter h. l. Longuerr.: *additae ex Apollodoro* (Parthicorum et Indicorum scriptore), *gestae per Menandrum et Eucratidam, r. e.* Praeter vitia historiae etiam in eo vehementer errat, quod Trogum indicasse fontes putat, unde narrationes hauserit: quo nihil magis alienum a Trogi scriptione. Iam supra diximus. „De Menandro v. Strab. XI. p. 355 fin." *Freinsh.*

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Parthorum origo, nomen, successus, imperium.*
2. *Regni Parthici administratio. Parthorum sermo, vestes, arma, exercitus, proeliandi mos.*
3. *Eorumdem mores domestici, sepultura, religio, ingenium, virtutes et vitia.*
4. *Parthicorum regum res gestae.*
5. *Arsacis, sapientissimi Parthorum regis, vita et mors placida.*
6. *Bactriani regni status sub Eucratide, qui a filio opprimitur. Parthorum bellici successus.*

---

1 I. Parthi, penes quos velut divisione orbis cum Romanis facta
2 nunc Orientis imperium est, Scytharum exsules fuere. Hoc etiam

---

C. I. § 1. *Scytharum exsules*] De tempore, quo Scythiam reliquerint, Arrianus in *Parthicis* tradiderat Πάρθους ἐπὶ Σεσώστριδος τοῦ

ipsorum vocabulo manifestatur: nam Scythico sermone *Parthi* exsu-
les dicuntur. Hi et Assyriorum et Medorum temporibus inter Orien- 3
tis populos obscurissimi fuere. Postea quoque, cum imperium Orien- 4
tis a Medis ad Persas translatum est, veluti vulgus sine nomine
praeda victorum fuere. Postremo Macedonibus triumphato Oriente 5
servierunt: ut cuivis mirum videatur ad tantam eos felicitatem per 6
virtutem provectos, ut imperent gentibus, sub quarum imperio vel-
uti servile vulgus fuere. A Romanis quoque trinis bellis per maxi- 7
mos duces florentissimis temporibus lacessiti soli ex omnibus gentibus
non pares solum, verum etiam victores fuere: quamquam plus glo- 8
riae sit inter Assyria et Medica Persicaque, memorata olim, regna
et opulentissimum mille urbium Bactrianum imperium emergere po-

---

Αἰγυπτίων βασιλέως καὶ Ἰανδύσου τοῦ Σκυθῶν ἀπὸ τῆς σφῶν χώρας Σκυθίας εἰς τὴν νῦν μετοικῆσαι. (Phot. pag. 17 Bekk.) Eiusdem regis Iornandes meminit, dum Parthorum originem a Scythis e Pompeio Trogo narrat (*de reb. Get.* c. 6 extr.), sed *Tanausin* vocat; ita enim codices; edd.: *Taunasis.* Iustino (I, 1, § 6) est *Tanaus.* Ad idem tempus alia quoque narratio rem refert, quae Sesostridi regi traductos in Assyriam Scythas tribuit: Suid. v. *Σώστρις* (sic): — *καὶ κατῴκισεν ἐν τῇ Ἀσσυρίων χώρᾳ Σκυθῶν ἄνδρας, μυριάδας φ', οἵτινες ἐκλήθησαν Πάρθοι, ὅ ἐστι Περσικῇ γλώσσῃ Σκύθαι· καὶ μέχρι σήμερον ἔχουσι τὴν στολὴν καὶ τὴν λαλίαν καὶ τοὺς νόμους τῶν Σκυθῶν.*

§ 2. *Parthi exsules*] „Plerique mss." Gron., Goth.: *exsules Parthi.* Iornandes l. l. e Trogo: *fugaces;* Eustath. ad Dionys. 1039: *φυγάδες.*

§ 4. Agath. II, 25: *ἔθνος κατήκοον καὶ ἥκιστα ἐν τῷ πρὸ τοῦ ὀνομαστότατον.*

§ 6. *per virtutem*] Sic Bong. et Gron. omnes praeter Thuan. et Med. 2, omnes Wopk. praeter Dorv. 2, Goth., Crac. Sed Gronov. e duobus: *virtute.* Graevius cum Ald., cui accedit Thuan. et Prag., plane omittit, defensum a Wopkensio. Ceterum Goth.: *ad tantum eos felicitatis.*

§ 7. *trinis bellis per maximos duces*] „Crassum et Antonium: tertium adhuc quaero. Itaque *binis* forte rectius legas." *Bernecc.;* contra quem Rupertus: „sed tamen de suo aliquid admetiri solet Iustinus." Vana haec; Ventidium licet victorem in hoc numero ponit; vid. quae nos ad XXXVIII, 4, § 5.

§ 8. *gloriae sit*] Beneckius Bongarsianorum codd. lectionem esse prodidit *gloriae est*, cum e paucioribus tantum vel minus accurate scriptis a Bongarsio afferatur: *gloria est* i. e. *gloriae st* pro *sit;* vid. Both. ad Plauti Pers. 276. Gruterus quoque *st* saepe scribi pro *sit* testatur. Goth. tamen inde: *gloriae est*, quod Beneckius recepit ob usum quem dicit Iustini; sed hic locus a ceteris omnibus p. 460 eo differt, ut in illis vel quae sunt facta narret vel affirmet rem, h. l. pro incerta ponat.

mille urbium] Cf. c. 4, § 5; totidem Eucratides (v. inf. 6) in ditione habuisse proditur a Strab. XV, pag. 472 ex Apollodori *Παρθικοῖς.* Bactrianum imperium prius potens erat quam Parthicum; conf. 6, § 3. Bongarsius ex aliquot codd. suis scribendum praecepit: *et opulentissimum illud urbium mille Bactr. i.* (ut ed. Rom.; alii eiusd. voc. *mille* omittunt); sed quid ad h. l. Bactriani regni incrementa? Magl.: *mille illud u.;* praeterea nullum novi cod., qui v. *illud* agnoscat, ex edd. Med., Ald., Col.

9 fuisse quam longinqua bella vicisse. Praeterea cum gravibus Scythicis et vicinalibus bellis adsidue vexati variis periculorum certami-
10 nibus urguerentur, hi domesticis seditionibus Scythia pulsi solitudines inter Hyrcaniam et Dahas et Areos et *Sparnos** et Margianos
11 furtim occupavere. Fines deinde non intercedentibus primo finitimis, postea etiam prohibentibus in tantum protulere, ut non immensa tantum ac profunda camporum, verum etiam praerupta collium mon-
12 tiumque ardua occupaverint. Ex quo fit, ut Parthiae pleraque finium aut aestus aut frigoris magnitudo possideat: quippe cum montes nix et campos aestus infestet.

1 II. Administratio gentis post defectionem Macedonici imperii
2 sub regibus fuit. Proximus maiestati regum populorum ordo est:

* *Spartanos*

---

§ 9. *Scythicis*] Mss. Bong., Med. 2, Prag.: *Scythis*, de quo vid. Graevium. In rem Strabo XI. pag. 352 Cas. de Scytharum praesertim Nomadum gentibus: *ἣν (τὴν ἐρημίαν τὴν μεταξὺ αὐτῶν καὶ τῆς Ὑρκανίας καὶ τῆς Παρθυαίας μέχρι Ἀρίων) διεξιόντες μακραῖς ὁδοῖς κατέτρεχον τήν τε Ὑρκανίαν καὶ τὴν Νησαίαν καὶ τὰ τῶν Παρθυαίων πεδία· οἱ δὲ συνέθεντο φόρους· φόρος δ᾽ ἦν τὸ ἐπιτρέπειν τακτοῖς τισι χρόνοις τὴν χώραν κατατρέχειν καὶ φέρεσθαι λείαν· ἐπιπολαζόντων δ᾽ αὐτῶν παρὰ τὰ συγκείμενα ἐπολεμεῖτο· καὶ πάλιν διαλύσεις καὶ αναπολεμήσεις ὑπῆρχον.*

§ 10. *Dahas*] Med. 2: *Daas.* Edd. vett., Prag., Crac.: *Dacas.* 1 Bong.: *Sachas.*

Areos] Sic Bong. codd. omnes, 8 Gron., al. ut XIII, 4, § 21. Neque opus est mutatione in *Arios*, ut est in edd. vett.

Spartanos] Sic codd. et edd. ingenti consensu, nisi quod Prag.: *Sparavos;* Med. autem alter: *Sparnos*, vel e vetustissimo exemplo vel ab acumine et doctrina eius, qui scripturam recensuit. Sparnos enim non dubito pro *Parnis* habere, quos Ptolemaeus vicinos dicit Dahis, partem autem Daharum Strabo apud Gron. p. 979 (adde XI. p. 354 extr.), ubi opportune e ms. lectio producitur *Σπάρνους*: in aliis locis idem *Ἀπάρνους* vocat, ut *Μάρδοι* et *Ἄμαρδοι.* Bongarsius et Ortelius reposuerant: *Arianos*, quos Parthi „*a meridie habent*", Plin.

Margianos] Sic recc. certe codd. habere videntur; Goth.: *Mag.*, ut ed. Med. Vett. Bong.: *Maggianos*, quod Bong. recte emendavit; edd. ante eum: *Maianos.*

§ 11. *non interced.*] Magl. et ed. Med. negationem subtiliter delent.

in tantum protulere] v. Strabo XI. p. 354; Ammian. Marcell. XXIII, 6, § 43 sq. ibique interpp.

tantum ac] Gronov. e solis edd. vett., codice nullo: *tantum iam ac.*

§ 12. *nix*] Haec vox a vett. Bong. abest; in uno: *frigus*, ut in Crac. quoque lectum fuisse videtur: unde orta lacuna.

C. II. § 2. *populorum ordo*] Sic mss. et edd. omnino omnes, errore aperto. Conieci: *procerum;* I. Fr. Gron.: *optimatum*, ex XLII, 5, § 2; Henninius: *philosophorum*, i. e. magorum. Posidonius apud Strabonem: *τῶν Παρθυαίων συνέδριον εἶναι διττόν· τὸ μὲν συγγενῶν* (an familiae regiae?), *τὸ δὲ σοφῶν καὶ μάγων, ἐξ ὧν ἀμφοῖν τοὺς βασιλεῖς καθιστᾶσιν.*

ex hoc duces in bello, ex hoc rectores in pace habent. Sermo his 3
inter Scythicum Medicumque medius et utrimque mixtus. Vestis 4
olim sui moris; posteaquam accessere opes, ut Medis, perlucida ac
fluida. Armorum patrius ac Scythicus mos. Exercitum non, ut 5
aliae gentes, liberorum, sed maiorem partem servitiorum habent:
quorum vulgus nulli manumittendi potestate permissa ac per hoc
omnibus servis nascentibus in dies crescit. Hos pari ac liberos suos
cura habent et equitare et sagittare magna industria docent. Locu- 6
pletissimus ut quisque est, ita plures in bella equites regi suo prae-
bet. Denique Antonio bellum Parthis inferenti cum quinquaginta
millia equitum occurrerent, soli quadringenti liberi fuere. Cominus 7
in acie proeliari aut obsessas expugnare urbes nesciunt. Pugnant
aut procurrentibus equis aut terga dantibus; saepe etiam fugam si-
mulant, ut incautiores adversum vulnera insequentes habeant. Si- 8
gnum his in proelio non tuba, sed tympano datur. Nec pugnare
diu possunt: ceterum intolerandi forent, si quantus his impetus est,
vis tanta et perseverantia esset. Plerumque in ipso ardore certaminis 9
proelia deserunt ac paullo post pugnam ex fuga repetunt, ut, cum
maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit. Muni- 10

---

§ 3. *et utrimque*] Recepi emendationem I. Fr. Gronov.; Bong. sine v. l., 2 (?) Gron., omnes Wopk., Crac.: *et utrisque; m* vero et *s* saepissime permutantur, etiam in his VV. LL. Bong.; poteras etiam: *ex utrisque m.*, ut Goth., pro: utpote ex utrisque m.; sed ubicunque pluralem *utrique* vidi usurpari, res paullo alia erat ac nostro loco, de quo ambigendum videtur. Vulgo e Freinsh. coni.: *et ex utrisque m.* Magl.: *utroque m.;* Prag.: *ex utroque.* — 3 Gronov., Goth.: *Medumque*, ut edd. vett.

§ 5. *servitiorum*] Ita 5 Gron. interpolati, 1 Bong.; ceteri omnes et edd. vett.: *servorum.* Illud omnes praetulerunt, quos v.; sed vix ego credulus illis.

cura habent] Verbum deest in mss. Bongars., 3 Gronov., 3 Dorvill. Periz. a pr. m., Goth., Crac.: *currere et.* Med. 2: *pariter — curare et.*

§ 6. *in bella*] Ita 3 interpolati Gron., 3 Dorv.; v. Wopk. Ceteri omnes: *in bello.* Res dubia. Ante mss. Bong.: *ut quique.*

quadringenti] Edd. vett.: *DCCC;* aliae vetustiores: *CCCCL;* 1 Bongars.: *CCC.* Hos numeros alibi non inveni.

§ 7. *P. aut proc.*] Sic 5 interpolati Gronov., Crac., Goth., Prag., edd. vett.; sed Bong. libri praeter unum, 6 Gronov., Regino, Saresb.: *P. autem proc.* Frequentissime per librarios hae particulae permutantur, sed hic consilio opinor factum est. Multus de h. l. est Beneckius, qui vere disputat et ex sententia cl. Handii in *Tursellino.* At toti huic loco iuncta oratio magis convenire videtur quam *ἀσύνδετον.*

§ 8. *vis tanta*] Sic praeter bonos codd. omnes etiam Regino; nec est cur dubitemus de his cum Wopkensio et Beneckio: sane voc. *vis* cum *impetu* plerumque coniungitur; sed h. l. quomodo intelligendum sit, subiecta vox *perseverantia* docet; nam quae vere vis est, etiam firma est et constans.

tympano] V. Plutarch. Crass. 23. — Mss. Bongars., 3 Gronov.: *in proelium.*

mentum ipsis equisque loricae plumatae sunt, quae utrumque toto
corpore tegunt. Auri argentique nullus, nisi in armis, usus.
1 III. Uxores dulcedine variae libidinis singuli plures habent:
2 nec ulla delicta adulterio gravius vindicant. Quamobrem feminis non
3 convivia tantum virorum, verum etiam conspectum interdicunt. Carne
4 non nisi venatibus quaesita vescuntur. Equis omni tempore vectantur: illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt; super illos ire, consistere, mercari, colloqui. Hoc denique discrimen inter servos liberosque est, quod servi pedibus, liberi non nisi
5 equis incedunt. Sepultura vulgo aut avium aut canum laniatus est:
6 nuda demum ossa terra obruunt. In superstitionibus atque cura
7 deorum praecipua amnibus veneratio est. Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia: quippe violentiam viris, mansue-
8 tudinem mulieribus adsignant. Semper aut in externos aut in domesticos motus inquieti; natura taciti; ad faciendum quam ad dicendum promtiores: proinde secunda adversaque silentio tegunt.
9 Principibus metu, non pudore parent. In libidinem proiecti, in ci-
10 bum parci. Fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit.
1 IV. Post mortem Alexandri Magni cum inter successores eius Orientis regna dividerentur, nullo Macedonum dignante Parthorum
2 imperium Stagnori, externo socio, traditur. Hi postea diductis

---

§ 10. *loricae plumatae*] „ex laminis ferreis in modum plumae factis consertae.“ *Bernecc.* V. Suid. ap. Gron. p. 981.

C. III. § 1. *plures*] Etiam hoc a Medis acceptum, non proprium Parthis fuisse arbitror.

§ 3. *venatibus*] V. Bernecc.

§ 5. *sepultura*] Hyrcanorum haec propria erat; de Parthis dubium; v. Voss. ad h. l. addita tamen Strabonis admonitione XI. pag 354 pr.: *ἔστι γάρ τις καὶ κοινὴ δίαιτα πάντων τῶν τοιούτων, ἣν πολλάκις λέγω* (Nomadum et Caspii maris accolarum). *Καὶ ταφαὶ δ' εἰσὶ παραπλήσιαι καὶ ἤθη* cett.

§ 6. *amnibus*] Etiam huius loci veram lectionem I. Fr. Gronovio debemus, acute inventam, docte probatam in Obss. IV. c. 10. Codd. et edd. omnes: *omnibus.* Praeterea nepoti placet scriptura 3 codd. et edd. vett.: *In sup. ad curam d.*, i. e praeter curam deorum. 1 Bong.: *et ad curam.*

§ 7. Regino: *quippe eandem ferocitatem feminis quam viris adsignant.*

§ 10. *dictis promissisque*] In recensione Gronoviana a Frotschero recusa habetur: *dicti promissique*, ut Saresbar., 5 codd., 3 Dorv., Goth., Prag., sed nullus Bong.

C. IV. § 1. *Stagnori*] Sic Bongars. e suis praeter unum, quod ut peregrinum nomen attingere non ausus sum; Statanorem vero vel Stasanorem intelligi, cui supra Drancas et Areos noster tribuerat, id valde dubium est; v. XIII, 4, § 22. 23. 1 Bong., Crac., Prag., Goth.: *Staganori.* Ald.: *Stasanori*, quod receperunt. Diodorus Hyrcaniam et Parthiam, quas ut a Persis et Alexandro Arrianus (III, 22), ita post eius obitum a ducibus coniunctas esse testatur Strabo (XI. pag. 354 med.),

Macedonibus in bellum civile cum ceteris superioris Asiae populis Eumenem secuti sunt: quo victo ad Antigonum transiere. Post hunc 3
a Nicatore Seleuco ac mox ab Antiocho et successoribus eius possessi: a cuius pronepote Seleuco primum defecere, primo Punico bello, L. Manlio Vulsone, M. Attilio Regulo consulibus. Huius de- 4
fectionis impunitatem illis duorum fratrum regum, Seleuci et Antiochi, discordia dedit: qui dum sibi invicem eripere regnum volunt, persequi defectores omiserunt. Eodem tempore etiam Theodotus, 5

Phratapherni cessisse auctor est. V. ad l. l. Alexander Andragoram Persam ipsis praefecerat; XII, 4, § 12; de cuius posteris § 7.

§ 2. *Hi*] Omitt. mss. Bong., Goth.

diductis] Ita unus Leid. 3, et fort. Crac.; v. Beneck.; ceteri omnes: *deductis*, ut plures etiam XV, 4, § 23; in nostro loco defensio eius suscipi possit. Edd. vett.: *seductis*. — Gron.: *Eumenen.*

§ 3. *Nicatore*] Edd. vett., coll. C. C., Crac.: *Nicanore.*

a cuius pronepote Seleuco] Callinico s. Pagone; is autem Antiochi Soteris modo memorati nepos erat, non pronepos: qua re Gronovius impulsus est, ut ederet: *a c. nepote*, contra codd. et edd. consensum, si excipias Periz. et Goth., qui soli exhibent: *nepote.* Sed pronomen ad Nicatoris Seleuci nomen referendum esse iam Wetzelius monuit; Trogum certe ita voluisse intelligi apparet e locis a Freinshem. adductis. Superest tamen error: annus qui indicatur, U. c. 498, a. C. 256, in Antiochi Dei a. 247 defuncti imperium incidit; et sub hoc defecisse Parthos Arrianus quoque in Parthicis narraverat (Phot. p. 17 Bekk.), male intellectus a Georgio Syncello, cuius locum Bong. ad h. l. edidit. Origo erroris apparet coll. § 9 et exposita est ab Henr. Valesio ad Ammian. Marcell. XXIII, 6, § 3, quem lege. Aliorum errores ab aliis refutati nihil huc pertinent; nostrae aetatis historiarum scriptores annum ab Iustino indicatum firmiter tenuerunt. Verum Th. S. Bayerus in *hist. regni Bactr.* p. 51 sqq. h. l. non *M. Attil.*, sed *Caium A.* scriptum esse putat, ut consules efficiantur anni 504, a. C. 250: quo anno conditum esse Parthorum regnum aliunde petitis rationibus evincere studet. Ea hic examinari non possunt. Quatuor autem annis ante, a. 499 s. a. C. 255, Bactriani regni initia ponit (p. 56 sq.), quorum seq. § mentio fit; nam hoc prius quam Parthicum defecisse multis indiciis intelligitur. C. Fr. Richteri: *historisch - krit. Versuch über die Arsaciden-Dynastie* cett. (1804) videre non contigit.

Vulsone] Plerique vett. Bong., Periz., Goth.: *Bulsione;* cod. Fabr.: *Bulsone;* sed nihil frequentius permutatione litterarum *B* et *V* ob sonum; v. Reuvensii *Collectanea litt.* p. 95. Male Bodl.: *Pulsione.* Crac., Prag.: *Pisone.* Edd. vett.: *Manilio Pisone. Manilio* etiam Goth. et Bodl.

M. Attilio] Sic Bong., reliqui. Gronov. e tribus: *Atil.* Praenomen consulis anni 498 certum est e Polyb. I, 26; *C. Attil.* iam ante Bayerum Usserius vel legit vel intellexit. Confunduntur haec apud Wetzelium.

§ 4. *Antiochi*] Hieracis. V. XXVII, 2.

§ 5. *Theodotus*] Mss. Med. 2 et Periz., sed hoc tantum loco: *Diodotus;* Goth.: *Diodorus* Sic prolog.: *ut a Diodoto rege constitutum imperium est.* Strabo de Arsace: *οἱ δὲ Βακτριανὸν λέγουσιν αὐτόν· φεύγοντα δὲ τὴν αὔξησιν τῶν περὶ Διόδοτον ἀποστῆσαι τὴν Παρθυαίαν.* Quare diversitas haec ab epitomatore profecta esse videtur. V. Th. S. Bayeri *hist. regni Graecorum Bactriani* p. 45 sqq. — Mss. Bong., Goth.: *Bactrianorum.*

mille urbium Bactrianarum praefectus, defecit regemque se appellari
iussit: quod exemplum secuti totius Orientis populi a Macedonibus
6 defecere. Erat eo tempore Arsaces, vir sicut incertae originis, ita
7 virtutis expertae. Hic solitus latrociniis et rapto vivere accepta
opinione Seleucum a Gallis in Asia victum, solutus regis metu, cum
praedonum manu Parthos ingressus praefectum eorum Andragoram
8 oppressit; sublatoque eo imperium gentis invasit. Non magno
deinde post tempore Hyrcanorum quoque regnum occupavit; atque
ita duarum civitatium imperio praeditus grandem exercitum parat
9 metu Seleuci et Theodoti, Bactrianorum regis. Sed cito, morte
Theodoti metu liberatus, cum filio eius et ipso Theodoto foedus ac
pacem fecit; nec multo post cum Seleuco rege ad defectores perse-
10 quendos veniente congressus victor fuit: quem diem Parthi exinde
solemnem, velut initium libertatis, observant.

1 V. Revocato deinde Seleuco novis motibus in Asiam dato laxa-
mento regnum Parthicum format, militem legit, castella munit, ci-
2 vitates firmat; urbem quoque nomine Daram in monte Zapaortenon

---

§ 6. *incertae*] V. Bernecc., Voss., Vaillant. *Annal.* p. 3, Vales. ad Ammian. XXIII, 6, § 2.

§ 7. *Gallis*] fratris Antiochi mercenariis; XXVII, 2, § 10.

Andragoram] Mss. Bong.: *Mandragorum;* Goth., Crac.: *Mandragoram*, ut iam supra saepius erratum. Eiusdem nominis satrapen Alexander Parthis praeposuisse supra narratur XII, 4, § 12, Arriano *Ἀμμινάπην* dictum. Hic ab eodem Arriano in Parthicis vocatur *Φερεκλῆς*, ap. Syncellum *Ἀγαθοκλῆς*. Conf. Bayer. p. 49 sq. Haec victoria et quae iam sequuntur, secundum Suidam et chronographos tribuenda sunt alteri Arsaci, fratri huius, *Tiridati* cognomine. Ita factum in Vaillantii *Annalibus Ars.* p. 10 sqq.

§ 8. *metu Seleuci*] Hic in vett. nescio quid turbatum erat. Bongarsius enotavit: „MSS. *cum Sel.* al.: *tum Sel.* al.: *belli cum Seleuco et Theodato B. rege* [sic Crac.]." Goth.: *parat cum Seleuci et átheodoti metu liberatus*, omissis mediis.

§ 10. *quem diem*] „De hoc die inveniendo desperare nos oportet; mensis fuisse videtur vel Gorpiaeus (Sextilis) vel Hyperberetaeus (September): hi enim soli signati sunt in nummis. Sed ipso in anno magnae sunt difficultates." Bayer. *hist. Bactr.* p. 59 sqq. qui quaestione instituta invenit annum 240 a. C.

C. V. § 2. *Daram in monte Zapaortenon*] Sic vett. Bong. et Gronoviani, e quibus haec tantum enotantur: Leid. 1. 5. Bodl., Prag.: *monte Aparteno;* Goth.: *Aporteno;* Periz.: *Daran i. m. Apartheno;* Med. 2: *Apaorteno;* Crac: *Zapaorton.* 1 Bong.: *Darā non i. m. Aparteno;* edd. vett.: *Taborreno.* Plinius H. N. VI, 16 pr.: *a Caspiis in Orientem versus regio est Zapavortene* [mss. omnes: *Apavortene;* Isidor.: *Ἀπαυαρκτικηνὴ*] *dicta, et in ea fertilitatis inclitae locus Darieum dictus;* ubi Harduinus eandem urbem intelligi censuit, de qua Iustinus, sed e codd. *Dareium* potius scribendum esse. Bong. de *Choara* cogitaverat e Plin. c. 15. V. Vossium. I. Fr. Gronov.: *monte Zapaorteno*, cum regio dicatur *Zapaortene;* Holstenius e ll. ll.: *Apovartenon.* Eundem montem intelligere videtur depravatus et ipse Orosius I, 2, p. 20: *a fonte Ti-*

condit: cuius loci ea conditio est, ut neque munitius quidquam esse neque amoenius possit. Ita enim et praeruptis rupibus undique cin- 3
gitur, ut tutela loci nullis defensoribus egeat; et soli circumiacentis tanta ubertas est, ut propriis opibus expleatur. Iam fontium ac sil- 4
varum ea copia est, ut et aquarum abundantia irrigetur et venationum voluptatibus exornetur. Sic Arsaces, quaesito simul constitu- 5
toque regno non minus memorabilis Parthis quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute decedit: cuius memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde 6
reges suos *Arsacis* nomine nuncupent. Huius filius et successor regni, 7
Arsaces et ipse nomine, adversus Antiochum, Seleuci filium, centum millibus peditum et viginti millibus equitum instructum mira virtute pugnavit; ad postremum in societatem eius adsumtus est. Ter- 8
tius Parthis rex Priapatius fuit, sed et ipse Arsaces dictus: nam, sicut supra dictum est, omnes reges suos hoc nomine, sicuti Romani *Caesares Augustos*que, cognominavere. Hic actis in regno 9
quindecim annis decessit, relictis duobus filiis, Mithridate et Phrahate: quorum maior Phrahates, more gentis heres regni, Mardos, validam gentem, bello domuit; nec multo post decessit

---

gridis usque ad Carras civitatem inter Massagetas et Parthos mons Ariobarzanes.

§ 3. *tutela loci*] V. Wopkens. cum Beneck.

§ 4. *Iam*] Mss. Bong., Crac., Goth., coll. C. C. omittunt cum voce *est* post v. *ubertas.*

§ 5. *matura senectute*] Ammianus l. l.: *medium ipse agens cursum aetatis placida morte decessit*, ubi vid. Vales. Sed chronographi aliter; v. Vaillant. *Ann.* p. 5 et 14. Cum fratre successore permutatus esse videtur.

§ 6. *Arsacis*] Aliorum loci apud interpretes.

§ 7. *Huius*] i. e. Tiridatis, *filius*, Artabanus, rex tertius, sed a Trogo quoque pro altero habitus, ut apparet ex prologo.

Antiochum] Magnum, Callinici fil. U. c. 546 s. a. C. 208; v. Bayerum p. 69 sqq.

§ 8. *Tertius*] rectius quartus.

Priapatius] Mss. Bong.: *Pricipatius;* edd. vett.: *Pampatius.* „Aphra-Pati et Pa-Pati, *maximum* Pati latine diceres. Rex iste appellatur absolute *Badi* seu *Pati*, in Tarich Persico ap. Schickardum.“ *Vaillant.* p. 33. „An est *Pharnapatius?*“ Vossius. Felicius I. Fr. Gronov. legendum coniecit *Phriapitus*, cuiusmodi nomen est ap. Arrian.: *Ἀρσακίδαι, τοῦ υἱοῦ Ἀρσάκου τοῦ Φριαπίτου ἀπόγονοι* (Phot. p. 17); nollem adiecisset: vel *Parapitus* e Xenoph. Hellen. IV, 1, § 39, ubi Persis mulier *Παραπίτα.*

nam — cognominavere] Haec ut glossema eiecit Rupertus. Goth.: *sicut diximus supra.*

§ 9. *quindecim*] Edd. vett.: *duodecim;* sic et Thuan.; Magl.: *viginti;* Periz.: *XXV.*

Phrahate] Edd. vett.: *Pharnace.*

bello domuit] *καὶ εἰς τὴν Χάρακα πρῶτος ᾤκισε*, Isidor. Characenus.

10 multis filiis relictis: quibus praeteritis fratri potissimum Mithridati, insignis virtutis viro, reliquit imperium, plus regio quam patrio deberi nomini ratus potiusque patriae quam liberis consulendum.

1 VI. Eodem ferme tempore, sicuti in Parthis Mithridates, ita
2 in Bactris Eucratides, magni uterque viri, regna ineunt. Sed Parthorum fortuna felicior ad summum hoc duce imperii fastigium eos
3 perduxit. Bactriani autem per varia bella iactati non regnum tantum, verum etiam libertatem amiserunt: siquidem Sogdianorum et Arachotorum et *Drangarum et Ariorum* * Indorumque bellis fatigati ad postremum ab invalidioribus Parthis, velut exsangues, oppressi
4 sunt. Multa tamen Eucratides bella magna virtute gessit: quibus attritus cum obsidionem Demetrii, regis Indorum, pateretur, cum trecentis militibus sexaginta millia hostium adsiduis eruptionibus vicit. Quinto itaque mense liberatus Indiam in potestatem redegit.
5 Unde cum se reciperet, a filio, quem socium regni fecerat, in iti-

* *Drangaritanorum*

---

multis fil.] Sic Bong. et edd. vett.; ob ingratam repetitionem suadente Wopkensio Gronov. reposuit: *pluribus f.*, auctoritate 10 codd. (an Leidensium omnium?), Franecq., Dorv. 1. 2, Goth., Prag., Crac. Standum erat a codd. vetustioribus.

§ 10. *Mithridati*] quem recte Orosius V, 4, p. 295: *sextum ab Arsace* appellat.

C. VI. § 1. *Eucratides*] ab a. 181 — 146 a. C. ap. Bayerum, Mithridates in Parthis ab eodem ferme a. ad 136. V. Bayerum p. 87 sq.

uterque] 3 codd.: *utrique;* cf. Beneck.

§ 3. *Sogdianorum* sqq.] Bongarsius ex optimis suis edidit: *Sogdianorum et Drangaritanorum Ind.* cum hac nota: „MS.: *Sogd. et Arachatorum et Dr.* Impressi: *Dranganitanorum.*“ Gronov.: „Meliores MSS.: *et Aracatorum et Dranganitanorum*, vel: *et Arachotorum et Drangaritanorum.*“ In tanta tot syllabarum similitudine non mirum est Arachotos excidisse: et in hac historia quis de suo interponeret? Vocem *Drangaritanorum* statim vidi corrigendam esse: *Drangarum et Ariorum;* in eandem emendationem inciderat Holstenius *Castig. in Steph. Byz.* v. *Δράγγαι* p. 103. Quo certiorem iudico. Fort. etiam scribendum: *Areorum*, ut bis alibi apud nostrum. *Ἀραχωτοὺς* supra *Arachosios* vocaverat, XIII, 4, § 22. Vossius: „Scribe: *Drangianorum.*“ Ita iam Aldinus editor; ceteri secuti sunt: unde vulgata facta est. Prag.: *Gangaritanorum;* Crac.: *Gangaridarum*, sed ut correctorem agnoscas, Indis ubique *Iudaeos* substituit. Goth.: *Archadorum* (ut Crac.; simili depravatione 3 Dorv. ap. Wopk.) *et Dragantiranorum.* — Horum bellorum pars iam sub Menandro rege gesta erat, qui Eucratidem praecessit; v. Bayerum p. 75 — 89.

§ 4. *Demetrii*] filii Euthydemi, qui ante Menandrum Bactrianae rex fuerat; v. Bayer. l. l. et p. 92 sq.

redegit] Factum hoc esse a. 607, a. C. 146 ex nummo efficit Bayerus copiosa disputatione p. 92. 99 sqq.

§ 5. *a filio*] Eucratide et ipso, ut ex aliorum indiciis collegit Bayerus, qui et causam parricidii sagaciter odoratus est, p. 95 sq. Post annum fere 142 a. C. Bactrianum imperium sensim in Parthorum potestatem cessit.

nere interficitur: qui non dissimulato parricidio, velut hostem, non patrem interfecisset, et per sanguinem eius currum egit et corpus abiici insepultum iussit. Dum haec apud Bactros geruntur, interim 6 inter Parthos et Medos bellum oritur. Cum varius utriusque populi casus fuisset, ad postremum victoria penes Parthos fuit. His viri- 7 bus auctus Mithridates Mediae Bacasin praeponit: ipse in Hyrcaniam proficiscitur. Unde reversus bellum cum Elymaeorum rege gessit: 8 quo victo hanc quoque gentem regno adiecit imperiumque Parthorum a monte Caucaso multis populis in ditionem redactis usque ad flumen Euphratem protulit; atque ita adversa valetudine correptus, non 9 minor Arsace proavo, gloriosa senectute decedit.

---

§ 7. *Bacasin*] 1 Bong.: *Bacas;* 2 Gronov.: *Vagasin;* 1: *Vacassem;* Med. 2: *Bacensem;* Prag.: *Bagasem;* Goth.: *nacasen.* Edd. vett.: *Bachasum* s. *Baccasum.*

Hyrcaniam et § 8 *Elymaeorum*] V. Vaillantii *Annal.* p. 41. — Bong.: *Elim.;* unus ei.: *Velim.*, al.: *Idumaeorum.*

usque ad fl.] Sic Bong.; Gronov. e codd. 8: *usque flum. Euphraten;* accedunt alii recentt. Ad vetustiores talia exigenda.

§ 9. *correptus*] Sic unus tantum Bong., Prag., Crac.: quinam e Gronovianis, nescitur. Bong., edd. vett., Goth.: *arreptus*, cuius simile etiam in nova ed. Forcelliniani Thes. non inveni; aliud enim est: *somnus arripuit*, XI, 13, 1.

proavo] Falso Wetzel.: „aut potius *abavo.*"

decedit] Sic Bong., Goth., Crac., et alii sine dubio plurimi. Gron.: *decessit*, ex edd. aliquot vetustis: quo iure, supra saepe vidimus. Locum aperte pessumdat.

LIBER XLII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.

(*PROLOGUS XLII.*)

Secundo et quadragesimo volumine continentur Parthicae res. Ut praefectus Parthis a Phraate [Himerus] Mesenis bellum intulit et in Babylonios et Seleucenos saeviit: utque Phraati successit[1]) rex Mithridates cognomine Magnus, qui Arme-

---

[1]) Vett.: *Ut pr. Parthis Apraeteus Messenis b. i. in B. et Seleucinisse, victusque Phyratis s.:* quorum pleraque in textu etiam reliquerunt. Primum *Apraeteus* (Periz.: *Apretheus*) ille qui fuerit ignoratur; sed *Himerus* praefectus Parthis relinquitur a Phrahate in Scythas proficiscente, et „*tyrannica crudelitate Babylonios multasque alias civitates importune vexavit*"; quare post Henr. Valesium (v. Diodor. Wessel. p. 603 T. II.)

niis[2]) bellum intulit. Inde repetitae origines Armeniorum et situs. Ut varia complurium regum in Parthis successione imperium accepit Orodes, qui Crassum delevit et Syriam per filium Pacorum occupavit. Illi successit Phraates[3]), qui et cum Antonio bellum habuit et cum Tiridate. Additae res Scythicae: reges Tocharorum[4]) Asiani interitusque Sarducarum[5]).

Longuerrius restituit: *a Phraate Imerus.* Deinde codd. praeter Periz. et Crac.: *Messenis;* sed Steph. Byz. ex Asinio Quadrato: ἔστι χώρα Περσίδος Μεσήνη, δι' ἑνὸς σ, ὑπὸ τῶν δύο ποταμῶν Εὐφράτου καὶ Τίγριδος μεσαζομένη. Adde Bongars. Vaillantius in *Annal. Ars.* p. 62, ubi multa de Himero tyranno, malebat: *Apamenis.* Periz.: *et Selencones sevit usque;* Crac.: *Sleucenes sevit:* unde recte Gronov. p. 1014: *Seleucenos;* nam Σελευκηνὸς etiam apud Stephanum. Valesii cod.: *et Seleucenses* (?) *saeviit.* Ad rem praeter Valesii not. laud. v. Diod. Exc. Vatt. XXXIV —VI, nr. 11 de Seleucensibus. In seqq. Longuerrius apices optime legit, nec apparet, qua causa repudietur. Gron.: *interfectoque Phr.;* Grauert.: *victoque P. Phraati* reponendum esse iam Bongars. viderat. „Ceterum praeteritur Artabanus, Phrahatis patruus." *Grauert.*

[2]) Vett.: *Armenis;* post: *Grassum.*

[3]) Gronov.: *Phrahates*, contra codd. Crac.: *Pharates;* vid. ad c. 4, § 16.

[4]) Vett.: *Thoclarorum; Tochariorum* vel *Tocharorum* (Τοχάρων) emendavit Bongars., plausumque tulit Longuerrii et Bayeri *hist. Bactr.* pag. 98.

[5]) Periz.: *Scarducarum.* (Crac.: *Sarditarum.*) Freinshem.: „An *Carduchorum?*" improbante Bayero. Longuerr: *Saracancarum:* quorum ex sententia Longuerrii Trogus iam in superiore libro meminerat. Versio Itala: *Sordicari.* Bayerus l. l.: „Credo scriptum fuisse *Sacarum*, qui populus postea ita validus est factus, ut totam Indiam occuparit." — Scythica haec neque ab aliis memorata usquam et a Iustino praetermissa sunt.

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Mithridatis, Parthorum regis, filius et successor Phrahates a militibus interficitur.*
2. *Post Artabanum Mithridates cognomine Magnus regnat, qui bellum infert Armeniae, cuius origo exponitur et primi reges recensentur.*
3. *Iasonis et Armenii, Armeniae conditoris, elogia. Tigris fluvii origo.*
4. *Mithridati eiecto Orodes successit, qui parricidiis et cladibus domi et foris exagitatur.*

5. *Phrahatis, filii Orodis, parricidia et varia fortuna. Augustus ab eo captivos Romanos et signa militaria repetit.*

I. Post necem Mithridatis, Parthorum regis, Phrahates filius 1
eius rex constituitur: qui cum inferre bellum in ultionem tentati ab Antiocho Parthici regni Syriae statuisset, Scytharum motibus ad sua defendenda revocatur. Namque Scythae in auxilium Parthorum 2
adversus Antiochum, Syriae regem, mercede sollicitati, cum confecto iam bello supervenissent et calumnia tardius lati auxilii mercede fraudarentur, dolentes tantum iis itineris frustra emensum, cum *vel stipendium pro vexatione vel alium hostem dari sibi* poscerent, superbo responso offensi fines Parthorum vastare coeperunt. Igitur Phraha- 3
tes, cum adversus eos proficisceretur, ad tutelam regni reliquit Himerum quemdam pueritiae sibi flore conciliatum: qui tyrannica crudelitate, oblitus et vitae praeteritae et vicarii officii, Babylonios multasque alias civitates importune vexavit. Ipse autem Phrahates 4
exercitum Graecorum, quem bello Antiochi captum superbe crudeliterque tractaverat, in bellum secum ducit: immemor prorsus quod hostiles eorum animos nec captivitas minuerat et insuper iniuriarum indignitas exacerbaverat. Itaque cum inclinatam Parthorum aciem 5
vidissent, arma ad hostes transtulere; et diu cupitam captivitatis ultionem exercitus Parthici et ipsius Phrahatis regis cruenta caede exsecuti sunt.

II. In huius locum Artabanus, patruus eius, rex substituitur. 1
Scythae autem contenti victoria depopulata Parthia in patriam revertuntur. Sed Artabanus bello Thogariis illato in brachio vulneratus 2

C. I. § 1. *necem*] mortem; v. Bernecc. Paullo post mss. Bongars., Goth.: *filius rex statuitur;* extremum etiam in 3 Dorv. et Crac.

Phrahates] septimus Arsaces, qui intelligebatur XXXVIII, 9. 10.

Antiocho] Sidete. — Haec Phrahatis gesta ac fata ex uno Iustino didicimus. Tangit Diodor. *exc. Vatt.* XXXIV — VI, 10.

§ 2. *tantum iis itin.*] Id recte defendit Beneck. Gronovius pronomen deleverat auctoritate 7 codicum, quibus accedunt Franecq., Dorv. 3, Goth., Prag.: sed levioris pretii omnes.

§ 3. *Himerum*] Sic recc. codd., ut Goth., etiam 1 Bong. Bong.: *Hymerum;* 1 eiusd.: *Humerum.* Athenaeus e Posidonio: *Ἵμερος ὁ τυραννήσας οὐ μόνον τῶν Βαβυλωνίων, ἀλλὰ καὶ Σελευκέων.* (XI. p. 466. B.) Plura de eo in Vaillantii *Annal.* p. 62.

C. II. § 1. *contenti victoria*] Mss. Modii, Thuan. et Leid. 1: *c. victoriae*, quod Beneckius recepit, quem v.

§ 2. *Sed Art.*] Mss. Bong., Bodl., coll. C. C., Goth.: *Sed et Art.*, quod non immerito probabat Schefferus.

Thogariis] „Ita libri veteres; quidam tamen: *Teogariis;* unus *Thocaris.*" Bong. 7 Gron.: *Tocharis;* Goth.: *Thocariis;* Prag.: *Togatariis.* Edd. vett.: *Colchatariis.* Iam Bongarsius vidit intelligendos esse *Tocha-*

3 statim decedit. Huic Mithridates filius succedit; cui res gestae *Magni* cognomen dedere: quippe claritatem parentum aemulatione
4 virtutis accensus animi magnitudine supergreditur. Multa igitur bella cum finitimis magna virtute gessit multosque populos Parthico regno
5 addidit. Sed et cum Scythis prospere aliquoties dimicavit ultorque
6 iniuriae parentum fuit. Ad postremum *Artavasdi* *, Armeniorum regi, bellum intulit.

7 Sed quoniam in Armeniam transitum facimus, origo eius paullo
8 altius repetenda est. Neque enim silentio praeteriri tantum regnum fas est, cum fines eius post Parthiam omnium regnorum magnitudi-
9 nem superent. Siquidem Armenia a Cappadocia usque mare Caspium undecies centum millia patet, sed in latitudinem millia pas-
10 suum septingenta porrigitur. Condita est autem ab Armenio, Iasonis Thessali comite: quem cum perditum propter insignem periculosamque regno suo virtutem Pelias rex cuperet, denuntiata militia in Colchos eum abire iubet pellemque arietis memorabilem gentibus

* *Ortoadisti* vel *Arthoadisti*

---

ros ap. Plin. VI, 17, ubi vid. Harduin. nr. 48, et *Τοχάρους* Dionysii v. 752, Scythicus populus ad fluvium Iaxartem, qui olim Bactrianam et Sogdianam, Parthis subditas, occupasse videntur.

§ 3. *Mithridates*] nonus Arsaces, a. 123.

§ 6. *Ortoadisti*] Sic edidit Bong., ex uno tantum suo producens *Arthoadisti*, quod est in mss. Gron. et Goth., vel *Artadisti;* Crac.: *Artoadisti;* Prag.: *Orthoad.* Dicit *A r t a v a s d e m;* vid. Bong. et Vaillantii *Annal.* p. 65 sq.

§ 8. *eius*] In mss. Bong. id excidit ob vicinas litteras.

§ 9. Res hic exquiri non potest. Theophanes, castra Pompeii M. secutus, apud Strab. XI. p. 365 Cas. Armeniae longitudinem prodiderat 500,000 passuum, latitudinem vero 1,000,000: qui numerus longitudini a Iustino indicatae, 1,100,000 passibus, prope accedit. Sed magis conveniunt, quae Plinius VI, 9: „*Claudius Caesar* (Armeniae) *longitudinem a Dascusa* (quae est in finibus Cappadociae) *ad confinium Caspii maris* (prodidit) *ter et decies centena millium passuum; latitudinem dimidium eius, a Tigranocerta ad Iberiam.*“ Similiter Ptolemaeus. — Prag.: *centena m.* Mss. Bong., coll. C. C.: *mill. p a s s u u m p.;* deinde: *passus septingentos;* al. ei.: *septingenti.*

§ 10. *Armenio*] Ceteri fere *Armenum*, *Ἄρμενον* appellant; itaque legunt coll. N., Med. 2 et Vincentius. Strabo: *Ἄρμενος ἐξ Ἀρμενίου, πόλεως Θετταλικῆς, ἣ κεῖται μεταξὺ Φερῶν καὶ Λαρίσσης ἐπὶ τῇ Βοίβῃ (λίμνῃ), συνεστράτευσεν Ἰάσονι εἰς τὴν Ἀρμενίαν* cett. qui simul a viris Alexandrum M. in Asiam secutis hanc opinionem primum profectam esse significat. Cf. C. O. Muelleri *Orchom.* p. 281 sq. Chronicon ap. Gron. p. 984: *Ἀρμένιος*, ut Iustinus.

perditum p.] Mss. Bong., Leid. 4: *perd. invenire;* ita etiam Leid. 3 a pr. m., correctus in: *perditum ire;* recc. codd. cum edd.: *perdere;* coll. C. C. et N.: *perdere invenire.*

insignem] Mss. Bong., coll. C. C.: *indignam.* — Unus *Pelcas.* In Goth. *eum* deest post *Colch.*

reportare; sperans interitum viri aut ex periculis tam longae navigationis, aut ex bello tam profundae barbariae. Igitur Iason divulgata 11 opinione tam gloriosae expeditionis, cum ad eum certatim principes iuventutis totius ferme orbis concurrerent, exercitum fortissimorum virorum, qui *Argonautae* cognominati sunt, comparavit: quem cum 12 magnis rebus gestis incolumem reduxisset, rursus a Peliae filiis Thessalia magna vi pulsus cum ingenti multitudine, quae ad famam virtutis eius ex omnibus gentibus quotidie confluebat, comite Medea uxore, quam repudiatam miseratione exsilii rursum receperat, et Medio, privigno ab Aegeo, rege Atheniensium, genito, Colchos repetivit socerumque Aeëtam regno pulsum restituit.

III. Magna deinde bella cum finitimis gessit; captasque civita- 1
tes partim regno soceri ad abolendam superioris militiae iniuriam, qua et filiam eius Medeam abduxerat et filium Aegialeum interfecerat, adiunxit; partim populis, quos secum adduxerat, adsignavit: 2
primusque humanorum post Herculem et Liberum, qui reges Orientis fuisse traduntur, eam caeli plagam domuisse dicitur. Populis 3
quibusdam *Recam** et Amphistratum, aurigas Castoris et Pollucis,

* *Frudium*

---

§ 11. *orbis*] Mss. Bong. omnes, Bodl., coll. C. C., Dorv. 3, Goth.: *urbis*.

§ 12. *a Peliae filiis*] ab uno Acasto.

magna vi pulsus] Sic 4 interpolati Gronov., Franecq., Dorv. 1. 3, Crac., Goth., Prag.: quae lectio aperte ficta est ex antiqua: *pulsus magna vi*, ut ante Gronov. e codd. melioribus scribebatur; sed haec verba neque sequentibus, *Colchos repetivit*, neque antecedentibus commode adiungi possunt; quo iure denique dicantur in recepta lectione, non satis mihi quidem liquet. Fortasse frustra servantur, aliquo modo orta e nomine *Magnesia*, quod vel ab auctore vel a lectoribus hunc locum olim tenebat. Paullo ante mss. Bong.: *rursum Pel.;* Goth.: *rursum a P.*

Medea] Mss. Bong.: *Media*.

Medio] 1 Bong.: *Medo;* v. supra II, 6, § 14 c. not.; adde inf. 3, § 6. — Deinde Bong.: *Aegaeo*.

Aeëtam] Sic legitur de coni. I. Fr. Gronovii; idem fort. exhibet Prag.; Dorv. certe 1 et 2: *Oëtam*. Ceteri omnes: *etiam*. — De re v. C. O. Muellerum, *Orchom.* p. 281 ibique laudd.

C. III. § 1. *Aegialeum*] Sic Magl. et Med. 2, in quos docta manu illatum esse manifesta hic signa loquuntur. Ita etiam Ald. Prag.: *Aegaleum*. Ceteri omnes: *Aegialium*, quod et ipsum possit defendi. Diodoro IV, 45 *Αἰγιαλεὺς*, Aeëtae et Hecates filius, vulgo dictus Absyrtus; vid. Munck. ad Hygin. fab. XXIII, praesertim interpp. ad Cic. de N. D. III, 19, § 48.

§ 2. *Liberum*] 1 Bong., Bodl., Goth.: *L. patrem*.

reges Orientis] V. Diodor. II, 38. 39.

§ 3. *quibusdam*] Intelligit Heniochos, vicinos Colchidi, e quorum nomine haec fabula ficta; aurigae enim *ἡνίοχοι*. V. Muell. *Orchomen.* pag. 283.

Recam et Amphistratum] Hi Lacones, Dioscurorum aurigae, condi-

4 duces adsignavit. Cum Albanis foedus percussit: qui Herculem ex Italia ab Albano monte, cum Geryone exstincto armenta eius per Italiam duceret, secuti dicuntur; quique memores Italicae originis
5 exercitum Cn. Pompeii bello Mithridatico *fratres* salutavere. Itaque Iasoni totus ferme Oriens ut conditori divinos honores templaque constituit: quae Parmenio, dux Alexandri Magni, post multos annos dirui iussit, ne cuiusquam nomen in Oriente venerabilius quam
6 Alexandri esset. Post mortem Iasonis Medius aemulus virtutis eius in honorem matris Mediam urbem condidit; regnumque ex nomine suo Medorum constituit, sub cuius maiestate Orientis postea impe-
7 rium fuit. Albanis vicinae Amazones sunt: quarum reginam Tha-
8 lestrem concubitum Alexandri petisse multi auctores prodidere. Armenius quoque et ipse Thessalus, unus de numero ducum Iasonis, recollecta multitudine, quae amisso Iasone rege passim vagabatur,
9 Armeniam condidit: a cuius montibus Tigris fluvius modicis primo incrementis nascitur; interiecto deinde aliquanto spatio sub terras mergitur; atque ita post quinque et viginti millia passuum grande iam flumen in regione Sophene emergit; ac sic in paludes Euphratis recipitur.

1 IV. Igitur Mithridates, rex Parthorum, post bellum Armeniae

---

tores traduntur Heniochorum apud Strabon. XI. p. 341 sq., Eustath. ad Dion. 680. Ap. alios, ut Ammian. XXII, 8, § 24: *Amphitus et Cercius* [sic mss.; edd. *Telchius*]: ubi Valesius: „Strabo: *Ῥέκας*, forte pro *Κρέκας*, unde Latini *Crecium* ac mox *Cercium* finxere.“ V. plura apud Salmasium. Sed h. l. Bong. e codd. edidit: *Frudium et A.;* sic Prag.; alii eiusd. mss.: *Fraudium;* al. *Fandium;* coll. C. C.: *Franium.* Gronov.: „Vulgo *Frudium*, vel, ut plerique mss. habent, *Phrigium* [sic Goth., Crac.], *Fudium*, *Fraudium.*“ Edd. fere: *Phrygium*, in quo latere Salmasius putabat: *Rhecium*, pro Rheca. *Rhecan* iam Ald. exhibet. Ego ex antiqua lectione nihil certi elicio.

§ 4. *Albanis*] Hos quoque Graeculi a Thessalis et Iasone ortos memorabant; sed quod sequitur commentum Romae excogitatum est.

quique mem.] Mss. Bong.: *quippe m.;* iidem *ut fratres* cum Franecq.; at v. Wopk.

§ 5. *templaque*] V. Bong. *Ἰασόνεια*, in quibus quae latent ex Orientalium religionibus, non satis constat.

Parmenio] Sic unus fere Periz.; ceteri omnes et Bong.: *Parmenion;* v. ad XII, 5, § 3; eiusdem tamen libri c. 1, § 3 ipse Bong.: *Parmenio.*

§ 6. *Medius*] „Mss.: *Medus.*“ *Gron.* Sic Prag.

Mediam] Sic omnes Bong., 4 interpolati Gron., Goth., edd. vett. Vulgo, ignotum qua causa: *Medeam.* — Inde mss. quidam Bong.: *constituti Or. p.*

§ 7. Med. 2: *Albani vicini Amazonum s.*

§ 8. *condidit*] Sic „plerique“ Gron., codd. Wopk., Goth., Crac., edd. vett. et Raban. Maur.; sed Bong.: *condit:* cuius tutela suscipi potest. Redit ad 2, § 10.

§ 9. *Sophene*] Mss. Bongars.: *Sofoene;* Bodl., Goth.: *Sophena;* Crac.: *Sophona.* Ald.: *Sophenes.*

C. IV. § 1. *Mithridates*] Subito Iustinus a nono hoc Arsace, Mi-

propter crudelitatem a senatu Parthico regno pellitur. Frater eius 2 Orodes, cum regnum vacans occupasset, Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obsidet; et fame coactos in deditionem oppidanos compellit. Mithridates autem fiducia cognationis ultro se in 3 potestatem Orodis tradit. Sed Orodes plus hostem quam fratrem 4 cogitans in conspectu suo trucidari eum iussit; et post haec bellum cum Romanis gessit Crassumque imperatorem cum filio et omni exercitu Romano delevit. Huius filius Pacorus missus ad persequendas 5 Romani belli reliquias magnis rebus in Syria gestis in Parthiam patri suspectus revocatur; quo absente exercitus Parthorum relictus in Syria a Cassio, quaestore Crassi, cum omnibus ducibus trucidatur. His ita gestis non magno post tempore Romanis inter Caesarem 6 Pompeiumque civile bellum oritur: in quo Parthi Pompeianarum partium fuere et propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico iunctam et propter Crassi necem, cuius filium in partibus Caesaris esse audierant: quem ultorem patris victore Caesare futurum non deliberabant. Itaque victis partibus Pompeianis et Cassio et Bruto 7 auxilia adversus Augustum et Antonium misere; et post belli finem rursum Pacoro duce inita cum Labieno societate Syriam et Asiam vastavere; castraque Ventidii, qui post Cassium absente Pacoro exercitum Parthicum fuderat, magna mole adgrediuntur. Sed ille 8 simulato timore diu continuit se et insultare Parthos aliquantisper passus est. Ad postremum in securos laetosque partem legionum emisit; quarum impetu fusi Parthi in diversa abiere. Pacorus cum 9

---

thridate Magno, c. 2, § 6, transit ad Arsacem decimum tertium, et ipsum Mithridatis nomine, qui a. 60 a. C. imperium capessiverat. Vitium Iustini, non Trogi esse ostendit Vailliantius *Annal.* p. 68 addens: „Forsitan deceptus est Iustinus, quod uterque Mithridates bellum cum Artavasde, Armeniorum rege, gesserit. At duo certe huius nominis Armeniae principes exstitere, unus Tigranis iunioris avus, alter huiusce Tigranis filius." Historiam huius principis v. lib. l. p. 100 sqq.

§ 3. *Orodes*] 1 Bong., Goth.: *Horodes;* unde Bodl. et edd. vett.: *Herodes*, quam nominis depravationem etiam in Graecis corrigunt Bong. h. l. et Gronov. ad § 11. — Ab a. 54. — In Goth. *eum* deest ante *iussit*.

Crassumque] a. 53 a. C. Loci ap. Bernecc.

§ 5. *Pacorus*] Πάκορος.

§ 6. *filium*] M. Crassum.

non deliberabant] E mss. aliquot Bong., Franecq., Dorv. 3 a pr. m., et 6 Gron. interpolatis primus recepit Beneckius, suasu Wassei ad Sallust. Legebatur: *non dubitabant.*

§ 7. *misere*] V. Gronov. p. 986.

Labieno] qui a Bruto ad auxilia arcessenda missus fuerat, sed cum in reditu debellatos occisores Caesaris ad Philippos percepisset, in Parthos reversus est. Ibi comperta Antonii desidia auctor regi fuit, ut bellum inciperet. — Loci de bello iam incipiente v. ap. Bernecc. ad § 10. *Annal. Ars.* p. 130 sqq.

fugientes suos abduxisse secum legiones Romanas putaret, castra
10 Ventidii, veluti sine defensoribus, adgreditur. Tum Ventidius reliqua parte legionum emissa universam Parthorum manum cum rege ipso Pacoro interficit: nec ullo bello Parthi umquam maius vulnus
11 acceperunt. Haec cum in Parthia nuntiata essent, Orodes, pater Pacori, qui paullo ante vastatam Syriam, occupatam Asiam a Parthis audierat victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filii morte et exercitus clade audita ex dolore in furorem vertitur.
12 Multis diebus non adloqui quemquam, non cibum sumere, non vo-
13 cem mittere, ita ut etiam mutus factus videretur. Post multos deinde dies, ubi dolor vocem laxaverat, nihil aliud quam Pacorum vocabat: Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur; cum illo loqui,
14 cum illo consistere: interdum quasi amissum flebiliter dolebat. Post longum deinde luctum alia sollicitudo miserandum senem invadit: quem ex numero triginta filiorum in locum Pacori regem destinet.
15 Multae pellices, ex quibus generata tanta iuventus erat, pro suis
16 quaeque sollicitae animum senis obsidebant. Sed fatum Parthiae fecit, in qua iam quasi solemne est reges parricidas haberi, ut sceleratissimus omnium, et ipse Phrahates nomine, rex statueretur.

1 V. Itaque statim, quasi nollet mori, patrem interfecit; fratres quoque omnes triginta trucidat. Sed nec in filiis cessant parricidia.
2 Nam cum infestos sibi optimates propter adsidua scelera videret, ne
3 esset qui nominari rex posset, adultum filium interfici iubet. Huic Antonius propter auxilium adversus se et Caesarem latum bellum cum sedecim validissimis legionibus intulit: sed graviter multis proe-
4 liis vexatus a Parthia refugit. Qua victoria insolentior Phrahates redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exsilium a populo suo
5 pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas civitates, ad postre-

---

§ 10. *acceperunt*] Mss. Bong.: *acceperant.*

§ 13. Mss. Bong.: *P. i. videri audirique*, ut Goth. omisso *que.*

§ 16. *fecit*] Ita codd. et edd. omnes praeter Leid. 3, qui exhibet coniecturam I. Fr. Gronovii: *fuit*, vulgo receptam. Sed v. Beneck.

Phrahates] quartus s. Arsaces XV, ab a. fere 36. Ap. Plutarchum: Φραόρτης, ut in Goth. cod. ubique scribitur: *Phrahartes.* Syncellus etiam: Φραάρτης.

C. V. § 1. *omnes triginta*] Sic Bongarsiani consensu videntur exhibere, cum vox *trig.* confidenter a Bongars. deleatur, intacta relinquatur *omnes;* e Gronovianis 3 Leidd., Med. 2, Magl. (?); accedunt 3 Dorv., Bodl., Crac., Goth. V. Bernecc. et Beneck., Burmann. ad Gratii Cyneg. 16. — Periz., coll. C. C. numeri mentionem omittunt.

§ 3. *sedecim*] Med. 2: *XI;* sic fortasse Plutarchus, qui 60 millia. Livius: *legionibus octodecim.* — Loci ap. Bernecc.

§ 4. *Qua victoria*] Vaillantius in *Annal. Ars.* p. 171 sq. hic intelligit victoriam de Tiridate reportatam, a. 29, post quam crudelius consuluerit in eius amicos. Sed vere meo iudicio Iustinus; quae de bello civili inter Phraatem et Tiridatem a Dione narrantur, ad seqq. manifesto referenda sunt.

mum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. Hoc absente regem Parthi Tiridatem quemdam 6
constituerant: qui audito adventu Scytharum cum magna amicorum manu ad Caesarem in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem profugit, obsidem Caesari minimum filium Phrahatis ferens, quem negligentius custoditum rapuerat. Quo cognito Phrahates legatos sta- 7
tim ad Caesarem mittit, *servum suum Tiridatem et filium remitti sibi* postulat. Caesar et legatione Phrahatis audita et Tiridatis postula- 8
tis cognitis (nam et ipse restitui in regnum desiderabat, *iuris Romanorum futuram Parthiam* adfirmans, *si eius regnum muneris eorum fuisset*) *neque Tiridatem dediturum se Parthis* dixit, *neque adversus Parthos Tiridati auxilia daturum.* Ne tamen per omnia nihil a Cae- 9
sare obtentum videretur, et Phrahati filium sine pretio remisit et Tiridati, quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumtum praeberi iussit. Post haec finito Hispaniensi bello, cum in Syriam 10
ad componendum Orientis statum venisset, metum Phrahati incussit, ne bellum Parthiae vellet inferre. Itaque tota Parthia captivi ex 11
Crassiano sive Antonii exercitu recollecti signaque cum his militaria Augusto remissa. Sed et filii nepotesque Phrahatis obsides Augusto 12
dati: plusque Caesar magnitudine nominis sui fecit quam armis alius imperator facere potuisset.

---

§ 5. *maximo*] Ita codd. omnes praeter Med. 2, Magl., Goth., ed. Rom., qui: *maxime aux.*, quod iam vulgo legitur; v. Beneck. Illud reliqui, quod ingens fuerit exercitus necesse est, ut ad nuntium eius Tirídates „cum magna amicorum manu" statim fugiat; neque ceterorum auxiliorum in seqq. mentio fit.

§ 6. *Tiridatem*] Bong. ubique: *Tyrid.*, ut ceterae edd. vett. Gronov.: *Tiridaten*, ut § 7. 8.

Caesarem] Augustum.

in Hispaniam] 7 Gron. ablativum habent, frustra et praeter morem Iustini.

§ 8. *Caesar*] cui senatus Rom. cognitionem mandaverat.

§ 9. *et Phrahati*] Recepi e mss. aliquot Bong., coll. C. C., 9 Gronov., Goth., edd. vett.; facile absorbebatur praecedenti compendio. Vulgo: *Phr.*, omissa copula, quae h. l. apta est.

§ 10. A. 19 a. C.

§ 12. *filii nepotesque Phrah.*] V. Gronov. p. 988, praesertim interpp. ad Tacit. Ann. II, 1.

LIBER XLIII.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS XLIII.*)

Tertio et quadragesimo volumine continentur origines [priscorum] Latinorum, situs urbis Romae et res [1]) usque ad Priscum Tarquinium. Origines deinde [2]) Liguriae et Massiliensium res gestae.

[1]) Vat. 2: *et reges*, probante Longuerrio. Situs Urbis non legitur apud Iustinum, neque origines Liguriae.
[2]) Deest in codd. Gron. praeter Leid. 4, Periz., Crac. Ap. Bong. et hoc verbum et *prisc.* uncis inclusum est. Vat. 2: *Ligurum.*

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Romani imperii initia. Urbis origo. Primi Italiae cultores et reges.*
2. *Rhea, Numitoris filia, Romulum et Remum parit, qui mira ratione educati emergunt.*
3. *Roma a Romulo et Remo condita: Senatus constitutus: raptae Sabinae: vicini subacti. Phocaeënses Tarquinii temporibus Massiliam condunt Liguribus invidentibus.*
4. *Varia Massiliensium fortuna et felices successus.*
5. *Eorumdem bella et foedera: itemque benevolentia et munificentia in Romanos.*

1 I. Parthicis Orientalibusque ac totius propemodum orbis rebus explicitis ad initia Romanae urbis Trogus, velut post longam peregrinationem domum, revertitur: ingrati civis officium existimans, si,

C. I. § 1. *explicitis*] Sic Bong. ex suis omnibus, 7 Gron., Goth., Crac., Prag.; coll. C. C., Bodl.: *explicatis.* At post Graevium e vett. impressis editur: *expeditis*, quod an in ullo sit codice msto, ignotum: illud igitur praeferendum erat tanquam certum; glossam vero esse voculae *expeditis* (de qua v. locc. ap. Beneck.) contenderunt omnes, satis quidem leviter, ut qui non usquam ostenderint vetustiora haberi in edd. quam in codd. Bongarsianis.

cum omnium gentium res gestas illustraverit, de sola tantum patria
taceat. Breviter igitur initia Romani imperii perstringit, ut nec 2
modum propositi operis excedat nec utique originem urbis, quae
est caput totius orbis, silentio praetermittat.

Italiae cultores primi Aborigines fuere, quorum rex Saturnus 3
tantae iustitiae fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam
neque quidquam privatae rei habuerit: sed omnia communia et in-
divisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset. Ob 4
cuius exempli memoriam cautum est, ut Saturnalibus exaequato
omnium iure passim in conviviis servi cum dominis recumbant. Itaque 5
Italia regis nomine *Saturnia* appellata est; et mons, in quo habita-
bat, *Saturnius:* in quo nunc veluti a Iove pulso sedibus suis Saturno
Capitolium est. Post hunc tertio loco regnasse Faunum ferunt; sub 6
quo Euander ab Arcadiae urbe Pallanteo in Italiam cum mediocri
turba popularium venit: cui Faunus et agros et montem, quem ille
postea *Palatium* appellavit, benigne adsignavit. In huius radicibus 7
templum Lycaeo, quem Graeci *Pana*, Romani *Lupercum* appellant,
constituit: ipsum dei simulacrum nudum caprina pelle amictum est,
quo habitu nunc Romae Lupercalibus decurritur. Fauno fuit uxor 8
nomine Fatua, quae adsidue divino spiritu impleta velut per furorem
futura praemonebat. Unde adhuc, qui inspirari solent, *fatuari* di-
cuntur. Ex filia Fauni et Hercule, qui eodem tempore exstincto 9
Geryone armenta, victoriae praemia, per Italiam ducebat, stupro
conceptus Latinus procreatur. Quo tenente regnum Aeneas ab Ilio 10

---

§ 5. *regis nomine*] 2 Dorv. (p. 400 Frotsch. Vol. I): *a r. n.* De monte cf. loc. ined. ap. Gronov. p. 989.

§ 6. *tertio loco*] Secundo Picus fertur.

Palatium] Sic Bong. et codd. plurimi. Livius: *a Pallanteo, urbe Arcadica, Pallantium, dein Palatium montem appellatum;* praeterito igitur antiquiore dudum abolito recentius nomen posuit. Nihil ergo mutandum. 1 Bong., Leid. 3: *Palantinum;* unde Graevius: *Palantium*, e Festo, Servio. Edd. vett., coll. C. C., Franecq., 2 Dorv.: *Palatinum;* Goth., Dorv. 1: *Pallonteum.* V. sedulo collecta a Frid. Schroetero ad librum *de origine gentis R.* p. 37 sq.

§ 7. *Lycaeo*] Sic Bong. sine v. l. Vulgo: *Lyceo.*

Lupercalibus] De his v. collecta Schroetero lib. l. p. 148 sqq. praesertim vero ill. Mitscherlichii scriptionem Academicam: *Lupercalium origo et ritus.* Gotting., Cal. Septembr. 1823.

§ 8. *divino spiritu i.*] In aliquot codd. Bong. deest v. *spiritu;* al. ei.: *divino impleta numine.* Unus et: *fatuarii.* De Fatua Fauni sorore eadem uxore v. Lactant. I, 22, 9.

§ 9. *Ex filia Fauni et Hercule — stupro conceptus Latinus procr.*] Sic quoque veteres narrasse apparet e Dionys. Hal. I. p. 34 sq.: *λέγουσί τινες αὐτὸν* (Herculem) *καὶ παῖδας ἐν τοῖς χωρίοις τούτοις, ἃ νῦν Ῥωμαῖοι κατοικοῦσιν, ἐκ δύο γυναικῶν γενομένους καταλιπεῖν — Λατῖνον ἔκ τινος Ὑπερβορίδος κόρης, ἣν πατρὸς εἰς ὁμηρείαν δόντος ἐπήγετο καὶ αὐτὴν μέχρι μέν τινος ἁγνὴν γάμων ἐφύλαττεν· ἐπεὶ δὲ*

Troia a Graecis expugnata in Italiam venit; statimque bello exceptus, cum in aciem exercitum eduxisset, ad colloquium vocatus tantam admirationem sui Latino praebuit, ut et in societatem regni reciperetur et Lavinia in matrimonium ei data gener adscisceretur.
11 Post haec commune utriusque bellum adversus Turnum, Rutulorum regem, propter fraudatas Laviniae nuptias fuit; in quo et Turnus
12 et Latinus interierunt. Igitur cum Aeneas iure victoriae utroque
13 populo potiretur, urbem ex nomine uxoris Lavinium condidit. Bellum deinde adversus Mezentium, regem Etruscorum, gessit: in quo cum ipse occidisset, in locum eius Ascanius filius successit; qui Lavinio relicto Longam Albam condidit, quae trecentis annis caput regni fuit.

1 II. Post multos deinde urbis huius reges ad postremum Numi-
2 tor et Amulius regno potiti sunt. Sed Amulius cum aetate potiorem Numitorem oppressisset, filiam eius Rheam in perpetuam virginitatem, ne quis vindex regni sexus virilis ex gente Numitoris oriretur, demersit, addita iniuriae specie honoris, ut non damnata, sed sa-
3 cerdos electa videretur. Igitur clausa in luco Marti sacro duos pue-
4 ros, incertum stupro an ex Marte conceptos, enixa est. Quo cognito Amulius multiplicato metu proventu duorum pueros exponi iu-
5 bet; et puellam vinculis onerat, ex quorum iniuria decessit. Sed Fortuna origini Romanae prospiciens pueros lupae alendos obtulit; quae amissis catulis distenta ubera exinanire cupiens nutricem se
6 infantibus praebuit. Cum saepius ad parvulos, veluti ad catulos,

---

εἰς Ἰταλίαν ἔπλει, ἐρασθεὶς ἐγκύμονα ποιεῖ — ἣν τῷ βασιλεῖ τῶν Ἀβοριγίνων Φαύνῳ γυναῖκα ποιήσασθαι δίδωσι· δι' ἣν αἰτίαν τοὺς πολλοὺς τὸν Λατῖνον τούτον υἱὸν νομίζειν, οὐχ Ἡρακλέους. Sic auctor *de orig. g. R.* c. 9: *Post Faunum Latino, eius filio, regnante.* Et hinc explicari a Schroetero debebant haec in c. 7: *Tum eum* (Faunum) *quoque Herculis amicitiam cupidissime appetisse. Quam opinionem sequi **metuit** noster Maro*, poëta castissimus; nam quare m e t u e r e t narrare „Evandrum et Faunum Herculem hospitaliter excipientes"? Latius patere mythum cernas etiam ex Servio (Gron. p. 990), qui filiam Omam a quibusdam *Bonam Deam* appellatam esse testatur: quocum coniungas Macrob. Sat. I, 12, p. 58 sqq. Bip. et interpp. Propertii ad IV, el. 9.

§ 10. *Lavinia*] Mss. Bong.: *Labinia.*

§ 12. *Lavinium*] Bong., Goth. ac sine dubio codd. plurimi: *Laviniam*, quod pro adiectivo capiendum foret: sed in tanta erroris proclivitate, quae librariis hic datur, teneri vix poterat; et exempla desidero. Edd. vett., Crac.: *Laviniae*, ex illo fictum. Prima Ald.: *Lavinium.*

C. II. § 2. *aetate potiorem*] Sic Bong. ex omnibus suis, 11 Gronov., Crac., edd. vett. aliquot; vulgo: *priorem.* Praeterea 1 Bongars., 5 Gron.: *cum vi aet.;* edd. vett., 2 Gron., Goth.: *cum in aet.;* Crac., ed. Rom.: *cum vi et aet. Potiorem* i. e. digniorem qui in regnum succederet. Praeterea recipienda esse videtur cum I. Fr. Gronovio voc. *vi:* nisi forte orta est e praeced. litt. *m.*

addita iniuriae] (dat.) Goth. et Dorv. 1: *add. iniuria*, ut Graevius legendum contendit.

reverteretur, rem Faustulus pastor animadvertit subtractosque ferae inter greges pecorum agresti vita nutrivit. Martios pueros fuisse, 7
sive quod in luco Martis enixi sunt sive quod a lupa, quae in tutela Martis est, nutriti, velut manifestis argumentis creditum. Nomina 8
pueris, alteri *Remo*, alteri *Romulo* fuere. Adultis inter pastores de virtute quotidiana certamina et vires et pernicitatem auxere. Igitur 9
cum latrones a rapina pecorum industrie frequenterque submoverent, Remus ab iisdem latronibus captus, veluti ipse esset quod in aliis prohibebat, regi offertur: crimini datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc a rege Numitori in ultionem traditur. Sed Numitor adolescentia iuvenis permotus et in suspicionem expo- 10
siti nepotis adductus, cum eum nunc lineamentorum filiae similitudo, nunc aetas expositionis temporibus congruens anxium tenerent, repente Faustulus cum Romulo supervenit: a quo cognita origine puerorum facta conspiratione et adolescentes in ultionem maternae necis et Numitor in vindictam erepti regni armantur.

III. Occiso Amulio regnum Numitori restituitur et urbs Romana 1
ab adolescentibus conditur. Tunc et senatus centum seniorum, qui 2
Patres dicti sunt, constituitur; tunc et vicinis connubia pastorum dedignantibus virgines Sabinae rapiuntur; finitimisque populis armis subiectis primum Italiae et mox orbis imperium quaesitum.

Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, 3
quas Graeci *sceptra* dixere. Nam et ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas coluere: ob cuius religionis memoriam adhuc deorum simulacris hastae adduntur.

Temporibus Tarquinii regis ex Asia *Phocaeënsium* * iuventus 4
ostio Tiberis invecta amicitiam cum Romanis iunxit: inde in ultimos Galliae sinus navibus profecta Massiliam inter Ligures et feras gen-

* *Phocensium*

---

§ 9. *crimini datur, q.*] Goth., 1 Mod.: *criminatur, q.*

C. III. § 3. *hastas*] De re satis multa collegerunt interpp.; eodem modo, si recte memini, eandem ceperat Suetonius in fragg. — Pro verbis: *ab origine rerum* Periz.: *Aborigines*, ut coniecerat Lipsius.

§ 4. *Tarquinii regis*] Prisci, a. fere 600. Male Io. Christ. Iohannsen, *veteris Massiliae res et instituta ex fontibus adumbrata* (1817) p. 13 sq. intellexit Superbum. V. Vossium ad h. l. — Massiliae res adhibitis et veteribus et recentioribus subsidiis ferme omnibus diligenter adumbravit coniunctissimus olim mihi in Academia Gottingensi *Henricus Ternaux: historia reipublicae Massiliensium a primordiis ad Neronis tempora;* Gottingae, 1826. Is etiam de rei, quae hac § narratur, veritate iudicium tulit excussis argumentis p. 87 sq.

Phocensium] Ita codd. omnes, etiam Vincentius ex Helinando, Sp. h. III, c. 111. Antiquum vitium; v. supra ad XXXVII, 1, § 1 et interpp. h. l. Hodie editur: *Phocaeënsium.* Sic et § 5. — Bong.: *Tyberis.*

profecta] Frotscherus tanquam Gronovii excudendum curavit: *provecta*, e Dorv. 3: v. Wopkens. Paullo ante Helinandus: *unde.*

tes Gallorum condidit; magnasque res, sive dum armis se adversus
Gallicam feritatem tuentur sive dum ultro lacessunt, a quibus fue-
5 rant ante lacessiti, gesserunt. Namque *Phocaeënses* * exiguitate ac
macie terrae coacti studiosius mare quam terras exercuere: piscando,
mercando, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus
6 gloriae habebatur, vitam tolerabant. Itaque in ultimam Oceani
oram procedere ausi in sinum Gallicum ostio Rhodani amnis deve-
7 nere: cuius loci amoenitate capti, reversi domum referentes quae
8 viderant, plures sollicitavere. Duces classis Simos et Protis fuere.
Itaque regem Segobrigiorum, Nannum nomine, in cuius finibus
9 urbem condere gestiebant, amicitiam petentes conveniunt. Forte

* *Phocenses*

Massiliam — condidit] Annus deductae coloniae 600 a. C.; v. praeter *Ternauc.* p. 10 sq. Carolum Grashof in Censura Aristotelis *Πολιτειῶν* editar. a Neumanno, Iahnii *Jahrbücher f. Philol.* 1829. V. II. p. 156 sq. fasc. 2.

§ 5. *exercuere*] Goth.: *excoluere.* De re tamen v. Vossium h. l. coll. quos laud. Tzschuckius ad Melam Vol. III. P. 1. p. 511.

gloriae hab.] V. Bernecc. et Muenteri *Velia in Lucanien* p. 12 not.

§ 8. *Duces classis Simos et Pr.*] Simon nusquam invenio; Simsonus in *Chron.* p. 583 Wess. pro *Εὐξένῳ* Aristotelis habet; at *Protis* etiam a Plutarcho Massiliae conditor vocatur (v. Ternauc. pag. 8. 9. nr. 19), ab Aristotele autem filius Euxeni conditoris ex filia Nanni; vitiose uterque: *Πρῶτος.* E codd. suis Bong. haec enotavit: „Mss.: *clarissimos et Protis* (al. *Protus) f.;* al.: *clariss. qui se Proto iunxere;* al.: *clariss. Proti favere;* al.: *clariss. et Protis se iunx.*" Edd. vett. nescio unde: *classi Furius et Peranus f.;* Ald.: *Furius et Protis.* — Vox *classis* de solemni deductione coloniae; cf. Tern. p. 7 sq.

Segobrigiorum] Sic e vetustissimis suis edidit Bong.; aliquot eiusd., ut Goth. et Crac.: *Segobriorum;* al. ei., Prag.: *Segobrigorum.* (Coll. C. C.: *sociorum.*) Edd. vett.: *Segoregiorum.* Ignotus in illis locis populus. *Segobrienses* Plinio in Celtiberia sunt et *Segobrida* vel *Segobriga* Straboni. „In Gallia Narbonensi [ad Rhodanum fluvium Ptolemaeo] sunt *Segalauni*, qui Plinio III, 4 dicuntur *Segovellauni:* quo pacto hic fortasse reponendum est." *Bong.* Alias emendationes v. ap. Martinum, *histoire des Gaules* (Paris., 1752), V. II. p. 365. Circumspecte Henr. Ternaux p. 6: „Nisi similis in vicinarum gentium nominibus conformatio et scriptorum interitus deterreret, probarem Paponi post Bouchium [*chorographie de Provence* pag. 185 sq.] correctionem in *hist. de Provence* T. I. p. 499 not.: *Celtoligurium*, quam e Scylace asserit; adiiciendus erat Strabo IV. p. 203 (311 Alm.): *καλοῦσι δὲ τοὺς Σάλυας οἱ μὲν παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων Λίγυας καὶ τὴν χώραν, ἣν ἔχουσιν οἱ Μασσαλιῶται, Λιγυστικήν· οἱ δὲ ὕστερον Κελτολίγυας ὀνομάζουσι καὶ τὴν μέχρι Λουρίωνος καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ πεδιάδα τούτοις προςνέμουσι.* Est vero scriptorum, qualis Trogus erat, vetusta recentibus, recentiora vetustis nominibus appellare."

Nannum] Aristoteles: *Νάνον.* Sic Med. 2 et Goth., etiam seq. c.: *Nanum — Nano.* 1 Bong.: *senannum;* Prag.: *Senonem;* Crac.: *Meranum — Merano.* Bodl. et edd. vett.: *Senanum* et inf.: *Senano.*

eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiae erat; quam
more gentis electo inter epulas genero nuptum tradere illic parabat.
Itaque cum ad nuptias invitati omnes proci essent, rogantur etiam 10
Graeci hospites ad convivium. Introducta deinde virgo, cum iube- 11
retur a patre aquam porrigere ei, quem virum eligeret, tunc omissis omnibus ad Graecos conversa aquam Proti porrigit; qui factus
ex hospite gener locum condendae urbis a socero accepit. Condita 12
igitur Massilia est prope ostia Rhodani amnis in remoto sinu, veluti
in angulo maris. Sed Ligures incrementis urbis invidentes Graecos 13
adsiduis bellis fatigabant; qui pericula propulsando in tantum enituerunt, ut victis hostibus in captivis agris multas colonias constituerent.

IV. Ab his igitur Galli et usum vitae cultioris deposita et man- 1
suefacta barbaria et agrorum cultus et urbes moenibus cingere didicerunt. Tunc et legibus, non armis vivere; tunc et vitem putare, 2
tunc olivam serere consueverunt: adeoque magnus et hominibus et rebus impositus est nitor, ut non Graecia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Graeciam translata videretur.

Mortuo rege Nanno Segobrigiorum, a quo locus acceptus 3
condendae urbis fuerat, cum regno filius eius Comanus successisset,

---

§ 9. *Gyptis*] Aristot.: *Πέττα*. Med. 2: *Gestis;* Crac.: *Egiptis.*

§ 10. *proci essent*] Sic edd. Ven. iam ante Ald., quam aliae secutae sunt; de veritate lectionis v. Graev. Codd. omnes: *processissent* (Prag.: *access.*); quod facile ex illo oriebatur; cf. Beneck.

§ 11. *aquam porrigere*] V. Boeckhii Explicatt. ad Pindar. Ol. VII. pag. 168.

ex hospite] Goth.: *ex hoste.*

§ 12. *Condita*] V. ad § 4. V. Ternaucii excursum I *de situ urbis* p. 16 sqq.

§ 13. *incrementa*] quae post septuaginta annos fecit maxima, diruta metropoli; v. Tern. p. 12 sqq. Horum bellorum singula gesta ignorantur, praeter ea, quae ab Iustino servata sunt.

colonias] Primum a Rambachio (*de Mileto* p. 23), deinde ab *Raoul-Rochettio* recensitas, plenius a Ternaucio p. 89 sqq.

C. IV. § 1. 2. Haec ex parte tantum aliqua vera esse intelliget, qui et rem et auctorem cognitum habet. V. in hanc rem hic illic sparsa in optimo libro *Reynierii: l'économie des Celtes;* 1818. Strabo apud Ternauc. p. 110, ubi plura huc pertinentia: *ὥςθ' ἡ πόλις μικρῷ μὲν πρότερον* (paullo ante Caesariana tempora) *τοῖς βαρβάροις ἀνεῖτο παιδευτήριον καὶ φιλέλληνας κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας*, coll. Reynier. p. 22 sq. Macrob. ap. Gron. p. 991: *Galli vitem vel cultum oleae Roma iam adolescente didicerunt.* — De commerciis Massiliensium cum Gallis v. Tern. p. 79 sqq.

§ 2. *vitem putare*] Helinandus: *v. ponere.*

§ 3. De nominibus v. ad 3, § 8. Coll. C. C. hic: *Segobriorum;* hic etiam 1 Bong.: *Meranno.* Helinandus: *robobergiorum.*

Comanus] Edd. vett.: *Commanus;* Prag.: *Corm.* „Non dubitamus de nominis huius integritate, si *Comonas*, populum illius regionis apud

adfirmante regulo quodam: *quandoque Massiliam exitio finitimis po-*
pulis futuram, opprimendamque in ipso ortu, ne mox validior ipsum
4 *obrueret.* Subnectit et illam fabulam: *Canem aliquando partu gravi-*
dam locum a pastore precario petisse, in quo pareret: quo obtento
iterato petisse, ut sibi educare eodem in loco catulos liceret: ad postre-
mum adultis catulis fultam domestico praesidio proprietatem loci sibi
5 *vindicasse. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur,*
6 *quandoque dominos regionum futuros.* His incitatus rex insidias Mas-
siliensibus instruit. Itaque solemni Floraliorum die multos fortes ac
strenuos viros hospitii iure in urbem misit; plures scirpeis latentes
7 frondibusque supertectos induci vehiculis iubet; et ipse cum exercitu
in proximis montibus delitescit: ut, cum nocte a praedictis apertae
portae forent, tempestive ad insidias adesset urbemque somno ac
8 vino sepultam armatis invaderet. Sed has insidias mulier quaedam
regis cognata prodidit, quae adulterare cum Graeco adolescente
solita in amplexu iuvenis; miserata formae eius, insidias aperuit
9 *periculum*que *declinare* iubet. Ille rem statim ad magistratus defert:
atque ita patefactis insidiis cuncti Ligures comprehenduntur latentes-
10 que de scirpeis protrahuntur. Quibus omnibus interfectis insidianti

---

Ptol. II, 10 al. et oppidum *Comacinam* in Plin. III prope fin. in animum revocamus.“ Ternauc. p. 22 (cf. Bongars.); idem haec ante Phocaeae casum gesta putat, not. 55.

adfirmante regulo quodam] Sic Bong. et codd., quantum scio, omnes cum edd. vetustis. Apparet inceptam structuram ab Iustino neglectam et oblivione plane omissam. Recipitur tamen post Graevium Aldinae manifesta correctio: *adfirmat Ligur quidam.* Sanius I. Fr. Gronov.: *affirmare regulus quidam.* Helinandus: *quidam regulus de Massiliensibus hanc fabulam praeposuit.*

§ 5. 8 Gronov., Goth.: *dominos quandoque.*

§ 6. *instruit*] Sic editur ex mss. nescio quot Bong., 5 interpolatis Gronov., Prag.; vid. Wopkens. I. Fr. Gronov.: *struit*, ut Dorv. 1. 3, Goth., Crac. 1 Bong.: *instituit.* Sed vetusta lectio est: *exstruit:* quam nunc non habeo qui defendam; si abesset vox *Massiliensibus* vel adiungeretur praecedenti *insidias*, explicarem: insidiarum molimenta perficit, ut Cicero de Fin. IV, 1: *disciplinam fundare et exstruere*, cui simile notum illud: *Non gravere exaedificare id opus, quod instituisti.* Poterat tamen compendium praecedens aliquid turbare.

Floraliorum] (Prag.: *Floralium.*) Trogus vertit Graecum *ἀνθεστηρίων.* Male ex h. l. Massiliensibus *Floram* deam tribuerunt: v. Ternauc. pag. 61 sq.

scirpeis l.] Bongars. omnes hic et § 9 *scirpiis* (ut Goth.) vel *sirpiis:* quo modo tum pronunciasse Romanos non dubito. Edd. vett., Crac.: *scirpis.* Vulgo: *sirpeis*, ut non opus erat reponere; et alterum reduxit Nic. Heinsius ad Ovid. Fast. VI, 680. *Scirpeis* est in Prag., Dorv. 1. 2 et 3 pr. m.; intelliguntur „cophini ex viminibus texti“; *I. Fr. Gron.*

§ 7. *armatis*] tanquam diceret: exercitu, copiis. Crac.: *armatus;* edd. vett.: *armati invaderent.* Goth.: *armis*, ut ed. Oxon.; fort. e codd. Britannicis, quorum praesertim Bodl. cum Goth. consentire solet.

§ 9. *scirpeis*] V. ad § 6; hic Goth.: *scirpis.*

regi insidiae tenduntur. Caesa sunt cum ipso rege hostium septem millia. Exinde Massilienses festis diebus portas claudere, vigilias 11 agere, stationem in muris observare, peregrinos recognoscere, curas habere, ac veluti bellum habeant, sic urbem pacis temporibus custodire. Adeo illic bene instituta non temporum necessitate, sed 12 recte faciendi consuetudine servantur.

V. Post haec magna illis cum Liguribus, magna cum Gallis 1 fuere bella: quae res et urbis gloriam auxit et virtutem Graecorum multiplicata victoria celebrem inter finitimos reddidit. Carthaginien- 2 sium quoque exercitus, cum bellum captis piscatorum navibus ortum esset, saepe fuderunt pacemque victis dederunt; cum Hispanis ami- 3 citiam iunxerunt; cum Romanis prope ab initio conditae urbis foedus summa fide custodierunt auxiliisque in omnibus bellis industrie socios iuverunt. Quae res illis et virium fiduciam auxit et pacem ab hostibus praestitit. Cum igitur Massilia fama rerum gestarum et 4 abundantia opum et virium gloria virente floreret, repente finitimi populi ad nomen Massiliensium delendum, veluti ad commune exstinguendum incendium, concurrunt. Dux consensu omnium Catu- 5 mandus regulus eligitur: qui, cum magno exercitu lectissimorum virorum urbem hostium obsideret, per quietem specie torvae mulieris, quae se deam dicebat, exterritus ultro pacem cum Massiliensibus fecit; petitoque ut intrare illi urbem et deos eorum adorare liceret, 6 cum in arcem Minervae venisset, conspecto in porticibus simulacro deae, quam per quietem viderat, repente exclamat *illam esse, quae se nocte exterruisset; illam, quae recedere ab obsidione iussisset.* Gra- 7 tulatusque Massiliensibus, quod animadverteret eos ad curam deo-

---

§ 11. *curas habere*] Explicant Bernecc. et Wopk. — De re Ternauc. p. 51.

§ 12. *illic*] Goth., Crac.: *illis.*

C. V. § 1. Cf. ad 3, § 13.

§ 2. Alia quoque bella intelliguntur praeter illud anni 536 cum Phocaeënsibus post deletam patriam, de quo Ternaucius p. 13 seqq. V. Boetticheri *hist. Carth.* p. 14 sq. et laudd.

pacemque v. d.] Haec verba in codd. Goth. et Crac. voci *iunxerunt* subiiciuntur, ut de Hispanis dicta sint. Colonias in Hispaniam deductas v. ap. Tern. p. 95 sqq.

§ 3. V. ad 3, § 4.

§ 4. Paucis annis ante 389 a. C., ob § 8. V. Tern. p. 23 sq.

fama] 8 Gronov., Crac., Goth.: *et f.*

§ 5. *Catumandus*] 1 Bong.: *Catimandos;* Med. 2, Periz., Goth.: *Catumarandus;* ed. Rom., Crac.: *Catumerandus;* edd. vett.: *Carimandus* vel *Caram.;* sed „illud *Catum.* servandum; cf. nomen stirpis Liguricae: *Caturiges* ap. Caes. B. G. I, 10 et Plin. III, 7 et 24 Bip." *Tern.*

§ 6. *arcem Minervae* cett.] V. de his Ternauc. pag. 59 sqq., qui πρόναον fuisse hanc Minervam Apollini coniicit.

repente] Helinand.: *continuo.*

rum immortalium pertinere, torque aureo donata dea in perpetuum
8 amicitiam cum Massiliensibus iunxit. Parta pace et securitate fundata revertentes a Delphis Massiliensium legati, quo missi munera Apollini tulerant, audierunt urbem Romanam a Gallis captam incen-
9 samque. Quam rem domi nuntiatam publico funere Massilienses prosecuti sunt; aurumque et argentum publicum privatumque contulerunt ad explendum pondus Gallis, a quibus redemtam pacem co-
10 gnoverant. Ob quod meritum et immunitas illis decreta et locus spectaculorum in senatu datus et foedus aequo iure percussum.
11 In postremo libro Trogus maiores suos a Vocontiis originem ducere; avum suum, Trogum Pompeium, Sertoriano bello civitatem
12 a Cn. Pompeio percepisse dicit; patruum Mithridatico bello turmas equitum sub eodem Pompeio duxisse; patrem quoque sub Caio Caesare militasse epistolarumque et legationum, simul et anuli curam habuisse.

---

§ 9. Solus hoc Iustinus. V. Ternauc. p. 87 sq.

§ 10. V. haec explicantem Bernecc.

§ 11. *a Vocontiis*] in Gallia Narbonensi, ubi et Massilia sita. Quid in vett. Bong. legatur, non satis apparet; *Vocontiis* ex uno tantum producit. Goth.: *Vocantiis*, ut Ald. Male edd. vett.: *Volscis;* v. Bong.

avum s.] Bodl., Goth., Crac.: *proavum.* Is civitate donatus patroni nomen assumit.

§ 12. *C. Caesare*] tum fortasse, cum Galliarum proconsul esset, ut coniicit Wetzel. Deinde 1 Bong., Leid. 5, ed. Ald.: *ep. ac divitiarum, legat. simul* cett. Goth.: *epistolarum quoque ac leg.*

LIBER XLIV.

ARGUMENTUM TROGI POMPEII.
(*PROLOGUS XLIV.*)

Quarto et quadragesimo volumine continentur res Hispaniae*) et Punicae.

---

*) Mod.: *Hispanicae.* Periz.: *Hispanae.*

ARGUMENTUM EPITOMES IUSTINI SECUNDUM CAPITA.

1. *Hispaniae nomen, situs, fertilitas, amnes, claustra, forma, salubritas.*
2. *Hispanorum mores. Primus dux Viriatus.*
3. *Equarum Lusitanicarum fabula. Gallaecorum origo, divitiae et miranda.*
4. *Habidis, Gallaeciae et finitimarum regionum principis, origo et conservatio atque prudens regni administratio; item Geryonis, qui triplicis naturae fabulis dictus, regnum.*
5. *Carthaginiensium imperium. Praeclari eorumdem duces violenta morte perierunt. Hispanos domat Caesar Augustus.*

I. Hispania sicuti Europae terminos claudit, ita et huius ope- 1
ris finis futura est. Hanc veteres ab Ibero amne primum *Iberiam*, 2
postea ab Hispano *Hispaniam* cognominaverunt. Haec inter Africam 3
et Galliam posita Oceani freto et Pyrenaeis montibus clauditur.
Sicut minor utraque terra, ita utraque fertilior. Nam neque ut Africa 4
violento sole torretur, neque ut Gallia adsiduis ventis fatigatur: sed media inter utramque hinc temperato calore, inde felicibus et tempestivis imbribus in omnia frugum genera fecunda est: adeo ut non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiae urbique Romanae cunctarum rerum abundantia sufficiat. Hinc enim non frumenti tantum 5
magna copia est, verum et vini, mellis oleique; nec ferri solum materia praecipua est, sed et equorum pernices greges; nec summae 6
tantum terrae laudanda bona, verum et abstrusorum metallorum fe-

---

C. I. § 2. *Ibero — Iberiam*] 6 Gronov., Crac., Goth., Vincent.: *Hibero — Hiberiam.* De re v. locorum largam collectionem in cel. *Uckerti: Geographie d. Griech. u. R.* Vol. II. P. 1. p. 255 sq.

ab Hispano] Mss. Bong., Crac., Goth., quaedam edd. vett.: *Hispalo.* Hoc Romanum cognomen erat.

§ 3. *Oceani f.*] Glarean.: *Oceano, freto* (Herculeo) *et P.*

§ 4. V. Uckert. l. l. p. 323 sq., quibus haec explicantur.

med. i. utramque] Mss. Bong.: *utrumq.*

abundantia suff.] Sic Bong. omnes praeter 1, coll. C. C., Bodl.; de Gronovianis nihil notum. Vulgo ex 1 Bong. (accedunt Goth., Crac., Prag.) et edd. aliquot vett.: *abundantiam sufficiat*, quod miror ad hunc diem potuisse tolerari.

§ 5. *solum mat.*] Bong.: Mss.: *quae sola;* al.: *quae solum m. pr., sed et eq.*"

§ 6. *nec summae t. terrae*] Ita coniecit I. Fr. Gronov., q. v. cum Beneck. Unus Crac.: *summe.* Et codd. et edd. vett.: *summa t.* Praeterea aliquot Bong., Goth., Crac., Bodl., coll. C. C.: *sed nec s.*, quod iam Fabro placuit, qui praeterea *bona* delendum putabat.

liccs divitiae. Iam lini spartique vis ingens; minii certe nulla fera-
7 cior terra. In hac cursus amnium non torrentes rapidique, ut noceant, sed lenes et vineis campisque irrigui aestuariisque Oceani adfatim piscosi, plerique etiam divites auro, quod in balucibus vehunt.
8 Uno tantum Pyrenaei montis dorso adhaeret Galliae, reliquis parti-
9 bus undique in orbem mari cingitur. Forma terrae prope quadrata, nisi quod artantibus freti litoribus in Pyrenaeum coit. Porro Pyre-
10 naei montis spatium sexcenta millia passuum efficit. Salubritas caeli per omnem Hispaniam aequalis, quia aëris spiritus nulla paludium gravi nebula inficitur. Huc accedunt et marinae aurae undique versus adsidui flatus, quibus omnem provinciam penetrantibus eventilato terrestri spiritu praecipua hominibus sanitas redditur.

1 II. Corpora hominum ad inediam laboremque, animi ad mor-
2 tem parati. Dura omnibus et adstricta parcimonia. Bellum quam
3 otium malunt: si extraneus deest, domi hostem quaerunt. Saepe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui: adeo illis fortior
4 taciturnitatis cura quam vitae. Celebratur etiam bello Punico servi illius patientia, qui ultus dominum inter tormenta risu exsultavit se-
5 renaque laetitia crudelitatem torquentium vicit. Velocitas genti pernix, inquies animus: plurimis militares equi et arma sanguine ipso-
6 rum cariora. Nullus in festos dies epularum apparatus. Aqua calida lavari post secundum bellum Punicum a Romanis didicere.
7 In tanta seculorum serie nullus illis dux magnus praeter Viria-

---

§ 7. *aestuariis Oceani*] V. Uckert. p. 301.

in balucibus (*im Goldsand*)] Hoc Iustino reddidit doctrina Salmasii ad Solin. pag. 277, a Berneccero primum receptum. Codd.: *in paludibus:* quod cum non esse aptum cerneretur, 1 Bong., Leid. 3: *a pal;* Leidd. 2. 5 plane omiserunt; edd. aliquot vett.: *in laudibus.* Plinius H. N. XXIII, 21: *Aurum invenitur — fluminum ramentis in Tago Hispaniae — — Hispani quod minutum est, balucem vocant.* Eodem modo hodieque legitur ap. Martialem XII, 57, 9: *Illinc p a l u d i s malleator Hispanae*, ubi dudum correxerat Turnebus (*Adv.* XXX, 26): *balucis.*

§ 8. *mari*] Mss. Bong.: *mare.*

sexcenta millia passuum] (Mss. Bong., 4 Leidd., Periz., Goth.: *passus.*) Ceteri minus habent; cf. Bernecc., Uckert. l. l. p. 275.

§ 10. *paludium*] Recentes tantum: *paludum;* v. Beneck. — Aliter scriptores diligentiores ap. Uckert. p. 323.

C. II. § 3. *fortior tac. cura*] i. e. maiorem ipsis fortitudinem, maiores vires, animum magis intrepidum praebet; vel ut Wopkens.: adeo difficilius cura illorum taciturnitatis quam vitae superatur. Apud eundem similia habes. Oculum paene dixerim sententiae eruunt qui reposuerunt cum Gronovio: *potior t. cura*, ut 5 interpolati Gronov., Goth., Crac.

§ 6. *Aqua cal.* cett.] Bongars. e mss.: *nec aqua cal. L.* (s i c!) *in tanta sec.*

§ 7. *Viriatum*] Sic codd. etiam aliorum scriptorum praeter 1 Bong., qui: *Ver.* Opportune Bong. e Strabone: *ἐπίθετοι γὰρ καὶ λῃστρικοὶ*

tum fuit, qui annis decem Romanos varia victoria fatigavit: adeo feris propiora quam hominibus ingenia gerunt. Quem ipsum non iudicio populi electum, sed ut cavendi scientem declinandorumque periculorum peritum secuti sunt. Cuius ea virtus continentiaque fuit, 8 ut, cum consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutaverit: sed in eo habitu, quo primum bellare coepit, perseveraverit: ut quivis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur.

III. In Lusitanis iuxta fluvium Tagum vento equas foetus con- 1
cipere multi auctores prodidere. Quae fabulae ex equarum fecunditate et gregum multitudine natae sunt: qui tanti in Gallaecia et Lusitania ac tam pernices visuntur, ut non immerito vento ipso concepti videantur. Gallaeci autem Graecam sibi originem adserunt: 2
siquidem post finem Troiani belli Teucrum morte Aiacis fratris invisum patri Telamoni, cum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse atque ibi urbem nomine antiquae patriae Salaminam condidisse; inde accepta opinione paternae mortis patriam repetisse; sed 3
cum ab Eurysace, Aiacis filio, accessu prohiberetur, Hispaniae litoribus appulsum loca, ubi nunc est Carthago Nova, occupasse; inde Gallaeciam transisse et positis sedibus genti nomen dedisse. Gallaeciae autem portio *Amphilochi* dicuntur. Regio cum aeris ac 4

ἐγένοντο τοῖς βίοις, τὰ μικρὰ τολμῶντες, μεγάλοις δὲ οὐκ ἐπιλαβόμενοι cett. — Exstat Beckeri diss. *de Viriatho et Lusitanis.*

annis decem] Diodorus: *undecim:* et alterutrum probat H. Valesius ad Exc. p. 597 Wessel.; cf. Lipsium et Voss. ad Vellei. II, 90, p. 1088 Ruhnken.

adeo feris] V. Scheffer.

§ 8. *gestis*] Deest in quibusdam Bong.

C. III. § 1. *Gallaecia*] Bong.: *Gallecia* et *Galleci;* eius codd. aliquot: *Gallicia*, post *Gallicii.* Goth.: *Galecia* — *Galeci.* De re multa interpp.

§ 2. *Gallaeci* vocantur immutato nomine, dicendi *Callaïci*, *Καλλαϊκοί.* V. laudd. ap. Uckert. p. 312. Quare Ulitius h. l.: *Callaeci.* Ad rem Strabo III. p. 108 ex Asclepiade Myrleano: *ἐν Καλλαϊκοῖς δὲ τῶν μετὰ Τεύκρου στρατευσάντων τινὰς οἰκῆσαι· καὶ ὑπάρξαι πόλεις αὐτόθι, τὴν μὲν καλουμένην Ἕλληνες, τὴν δὲ Ἀμφίλοχοι· ὡς μὲν τοῦ Ἀμφιλόχου τελευτήσαντος δεῦρο καὶ τῶν συνόντων πλανηθέντων μέχρι τῆς μεσογαίας.* Alios collegit Uckert. p. 311, quos v.

§ 3. *Eurysace*] Ms. Bong.: *Euriste;* al. *Eurisce;* al. *Eurice.*

Carthago Nova] Haec quoque a Teucro condita ferebatur; Sil. Ital. III, 368 ibiq. laudd. Rupertio.

Gallaeciam transisse] Ut XXXVII, 3, § 5: *Inde Bithyniam transcendit:* quae lectio per nostrum locum, ubi nulla plane v. l., tuenda erat.

§ 4. *Amphilochi*] Mss. Bong.: *Ampiloci;* v. Strab. ad § 2. Uckert. p. 439.

plumbi uberrima, tum et minio, quod etiam vicino flumini nomen
5 dedit. Auro quoque ditissima: adeo ut etiam aratro frequenter gle-
6 bas aureas exscindant. In huius gentis finibus sacer mons est, quem
ferro violari nefas habetur: sed si quando fulgure terra proscissa est,
quae in his locis adsidua res est, detectum aurum, velut dei munus,
7 colligere permittitur. Feminae res domesticas agrorumque culturas
8 administrant: ipsi armis et rapinis serviunt. Praecipua his quidem
ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior: quippe temperamento
eius ferrum acrius redditur; nec ullum apud eos telum probatur,
9 quod non aut Bilbili fluvio aut Chalybe tinguatur. Unde etiam
Chalybes fluvii huius finitimi appellati ferroque ceteris praestare di-
cuntur.

1 IV. Saltus vero Tartesiorum, in quibus Titanas bellum adver-
sus deos gessisse proditur, incoluere *Cunetes**; quorum rex vetustis-
2 simus Gargoris mellis colligendi usum primus invenit. Huic cum ex
filiae stupro nepos provenisset, pudore flagitii variis generibus ex-

* *Curetes*

---

vicino flumini] Minio, h. *Minho*. Paullo ante *minio* recte dici probat Wopkens.

§ 5. *exscindant*] Mss. Bong., 6 Gron.: *excidant;* 3 eiusd., Goth.: *excitent*.

§ 6. *sacer mons*] Hunc Iustinus aperte in Gallaecia ponit; cum tamen ignotus plane sit, fabulae autem eius et religiones similitudinem habeant cum illis, quae de Sacro Promontorio ita narrantur, ut periisse etiam multas videamus: in eam suspicionem deducor, ut Iustinum errasse h. l. credam, dum in Gallaecia hunc montem memorat, et recte Bongars. cogitare de ἱερῷ ἀκροτηρίῳ, cuius fabulas v. ap. Strab. III init. Uckertus intelligendum putat montem Galliciae *Puerto de Rabanon* prope *Ponferradam* (p. 278).

quae in his cett.] Mss. Bong., 8 interpolati Gron., Prag., Goth.: *quod in his* (Bong.: *hiis*).

§ 8. *Bilbili fl. a. Ch.*] 1 Bong.: *Byrbili fiat* (Burm., Fisch.: *flant*) *Calibi:* Goth. et Crac.: *birbili — calibe;* sic ed. Med.; ex aliis nihil notum. „*Den Chalybs erklärt man für den Cabe, diesen für den Bibei, die beide in den Sil fallen* (Florez. Esp. Sagr. XV. p. 48). *Den erstern hielt Vossius für den Calipos des Ptol.*" Uckert. p. 291. Vossio accedit Graevius.

§ 9. *ferroque*] Goth. sine litura: *ferro quod c.* Wopkens.: *ferro quoque c.*

C. IV. § 1. *Tartesiorum*] 2 Bong., 4 Gron., Goth.: *Tartess.* Qui Titanum pugnam ad Tartessum factam narraverint, habes ap. Uckert. p. 199. not. 23 a.

Cunetes] Bong., codd., edd.: *Curetes*, quos huc non pertinere animadvertens Is. Vossius correxit *Cunetes* vel *Cynetes*, qui et *Cunctae* et *Cunei*. V. praeter interpp. Uckert. p. 247. n. 39. Insequentia ex historia Cynesiorum alibi haud invenias.

Gargoris] Goth.: *Gorgorius;* Ioannes Episcopus Gerund. ap. Bong.: *Gorgonius;* Crac.: *Gorgris*. Edd. vett. aliquot: *Targoris*.

stingui parvulum voluit: sed per omnes casus fortuna quadam servatus ad postremum ad regnum tot periculorum miseratione pervenit. Primum omnium cum eum exponi iussisset et post dies ad corpus 3 expositi requirendum misisset, inventus est vario ferarum lacte nutritus. Deinde relatum domum tramite angusto, per quem armenta 4 commeare consueverant, proiici iubet: crudelis prorsus, qui proculcari nepotem quam simplici morte interfici maluit. Ibi quoque cum 5 inviolatus esset nec alimentis egeret, canibus primo ieiunis et multorum dierum abstinentia cruciatis, mox etiam suibus obiecit. Itaque 6 cum non solum non noceretur, verum etiam quarumdam uberibus aleretur, ad ultimum in Oceanum abiici iussit. Tum plane manifesto 7 quodam numine inter furentes aestus ac reciprocantes undas, velut nave, non fluctu veheretur, leni salo in litore exponitur: nec multo 8 post cerva adfuit, quae ubera parvulo offerret. Inde denique conversatione nutricis eximia puero pernicitas fuit; interque cervorum greges diu montes saltusque haud inferior velocitate peragravit. Ad 9 postremum laqueo captus regi dono datus est. Tunc et lineamentorum similitudine et notis corporis, quae inustae parvulo fuerant, nepos agnitus. Admiratione deinde tot casuum periculorumque ab 10 eodem successor regni destinatur. Nomen illi impositum *Habidis;* 11 qui ut regnum accepit, tantae magnitudinis fuit, ut non frustra deorum maiestate tot periculis ereptus videretur: quippe barbarum populum legibus iunxit; et boves primus aratro domari frumentaque sulco quaerere docuit; et ex agresti cibo mitiora vesci odio eorum, quae ipse passus fuerat, homines coëgit. Huius casus fabulosi vi- 12 derentur, nisi et Romanorum conditores lupa nutriti et Cyrus, rex Persarum, cane alitus proderetur. Ab hoc et ministeria servilia po- 13 pulo interdicta et plebs in septem urbes divisa. Mortuo Habide re- 14 gnum per multa secula a successoribus eius retentum est.

In alia parte Hispaniae et quae ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. In hac tanta pabuli laetitia est, ut, nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique 15 armenta Geryonis, quae illis temporibus solae opes habebantur, tan-

---

§ 6. *noceretur*] Interpolarunt cod. Magl. et Ald. ed., *necaretur* reponentes.

§ 7. Mss. Bong.: *velut navi cum fluctu veh.*

§ 9. Iidem: *dono donatus est.*

§ 10. *Habidis*] 1 Bong.: *Hauidis;* Vincent. Bellov. III, c. 53: *anuidis;* al. Bong. et coll. C. C.: *Habetis;* al.: *Habido;* Bodl.: *Abius*, ut Ioannes Episc. Gerund.; Goth.: *Abis.*

quae ipse passus f.] Wopkensius reponendum censet: *q. i. pastus f.*

§ 14. *a success.*] 1 Bong., 3 Gronov.: *rite a s.;* deinde mss. Bong., 5 Gron., Goth. omittunt *est.*

et quae] Bong. coni.: *ea quae;* unus e codd. eius: *ea videlicet quae.* Goth. et Leid. 2 ignorant copulam. — De Erythea insula v. laudd. Uckerto p. 240, et de *Geryone* Fischer. ad Palaeph. f. 25.

tae famae fuere, ut Herculem ex Asia praedae magnitudine illexerint.
16 Porro Geryonem ipsum non triplicis naturae, ut fabulis proditur, fuisse ferunt, sed tres fratres tantae concordiae exstitisse, ut uno animo omnes regi viderentur: nec bellum Herculi sua sponte intulisse; sed, cum armenta sua rapi vidissent, amissa bello repetisse.
1 V. Post regna deinde Hispaniae primi Carthaginienses impe-
2 rium provinciae occupavere. Nam cum Gaditani a Tyro, unde et Carthaginiensibus origo est, sacra Herculis per quietem iussi in Hispaniam transtulissent urbemque ibi condidissent: invidentibus incrementis novae urbis finitimis Hispaniae populis ac propterea Gaditanos bello lacessentibus auxilium consanguineis Carthaginienses misere.
3 Ibi felici expeditione et Gaditanos ab iniuria vindicaverunt et maio-
4 rem partem provinciae imperio suo adiecerunt. Postea quoque hortantibus primae expeditionis auspiciis Hamilcarem imperatorem cum magna manu ad occupandam provinciam misere: qui magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus
5 occiditur. In huius locum gener ipsius Hasdrubal mittitur; qui et ipse a servo Hispani cuiusdam, ulciscente domini iniustam necem,
6 interfectus est. Maior utroque Hannibal imperator, Hamilcaris filius, succedit: siquidem utriusque res gestas supergressus universam Hispaniam domuit; inde Romanis illato bello Italiam per annos sexde-
7 cim variis cladibus fatigavit: cum interea Romani missis in Hispaniam Scipionibus primo Poenos provincia expulerunt; postea cum ipsis
8 Hispanis gravia bella gesserunt. Nec prius perdomita provincia iugum Hispani accipere potuerunt, quam Caesar Augustus perdomito orbe victricia ad eos arma transtulit populumque barbarum ac ferum legibus ad cultiorem vitae usum traductum in formam provinciae redegit.

---

§ 15. *ex Asia*] ubi tum ab Amazonibus cingulum reginae petebat; Diod. IV, 16 sq.

C. V. § 1. *Post regna d. Hispaniae*] „Posteaquam administratio regni et summa rerum fuit penes ipsos Hispanos. Opposita sunt *habere regnum* et *esse provinciam*." Iensius.

§ 2. 3. *Gaditani*] 1 Bong., Periz.: *Gadetani*. — V. Strabonem III. p. 117 sq. Boettich. *hist. Carth.* p. 39 sq.

§ 4. *Hamilcarem*] cogn. Barcas; a. 237. V. Boettich. p. 235 sq. ubi alii quoque de mortis genere laud.

§ 5. *Hasdrubal*] post sex annos administratae provinciae occisus a. 221; v. Bernecc.

§ 6. *sexdecim*] Sic omnes praeter 3 edd. vett. et Goth.

§ 8. *perdomita provincia i. Hispani*] 4 interpolati Gron., Goth.: *perdomitae provinciae i. Hispaniae*, ut multae edd. vett.; 1 Bong.: *Nec pr. perdomitae provinciae*, *quam C.* Sed Bong. edidit *Hispaniae*, alios e mss. suis spernens, qui: *Hispani*, quod h. l. aptius; et seq. *accip.* vitium gignere poterat. Plaudente Graevio Faber eiicit verba: *perd. prov.*
redegit] a. C. 25; U. c. 729. V. Uckert. p. 245 sq.

IOAN. CHRISTIAN. FRID. WETZELII
INDEX HISTORICUS
IN IUSTINUM
INSIGNITER EMENDATUS ET SUPPLETUS.

INSERTAE SUNT RES QUAE IN PROLOGIS NARRANTUR.

B.

I.

L.

M.

R.

S.

U.

V.

X.



